



ANNUS
APOSTOLICUS

3-4

BV30

L3

v. 2

t. 3-4


008524



1080015161

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis




UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



E
HEMET



ANNUS APOSTOLICUS



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ANNUS
APOSTOLICUS

CONTINENS CONCIONES

I. TOTO ADVENTU — II. TEMPORE QUADRAGESIMAE
III. OMNIBUS ET SINGULIS TOTIUS ANNI DIEBUS DOMINICIS
IV. DE SANCTIS

PRÆDICABILES
STILO PERSPICUO ELABORATAS

CLARAQUE METHODO CONCINNATAS

AUCTORE R. P.

Fr. ZACHARIA LASELVE

*Sacrae Theologiae Lector, necnon Provinciae Recollectorum
Sanctissimi Sacramenti seu Tolosani alumnus.*

EDITIO REVISITA ET ADNOTATA A P. A. SARACENO PRESB. CONGR. OR. TAURIN.

Volumen III.

Pars II. — Conciones pro tempore Quadragesimae.

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
AGUSTE TAURINORUM
EX OFFICINA LIBRARIA ECCLESIASTICA
EQ. LAURENTII ROMANO EDITORIS

M. DCCC. LXXXI.

45161

BV304

13

12

14-7



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

Tarifa - Ed Typ. V. Bona.

CONCIONES

170

TEMPORE QUADRAGESIMÆ

DOMINICA QUARTA.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

Dei providentia, quæ creata cuncta mirabiliter ordinat et gubernat, tres dicit et includit Dei perfectiones, scientiam scilicet, bonitatem et omnipotentiam, quarum singula officia distinguit Hugo a sancto Victore, dicens: *Scientia disponit, voluntas movet, potestas exequitur. Infinita Dei scientia* est quasi oculus divine providentia, quo omnes omnino creaturas, et omnia quæ ad illas in fines suos dirigendas necessaria sunt, clarissime cognoscit. *Infinita Dei bonitas* est cor divine providentia, quo ea singulis creaturis dare decernit, quæ ad fines, ad quos condita sunt, assequendos necessaria sunt. *Infinita Dei potentia* est quasi manus divine providentia, quæ executioni mandat, quæ bonitas, seu Dei voluntas faciendæ decrevit. Brevis quedam divine providentia idea in hodierno evangelio, in quo dicitur quod Christus turbam, quæ eum sequebatur, et quæ fame gravabatur, inspexerit; *cum vidisset, quia multitudo maxima venisset ad eum.* Ecce oculus divine providentia. In eodem evangelio deinde dicitur, quod populi famem patientis Christus misertus sit, *et misertus est super eos.* Ecce cor divine providentia. Tandem subditur, quod Christus panes multiplicaverit, et Apostoli

LICENT. ARB. Ag. - Vol. III.

003521

BV304

13

12

14-7



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

Tarifa - Ed. Typ. V. Bona.

CONCIONES

170

TEMPORE QUADRAGESIMÆ

DOMINICA QUARTA.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

Dei providentia, quæ creata cuncta mirabiliter ordinat et gubernat, tres dicit et includit Dei perfectiones, scientiam scilicet, bonitatem et omnipotentiam, quarum singula officia distinguit Hugo a sancto Victore, dicens: *Scientia disponit, voluntas movet, potestas exequitur. Infinita Dei scientia* est quasi oculus divine providentia, quo omnes omnino creaturas, et omnia quæ ad illas in fines suos dirigendas necessaria sunt, clarissime cognoscit. *Infinita Dei bonitas* est cor divine providentia, quo ea singulis creaturis dare decernit, quæ ad fines, ad quos condita sunt, assequendos necessaria sunt. *Infinita Dei potentia* est quasi manus divine providentia, quæ executioni mandat, quæ bonitas, seu Dei voluntas faciendæ decrevit. Brevis quedam divine providentia idea in hodierno evangelio, in quo dicitur quod Christus turbam, quæ eum sequebatur, et quæ fame gravabatur, inspexit; *cum vidisset, quia multitudo maxima venisset ad eum.* Ecce oculus divine providentia. In eodem evangelio deinde dicitur, quod populi famem patientis Christus misertus sit, *et misertus est super eos.* Ecce cor divine providentia. Tandem subditur, quod Christus panes multiplicaverit, et Apostoli

003521

dederunt populis ad manducandum; *distribuit discumbentibus*. Ecce divinae providentiæ manum. A speciali hac Christi in populum, qui eum sequebatur, ad universalem Dei in omnes creaturas providentiã transeamus, de qua hodie agendum. *Ace-*

Non jam nobis collectatio adversus Democriti et Epicuri discipulos, quorum olim tanta erat cæcitas, ut in Deo circa res creatas providentiã esse negarent. Eos solum alloquor, qui se christianos profiteantur, quorum aliqui de Dei providentiã dubitant, aliqui de ea murmurant, et aliqui de ea diffidunt. Qui de Dei providentiã dubitant, increduli sunt; qui de ea murmurant, impii sunt; et qui de ea diffidunt, timidi et meticulosi habentur, qui omnia sibi in futurum pertimescunt. *O homo incredulus*, qui dubitas de divina providentiã, hoc crede, quod fides docet, quod ratio suadet, quod ipsi sensus apprehendunt. *O homo impie*, qui in Dei murmuras providentiã, ejus mysteria adora, ejusque circa creaturas sollicitudinem admirare. *O homo meticulose*, qui de Dei providentiã diffidis, jacta cogitatum tuum in Domino, ejusque providentiã nunquam tibi defuturam firmissime confide. Videt quisque vestrum, mihi jam certamen ineundum adversus illos incredulos, impios et meticulosos, qui omnes in Dei providentiã contumeliosi sunt. Dissertationes tamen stylo scholastico non institutam; quo soleo disserendi modo dicam 1. *adversus incredulos*, quod de Dei providentiã non est dubitandum; 2. *adversus impios*, quod de Dei providentiã non est murmurandum; 3. *adversus timidos et meticulosos*, quod de Dei providentiã non est diffidendum. De Dei providentiã non est dubitandum, non est murmurandum, non est diffidendum: en tres huius concionis partes.

I PARS.

De Dei providentiã non est dubitandum.

Suspiciantur plerique gentiliũ, aliquam esse providentiã, qua creata omnia conservantur et reguntur: verum quia

vix capere poterant, mundum, in quo tanta est creaturarum diversitas; ab uno Deo posse dirigi, ideo totum fere mundum diis repleverant, inter quos curam providendi rebus creatis divisam esse censebant. *Marti* exercitiũ omnium curam adscribebant, eumque iis præesse arbitrabantur. *Neptuno* curam maris dabant, committentes ei navium gubernacula. *Eolum* velis præponebant, ut sub ejus regimine a vento recte dirigerentur. *Jovi* curam cœli, *Cereri* curam terræ, *Junoni* curam agris, *Deo Vestæ* curam ignis, et *Plutoni* curam inferorum committebant. Imo cuilibet monti, cuilibet civitati, et cuilibet domui deum quemdam specialem attribuebant. Et ideo de filiis Israël dicebant milites regis Syræ, quod dii montium eos regerent et protegerent: *Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos*. Maxima quidem eis inerat cæcitas; si enim totaliter cæci non fuissent, et si rationis usu polluissent, haud dubie cognovissent, unum dumtaxat omnium esse principium, unum solum esse Deum; qui sicut omnium est creator; ita et administrator; et qui sicut per omnipotentiam suã omnia creavit, ita per eandem omnipotentiam et providentiã omnia conservat et regit. Non enim credibile, Deum creaturas, quas fecit, dereliquisse, earumque curam neglexisse, quia quisque operum suorum curam habere solet; et, ut præclare ait S. Ambrosius, *quis operator negligat operis sui curam?* nullus quidem, inquit; nam *non curare quod faceris, summa inclementia est*. Imo non solum non est credibile, Deum neglexisse operum suorum curam, sed et fieri non potest, ut creaturarum suarum curam non habeat, quia idem necessario debet esse creaturarum conditor, et creaturarum gubernator. Si enim unus esset creator, et alius creaturarum gubernator, nullus ex his esset infinite potens, sed uterque imbecillitati subjaceret; *neesse est eundem esse eorum quæ sunt, et factorem, et provisorem; nam neque decet, neque consequens est, alium factorem esse eorum quæ sunt, et alium provisorem: sic enim imbecillitati et debilitati uterque subjaceret* (Damasc. *de fide* 2, 29); ergo, cum Deus omnium sit creator, omnium et gubernator esse, omnibusque providere necessario debet. Hac

quidem ratione, et gentiles, et fideles adduci debent, ad firmiter credendum, et ad nullo modo dubitandum de Dei providentia. Aliam, eamque clariorem, et urgentiorem desumo rationem ex Dei sapientia, potentia et bonitate. Si enim in Deo non esset providentia circa omnia creata, id foret aut quia Deus ea non cognosceret, aut quia iis providere non posset, aut quia iis providere nollat: Deus autem omnia creata cognoscit, cum sit scientia infinita præditus: iis etiam providere potest, cum sit omnipotens: iis tandem providere vult, cum sit summe bonus, et alienum a bonitate opificis sit, non curare suum opus. Ideo cum Deus sit omniscius, omnipotens et summe bonus, fatendum etiam, quod ei sit cura de omnibus, quodque omnibus provideat. Quæ ratio desumpta videtur ex libro sapientiæ, ubi dicit sapiens, Deo imputari non posse, si aliquæ creaturæ pereant: *quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?* cujus rei rationem subdit, dicens: *non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.* Quasi dicat: non potest tibi imputari, si aliquæ ex creaturis quas fecisti pereant: quia tu Deus omniscius, qui earum necessitates nosti; tu Deus omnipotens, qui eis providere potes; tu Deus summe bonus, qui iis, quantum ex te est, provides, earumque curam habes; nec est alius, quam tu, qui earum curam gerat. Nec de aliquibus solummodo, sed de omnibus curam geris: *non enim alius est Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.* Credite ergo, ac nullimode de Dei providentia dubitetis. Ut autem ut clarius hæc dei in creaturas providentiæ pateat, eam in quolibet creaturarum ordine inspiciamus, et admiremur. Triplex creaturarum ordo distingui potest, quarum aliæ pure spirituales, aliæ pure corporales, et aliæ partim spirituales, et partim corporales. Deus autem omnes omnino creaturas sive pure spirituales, sive pure corporales, sive partim spirituales, et partim corporales, providentia sua regit, earumque omnium curam gerit.

Quantum ad creaturas pure spirituales, seu angelos, nonne ipse Deus est, qui sicut illos creavit, ita et illos conservat, et providentia sua regit? Nonne nobilissimos illos spiritus vivi-

ficat, protegit, et sui visione velut pane celesti nutrit? nonne ipse est, qui eos non quidem purpura et bysso, sed immortalitate, gloria et incorruptione vestit? nonne ipse Deus mirabilem hunc ordinem inter angelos statuit, quo fit, ut unus alteri præsit, unus alteri subsit, unus alterum illuminet, unus alterum perficiat et omnes ei tamquam Creatori suo, sine ulla renitentia, imo maxima cum complacencia serviant, et in omnibus obtemperant? nonne mirabili providentia sua eos mittit, ut homines custodiant, protegant, defendant? et ut ait D. Paulus: *nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* (Hebr. 1, 14). *Quantum ad creaturas pure corporales,* seu quantum ad totam mundum cum omnibus creaturis mere corporeis quas continet, quis, quæso, eum regere, et gubernare potest, nisi divina providentia? Respice innumerabilitatem stellarum, suos motus, suosque influxus habentium: respice tot germina seminum, tantas diversitates animalium; quidquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aëre, circumit in celo: omnia ista, quæ magna, quæ pulchra, quæ stupenda sunt, a quo dirigi ac quoad motus, productiones, et propensiones suas regi possunt, quam a Dei providentia? Quis videre, et mente revolvare potes mirabilem colorum ordinem, ordinatissimum eorum motum, sideram pulcritudinem, varietatem creaturarum, elementorum symmetriam, temporum certas vicissitudines, diversas viventium propensiones, ac innumerabiles effectus qui in mundo producantur, et ad fines suos diriguntur, qui non clamet: *omnia Dei providentia et justitia gubernantur?* (S. Hier. in cap. 9 Jer.). Quis tandem vestit terram floribus, flores coloribus, colores pulchritudine? quis vestit et pascit lilia agri, quæ neque metunt, neque nent? quis legem ponit aquis, ut non transeant fines suos? quis omnibus volucris cœli, piscibus maris, animalibus terre dat quo vivant, quo ad delicias pascantur, cibosque habeant gustui suo placitos? quis soli, qui est velut *imago Dei, oculus mundi, lampas unicepsi, mensura temporum, vigor nascentium, decor stellarum* (S. Ambr. in Hexame), quis, inquam, globo illi

auroo dat quo luceat, quo singulis diebus oriatur sicut sponsas e thalamo suo; ac quo, infallibili lege et mensura, cursum suum ita servet, ut nec unico momento erret? certe hæc omnia prædicant divinam providentiam. Nec potest quis illa videre, et serio meditari, quin fateatur, totum mundum Dei providentia dirigi, et qui saltem in corde suo dicat: *tua autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat* (Sap. 14). *Quantum ad creaturas partim spirituales, et partim corporales, seu quantum ad homines, manifesta est Dei providentia.* Deus enim hominem non fecit, ut eum derelinquat; quinimo ut eum demulceat, atque beneficiorum suorum terminum constituat: eum Deus ex puro amoris impulsu creavit, ejusdemque amoris impulsu, illius ut creature omnium sibi charissimæ specialem curam gerit: quum illum Deus non rogatus condiderit, inquit D. Augustinus, quis credat, quod illum derelinquat, postquam fecit, eum jam orationum sacrificio ab illo honoratur: *qui hominem fecit antequam rogaretur deserit, cum rogatur?* (Serm. 1 de Ver. Ap.) hominem quidem non deserit Deus, quinimo mirabili sua providentia innumera ei beneficia impendit. Unde ipsa Dei in homines providentia dicitur *mater pia et studiosa*, quæ eos velut utero et viscibus suis gerit: *nutrix sollicita*, quæ eos lactat, nutrit, sustentat, et inter brachia velut infantes portat; *vix dux*, cum iis continuo incedens, eosque in omnibus viis dirigens: *sapiens consiliarius*, eos docens quæ ignorant, iisque in dubiis faciendi manifestans; *protector fidelis*, eos in periculis protegens: *consolator benevolus*, eis in afflictionibus et necessitatibus solatium præbens: *pastor diligens*, qui summa cura ejusque bono invigilat, et qui sic unumquemque hominum curat, quasi illius solum curam gerat: *sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures; et sic omnes, tanquam singulos* (Aug. Conf. 3, 11). Non ergo dubitandum, sed firmiter credendum, dari in Deo providentiam, quæ creaturas omnes, sive pure spirituales, sive pure corporales, sive partim spirituales et partim corporales summa cura gubernat et dirigit: ac fatendum quod *nihil est prorsus, quod sub providentia Dei non cadat*:

nihil est omnino, quod a Deo neglectum sit: omnia exoptat, omnia conspiciit, oculus ille pervigil omnibus adest (S. Basil. Hexame. ho. 7). Verum enimvero quid necessum est, cœlestes inspicere machinas, spirituales intelligentias mente revolvere, universum lustrare terrarum orbem, et præstantiorum creaturarum naturam scrutari, ut ex iis ad providentiam divinam notitiam deveniamus, cum nec ulla sit creatura quantumvis parva, quæ Dei majestatem et providentiam non prædicet? *omnia protestantur gloriæ Dei, et prædicatione perpetua majestatem sui loquuntur auctoris* (S. Ambr. de voc. gent. 2). Vide, si velis, unam aliquam arborem. Quis, quæso, dat ei, quod suo tempore jam folia, jam flores, jamque fructus illos edat, qui hujus sint speciei, et non alterius, qui ita palato sapiant, et non aliter? Nonne hæc habet a divina providentia? Considera, si libeat, lilia agri, a quo habent, quod ineunte vere nascantur, deinde crescant, postea florent et tandem ad suam perfectionem perducantur? nonne a Dei providentia, quæ hoc ita fieri ordinavit? Contemplantur, si placeat, unam aliquam aviculam, quis eam formavit? quis caput, pectusculum, pedes, innumeraque ejus membra condidit, et tam perfecte disposuit? quis eam induit, ejusque pennas ita ordinavit, ut vestem componant, qua ad ornatum nulla pulchrior; et ad frigus expellendum nullam aptior fieri potest? Quis huic animalculo oculos dedit, ut obvia quæque videat; aures, ut sonos quoslibet audiat; os, ut sibi ad victum necessaria comedat? Quis hæc docuit aviculam suaviter canere, ut hominum oblectet animos? a quo didicit cibum sibi congruum quærere, res sibi noxias avversari, devitare laqueos, adventantes venatores fugere, aëra volatibus suis penetrare? nonne hæc omnia a Dei mansant providentia? *quis disposuit ista? nonne Deus?* (Aug. in Ps. 148). Certe hæc omnia a Dei providentia procedunt. Nec est aliqua planta, arbor aliqua, vel minimum quodque animal, quod non prædicet, et in quo mirum in modum non eluceat divina providentia. Et ideo præclare dixit Clemens Alexandrinus, ipsis oculis manifestam esse Dei in creaturas providentiam, quia inspiciente sunt solummodo creature, ut clare cognoscatur,

eam a supremo provitore regi. Unde eos supplicis dignos censet, qui Dei in creaturas providentiam rationibus sibi probari petunt, cum hæc ipsis oculis pateat: *sunt, inquit, questiones quædam dignæ quæ puniantur, ejusmodi est querere, an sit providentia: cum sit manifesta divina providentia ex aspectu omnium quæ videntur effectorum* (Strom. 5). Non ergo dubitandum de Dei providentia: *nec de ea est murmurandum.*

II. PARS.

De Dei providentia non est murmurandum.

Licet ordinatissimus sit mundus iste sensibilis, in eoque velut in horologio temperatissimo, conditoris et moderatoris ars et sapientia, quoad colorum motus, temporum successiones, fructuum productionem, et omnium animantium sustentationem mirabiliter eluceat: quia tamen cuicunque in hoc mundo non omnia prospere eveniunt, de Dei providentia conqueruntur plurimi, et de ea imprudenter murmurant. De ea murmurare non solent qui prosperitate gaudent saltem prosperitatis tempore. Quia vero Deus omnes cruce et tribulationibus salvare statuit, plurimi, qui cur a Deo affligantur ignorant, aut ignorare simulant, vel etiam quia patientia et humilitate carent, de ejus providentia inique murmurant, cum paupertate gravantur, doloribus lancinantur, morbis affliguntur, vel aliis quibusque adversitatibus quatuntur. Absint ab ore christiano hujusmodi murmura: Deus enim qui universalis Dominus et gubernator est omnium, speciali et majori sollicitudine hominem curat, quem ad sui imaginem condidit. Et ideo si homines affligi et tribulationibus concuti sinat, hoc facit supremæ sapientiæ et bonitatis suæ consilio, non ut illos perdat, sed ut eos probet, sanctificet, et ad celestis regni possessionem perducat. Deus *omnes homines culti salvos fieri*, nullumque a regno celesti excludit; dat omnibus, ut illud obtinere possint, si velint. Quid autem mirum, inquit S. Thomas a Villanova, si illi qui-

bus paratum est gaudium sempiternum, hic ad momentum tribulantur? Ino hoc eis expedit ad majorem jucunditatem in cælo percipiendam. Solemus namque cum magnam et præclarum convivium amicis paravimus, eos aliquamdiu ante prædium detinere, ut esuriant, meliusque eis pretiosa cibaria sapiant. Sicut in vulgari proverbio dicitur: quies, quæ laborem sequitur, gravior est: hoc enim boni habet malum, ut bonum ipsum juxta positum magis illustret. Sic Deus qui æternum hominibus convivium in cælo preparavit, hic eos ad modicum prius esurire, et indigere permittit, ut postea exultantes dicant: *letati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Non ergo murmures in Dei providentiam quæ te affligit, quia hoc agit Deus, non in tui odium, sed ut te salvet, utque majori gaudio afficiaris, cum mundi istius miseris ad inmensa Paradisi gaudia migrabis. En optimam, meo quidem judicio, rationem, quæ omnium ora occludere debet, ne in cælum et in divinam providentiam aperiantur. Neque etiam ad murmurandum de Dei providentia aperientur ora eorum, qui adversitatibus affliguntur; si serio considerent, quæ sit naturæ humane sors. Nonne enim infirma misera, calamitatibus circumdata, milleque periculis, et tribulationibus obnoxia est nostra natura? nonne a protoparente ad nos migravit infelix ista naturæ nostræ conditio? Nonne in hujus mundi exilio, ab hostibus, ab infirmitatibus, vel ab aliis adversitatibus nos premit? nonne a protopatriam anhelemus? Cur ergo ob tribulationes, quas pateris, in Dei providentiam murmurat? Vis ne, ut erga te benignius se gerat Deus, quam erga Jesum, Mariam, omnes Sanctos, omnesque penitus homines, qui hoc in mundo non vivunt sine aliqua, et sæpe sine multis tribulationibus, quibus obnoxia est natura humana? Nonne vides, Deum te affligere, ut terrenis istis cor non affligas, et ut ad celestem patriam suspires? Non ergo in Dei providentiam murmures, cum affligeris; imo gratias age factori et benefactori tuo, qui non tecum durius agit, quam cum cæteris hominibus, et qui te percussit, ut in tribulatio-

nibus cor tuum a terrenis avellat, et ad cœlestia te totis affectibus aspirare compellat.

Hæc qui serio ponderaret, a murmurationibus in Dei providentiam profecto abstineret: quæ si a murmurationibus, afflictos coercere non valeant, rogo, ut quisque consideret quibus ipse suppliciiis plecti meruerit. Dic, christiane, nonne aliquid mortale peccatum ab infantia perpetrasti? forto contum? millia forte, et plura? imo in numeris forte inquinata est jam conscientia tua criminibus. Verum etsi vel unicum mortale peccatum usquam commiseris, dic, queso, quibus et quantis suppliciis unicum hoc peccatum te dignum fecit? nonne unico hoc lethali crimine horrenda et æterna inferni memisti supplicia? nonne unico hoc scelere dignus factus es, qui sempiternis addicereris tormentis? cur ergo tristaris, cur tribularis, cur conquereris, cur de Dei providentia murmuras, cum levibus et transitoriis quibusdam hujus mundi adversitatibus te plectit? noli murmurare, potius Deo immortales gratias ago, ac in tribulatione tua Deum benedicito, et intus dic: ad æterna supplicia condemnari merui, cur ergo æquo animo non perferam levissimas, quibus nunc affligor, tribulationes, quæ respectu poenarum inferni nihil sunt, consolationes sunt, refrigeria sunt? non miramur, verum tibi metipsi fateri: in inferno nunc cruciantur innumeri, qui tanta, quanta ego, peccata non fecerunt, cur ergo de Dei in me providentia conquerar? vel potius, cur non continue laudabo Altissimum, eo quod, ne in tam acerba inferni supplicia incurrerem, me ad presens usque tempus servaverit. Sic sic loquere, o peccator: in divinam providentiam ne murmures, ast Deum indesinenter lauda et benedic: eo quod te mortalibus criminibus in infernum præcipitari non est passus. Neque in Deum te affligentem murmurare debes, licet nullum toto vitæ tuæ tempore mortale peccatum perpetrasses. Heu! si scires quam acerbis, quam horrendis in purgatorio plectuntur suppliciis, qui in venialia hic in terris lapsi sunt, nec ea expiaverunt! certe, si hoc probe nosset, hujus mundi adversitates amares, ambires: Deumque millies laudares, quod non diris purgatorii suppliciiis, at

levissimis hujus mundi tribulationibus venialia, quæ patrasti, purgare dignetur. O quam melius, quam utilius, hujus mundi adversitatibus a peccatis venialibus purgari, quam dirrissima in mediis purgatorii flammis supplicia perpeti? Scio, aliis viis etiam in hoc mundo purgari posse peccata: tamen licet nullum unquam mortale peccatum perpetraveris, licet etiam nullam veniale in tua conscientia purgandum supersit, non ideo de Dei providentia, te adversitatibus afficiente, conqueri et murmurare debes. Etenim homines Deus in hoc mundo plectit, non solum ut de peccatis eorum vindictam sumat, sed etiam

1. ut eos a terrenis affectibus purificet;
2. ut eos ad bona opera excitet;
3. ut eos perficiat.

1. Tribulatio est quasi ignis purificans justos, ab eis omnium terrenorum affectum auferens, atque ab eis omnem terreni pulveris scoriâ tollens, et excoquens; sicut per Isaiam dicitur: *concertam manum meam ad te, et excoquam ad purum scoriâ tuam et auferam stannum tuum* (Isai. I, 25). « O quam nitidos, claros, puros, perlucidos, tersos et splendidos reddit Sanctos tribulatio! » inquit S. Thomas a Villanova. Sicut igne purificantur vasa aurea et argentea, ita et igne a terrenis affectibus purificantur justî. Itaque ne murmures contra Deum, qui te tribulationibus conceitit, ei potius gratias age, quia te affligit, ut purificet. Nonne vasa aurea et argentea, si sensu et ratione essent prædita, artificii gratias agerent a quo tenderentur, et incenderentur ad dandum eis majorem decorem, majoremque puritatem? sic tu non adversus Dei providentiam murmures; verum Deo gratias age, eo quod tribulationes immittat, ut te purificet: Atque etiam gratiæ in tribulationibus agenda, eo quod te percutiat, ut ad bona opera te excitet.

2. Cum omnia prospere eveniant, remissi esse, et nimio tempore dissolvi solemus: in prosperitate enim non est devotio, non oratio, neque fervor, neque lacryma: jam vero cum advenerit tribulatio, statim excitamur, clamamus, oramus, in lacrymas prorumpimus, obsecrantes Dominum ut liberet nos. Tribulationes sunt veluti calcaria, quæ ad bona opera nos excitant, et ad eum nos ire cogunt: ut enim ait sanctus Gregorius,

mala, quæ hîc nos premunt, nos ad Deum ire compellant: cum ergo a Deo flagellaris et pungeris, ne in ejus providentiam murmures; sed ei gratias age, quia te percussit, ut te ad bona opera excitet. Ac etiam, *quia te percussit, ut perficiat.*

3. Tribulatio enim perficit bonos in omni genere virtutum: quia præbet materiam exerceñde virtutis. Si tollas tribulationem, ubi patientia? ubi mansuetudo? ubi humilitas? ubi fortitudo? ubi fiducia? ubi multæ aliæ virtutes? certe sine tribulatione latent, et quasi nullæ sunt. Et ut ait Sanctus Bernardus: *sicut stellæ nocte fulgent, et non in die, ita virtutes in adversitate, et non in prosperitate splendent.* Absit ergo ut in Dei providentiam murmures; in adversitatibus tuis eam adora, eam lauda, eique gratias age; quia flagellat te pius Pater, non quod te odio habeat, sed ut innumeris te bonis afficiat. Hæc quidem motiva mihi urgentissima videntur ad arcendos vos a murmuracionibus in divinam providentiam: quæ si non sufficiant, rogo ut attendatis ad murmurantium supplicia, quæ graviora sunt in hoc mundo, et æterna in alio. Scitis, quod perierint, et exanimati sunt incedenti Israëlita, quia in Deum murmuraverant: igitur cavete ne in Dei providentiam murmurando simul cum illis perire vobis contingat. Murmurantibus Israelitis dixit Deus: *non intrabitis terram, super quam levavi manum meam* (Num. 16). Timeo similiter, o murmuratores, ne in vos iratus Dominus, celestis Jerusalem ingressu vos privet, vosque æternis suppliciis plectat. Quod ut vitare valeatis, ne murmuretis in Dei providentiam. At de Dei providentia non solum non est murmurandum: *de ea quoque non est diffidendum.*

III PARS.

De Dei providentia non est diffidendum.

Viri sapientes et prudentes in seculo, non divine providentiam, sed sibi metipsis, divitiis, amicis, filiis, atque suæ curæ et sollicitudini totaliter confidunt: *qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur* (Psal. 48, 7). Si tamen recte saperent, *non sibi ipsis* confiderent, cum nil sint nisi

pulvis et cinis: *non amicis*, qui ubi sublimati sunt et prosperitate gaudent, quos antea amaverant, despiciunt, et derelinquunt. *Non filiis*, qui parentum bona plus sæpe diligunt, quam eorum personas, et qui sæpe mortem eorum desiderant, ut hereditate fruantur: *non principibus*, et filiis hominum, in quibus non est salus, nec certi auxilii spes: *non fortunæ*, quæ in rota versatili sedet: *non opibus*, quæ citissime avolant, et brevissimo tempore possidentur: *non mundi sapientiæ*, quæ in stultitiam sæpissime vertitur, et apud Deum mera stultitia est: *non honoribus*, qui veluti fumus et umbra transeunt: *non cuilibet mundi rei*, quia vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Cui ergo confidere debent homines? Dei sane providentiæ, quæ in mundi gubernatione non fallitur, nec fallit; in ea sperare, illi tamquam solido fundamento adherere, et se totaliter committere, et in eam omnes cogitationes suas, omnemque spem jactare quisque debet; *jacta super Domnam curam tuam* (Psal. 54, 23). Verum est, homines præ nimia in Deum fiducia non debere opes projicere, amicos abjicere, et turpi otio indulgere: at non debent etiam ita opibus, amicis, et suæ sollicitudini confidere, ut Dei providentiæ, et in ejus providentiâ magis, quam in cæteris omnibus non confidant. Laborent enim, quantum placebit; arte, opibus, amicis, et sudoribus multis domos suas edificare, et amplificare conentur, inutiles eorum erunt labores, nisi Deus juverit; *Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui edificent eam* (Psal. 126). Vigilant quantum volent; custodiant domum, vineam, vel civitatem, quantum fas erit; vane erunt eorum vigilia, et inutiles conatus, nisi Dominus, simul cum ipsis, custodierit; *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Ibid.). Congregare satagant immensos pecuniarum thesauros: si contra Dei voluntatem hoc faciant, non congregabunt, potius dispergent; ut enim ait Dominus, *qui non congregat mecum spargit* (Math. 12, 30). Excolant quanto studio et labore poterunt, hortos, agros, vineas et viridaria: hæc omnia sterilia erunt, nullosque producent fructus, nisi Dominus rorem suum immiserit. Literarum studiis die, nocte-

que vacant; sacros et profanos omnes volvant codices: ignari semper erunt et stolidi, nisi Deus ab alto, scientiæ et sapientiæ spiritum dederit. Nisi tandem divini providentiæ manas nobiscum sit et nobiscum labore, nihil sumus et nihil possumus: propterea Dei providentiæ magis, quam arti nostræ, magis quam laboribus et operibus nostris confidendum: imo, tota spes et fiducia nostra in Deo esse ponenda: *facta super Dominum curam tuam*. De Dei providentiâ plerique mortalium in negotiis suis nec curant, nec cogitant: imo sæpissime contra Dei ordinationem et voluntatem, nec non per vias iniquas ditari, in sæculo sublimari, potentium gratiam assequi, aliisque dominari, summo labore quaerunt. Hi quidem similes videntur araneæ, quæ e propriis visceribus materiam, quo telas suas faciat, elicit, easque multo labore, et mirabili arte texit: sed flante vento valido vel levi quodam scopula ictu dejiciuntur labiles omnes illæ telæ, omnisque aranearum labor inutilis et vanus evadit. Similem in modum omnis magnatum favor, tota mundi amicitia, divitiæ omnes, omnesque seculi dignitates, sunt quasi aranearum telæ, quæ adversi ejusque venti flatu dejiciuntur, et qui in hujusmodi rebus fidunt, aranearum telæ confidunt: *sicut tela aranearum fiducia ejus* (Job. 8, 14). Vides hominem, qui omnibus aliis omnino, supra coelos solum suum extollere, et cæteris omnibus dominari amat: dum hic tanta cogitat, advenit sæpe mors principis illius, cui innitebatur, vertitur fortune rota, et ipse quasi ad nihilum rodigitur, quia aranearum telæ innitebatur: *sicut tela aranearum fiducia ejus*. Vides alium, qui in infirmitate plus physicorum arti et medicamentis, quam Dei misericordiæ et ecclesiæ sacramentis confidit: hic telæ aranearum innititur, et ideo confundetur sicut Ochozias, qui in infirmitate non Deum, sed idola ad auxilium suum vocavit: *sicut tela aranearum fiducia ejus*. Alium vides, qui alicui ex vicinis litem intendit, ut eum agro, vinea, vel domo spoliat, plus emendicato judicium favori, quam requiriti, et juri suo fidens: in judicio forte hic vincet, et adversarium opprimet: hic quoque aranearum telam texit, quia diripiuntur sicut Achab et Jezabel, qui Naboth vineam iniquo ju-

dicio abstulerunt: *sicut tela aranearum fiducia ejus*. Alium cornis, qui testamento suo nihil dat pauperibus et ecclesiis, filiosque bonorum multorum hæredes efficit, confidens, quod largas pauperibus distribuere elemosynas, quodque multas pro anime requiæ missas dici curabunt; et hic telæ aranearum confidit, quia filii et hæredes, eo mortuo, de hæreditate gaudebunt, nec de liberando a purgatorii pœnis parente satagent: *sicut tela aranearum fiducia ejus*. Quare non in divitiis, non in filiis, non in amicis; sed in Dei providentiâ, quæ omnibus præsto est, confide; et beatus eris: *beati omnes qui confidunt in eo* (Ps. 2, 13). Utinam consideres, quid sis, quid facere, et quid habere possis, si a Dei providentiâ destituaris? Nonne existis per misericordiam Dei, qui tibi esse dedit? Nonne etiam conservaris a Deo, qui supponit manum suam, et qui si vel unico momento concursu suo te privaret, mox ad nihilum redigereris? potesne aliquid agere vel cogitare, nisi Deus adjuvet? potesne aliqua bona sive spiritualia, sive temporalia comparare, nisi Deus det? Ad tui auxilium veniant omnes orbis homines, properent peritissimi quique medici, accedant exercitus copiosissimi, de celo descendat angeli, omnis denique creatura conservationi tuæ invigilet, quid proderunt hæc omnia, si a Deo non fovearis? possuntne omnes creature, nisi adjuvante Dei ope ad staturam tuam cubitum unum adicere? possuntne vel ad unicum momentum vitam tuam prorogare? possuntne aliquid felicitati tuæ addere? hæc omnia nequeant, nisi Deus velit, et faveat; ne ergo in temetipso, nec in aliis creaturis, verum in Dei bonitate et providentiâ confide. Ne invidis meticulosos hujusmodi viros, qui de Dei providentiâ diffisi continue timent, ne quæ ad victum et vestitum necessaria sunt, sibi desint. Ideoque indesinenter anxiantur et laborant pro comparandis sibi temporalibus bonis, tantaque est eis rerum temporalium sollicitudo, ut eorum quæ salutis sunt, sæpe obliviscantur. O quam vanus et inanis ille timor! O homo, non est quod Deum in necessariis tibi desuturum diffidas. Nonne enim Deus pater tuus est, qui tuas novit necessitates? nonne tui sollicitus est, ut pius pater? nonne ut pater beneficus tuis

providet necessitatibus, modo in eo confidas, ejusque bonae voluntati non obstas? certa necessaria filiis non denegabit, qui pater est. Vide quomodo se gerat pius ille pater erga haereticos, turcas, barbaros, aliosque ingratos filios, qui toties illum peccant: nonne illis necessaria impertiri solet? quanto magis ea tibi conferet, si ei fideliter servias, et in ejus providentia confidas? Si haec non sufficiant ad pacandam tuam anxietatem, respice volatilia caeli, terrae animalia, et pisces maris, quorum cuilibet summa providentiae suae ordinatione Deus necessaria distribuit; quanto abundantius tibi, qui ratione praeditus, et ad ejus similitudinem factus es, quibus ad victum et vestitum indiges, ipse dabit, et praecipue si ejus providentia confidas, et ea humiliter postules? Rationibus illis, quae efficacissime suadent, quod Deo quoad vitam necessaria fidere debeas, adde, si vis, evidentissimum argumentum, quo utitur D. Paulus, ficens, si Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? (Rom. 8, 32). Eodem modo ratiocinare; tecum ipse dicito; si Deus proprium nobis Filium tradidit, quomodo ad victum et vestitum necessarios nobis denegabit; si proprium Filium, et cum eo sacramenta, gratias suas, et alia bona spiritualia, quae maximi momenti sunt, nobis concessit, quanto magis corporalia nobis necessaria, quae parvi momenti sunt, subministrabit? certissimum est, quod ista nobis largietur maxime si ea debite postulaverimus. Non ergo de Dei providentia diffidas; in infirmitatibus et necessitatibus, tam spiritualibus, quam corporalibus, magna cum fiducia ad Dei tribunal advola: simplex postula quae tibi sunt necessaria; Deusque ut pius pater tibi providebit. Quod si aliquando sanitatem, ciborum abundantiam, aliaque necessaria denegat, certus esto, quod id ad bonum finem faciat. Videlicet, vel ut te probet, vel ut te convertat, vel ut te periciat et salvet: ideo quidquid accidat, Dei semper providentiam adora; quidquid ex ejus ordinatione fiat, approba: bonis ab illa acceptis ad spirituales profectum utare; dabitque plura in hoc mundo, et aeterna in caelo. Amen.

FERIA II POST DOMINICAM QUARTAM.

DE TEMPLORUM PROFANATORIBUS.

Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationibus
(Joan. 2).

Inter omnia signa et prodigia, quae Christus in hoc mundo fecit, illud sancto Hieronymo mirabilis visum est, quod hic, quem omnes humili loco et ex parentibus pauperibus natum sciebant, solus sine satellite, in conspectu sacerdotum et scribarum, quibus maxime exosus erat, et ad quorum utilitatem negotiatio in templo fiebat, homines lucri cupidos, eosque plurimos, sine tumultu et sine ulla contradictione, unico quasi flagello ex funibus composito armatus eiecit: *Inter omnia signa quae fecit Christus, hoc videtur mirabilis*. At si res serio perpendatur, non unicum tibi, sed plurima elucent miracula, quae eodem tempore fecit Christus, ut doceat nos, templa Deo sacra non esse profananda. Cristus enim quasi solita mansuetudinis oblitus, flagello armatus, mensas subvertit, aes effundit, e templo expellit, ac iudicium per seipsum et manu propria exercet; *ecce unum miraculum*. Christus haec omnia facit in conspectu Scribarum et Sacerdotum, qui eum infensissimo prosequuntur odio, et quorum utilitati commercia in templo fiebant; nec tamen hi vel unicum profertur verbum, vel aliquid quidquam faciunt, ut Christi zelo se opponant: *ecce aliud miraculum*. Christus solus, unicum quasi flagellum manu gerens, mercatores plurimos e templo, in quo mercatorum licite exercere posse credebant, nemine adversante, expellit: *ecce tertium miraculum*. O quot in unica hac actione miracula? quae omnia operatur Christus, ut doceat nos, templa esse Dei domos, quae profanari, et in quibus temporalia et turpia negotia exerceri non debent. *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis*. Adversus templorum profanatores hanc habeo conclusionem. Ave.

In Christum peccaverunt, Christum ad iracundiam provocaverunt, et Christum vindicem experti sunt mercatores hi, de quibus hodiernum evangelium. *In Christum quidem peccaverunt*, cum templum ejus in turpis et iniquæ negotiationis domum converterint. *Christum etiam ad iracundiam provocaverunt*: eorum enim videns impudentiam, sancto succensus zelo in eos exarsit, et quasi mansuetudinis suæ immemor adversus illos iratus est. *Christum tandem vindicem experti sunt*: ipse enim, facto ex fomiculis flagello, illos e templo fortiter ejecit. Sicut autem templi profanatores erant mercatores hi, ita et templorum profanatores sunt innumeri christiani, qui iniqua in ecclesiis quotidie perpetrant. Ibi enim non solum garrunt, fibulantur, et rident; verum turpia, probrosa et saepe scandalosa commercia inveniunt. Ibi cachiinnis, impudicis colloquiis, et inordinatis gestulationibus, sacerdotum perturbant sacrificium, adstantium devotionem impediunt, et proximum scandalizant. Eorum ibi nulla devotio, discretio nulla, nullaque in Deum reverentia; ibi, veluti in locis profanis, sedent, clamant, ac plerumque iniqua meditantur, auspicantur, et faciunt. Quid de istis dicam templorum profanatoribus? Idem sane, quod et mercatoribus, quos Christus e templo ejecit: quicumque enim templa profanant, 1. in Deum graviter peccant: 2. Deum ad iracundiam provocant: 3. a Deo severe puniuntur. Templorum profanatores in Deum peccant, Deum irritant, et a Deo puniuntur. En tres hujus concionis partes.

I PARS.

Templorum profanatores in Deum graviter peccant.

Præclare dixit Philo hebræus, totum terrarum orbem esse *Dei templum*, quia ubique terrarum est Deus, et ubique orari potest. Sicut enim in omni tempore, ita et in omni loco Deum orare bonum est. Et ideo homines ad ubique orandum hortatur D. Paulus, dicens: *colo viros orare in omni loco* (1.

Tim. 2, 8). Bonum quidem justum, et christiana pietate dignum, quod ubique Deum oremus, cum ubique sit, ubique nos audiat, et ubique nobis benefacere, nobisque petita largiri possit: specialiter tamen cum orare tenemur in ecclesiis, ubi modo speciali habitat, ubi se magis liberalem exhibet, et ubi gratias suas hominibus majori cum abundantia impertiri solet: *in ecclesiis benedicite Domino*. Cum Abrahamo præcepit Deus, ut in holocaustum sibi filium offerret, noluit Deus, ut Abraham ipsi sacrificaret filium in quocumque loco voluerit, sed in loco, quem illi ostensurus erat: *Offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi* (Gen. 22, 24). Nostræ autem orationes, ubicumque fiant, modo debite fiant, sunt sacrificia Deo gratissima: *sacrificium laudis*. At hujusmodi sacrificia ei longe gratiora et acceptabiliora sunt, cum fiant in loco quem monstravit nobis Deus, seu in ecclesia, quæ est domus orationis; *domus mea, domus orationis est* (Luc. 19, 46). Sicut autem in ecclesiis orare, Deo gratissimum est, ita et ecclesias profanare, Deo est exosum, et graviter peccant qui ecclesias Deo sacras profanant. Si enim peccaverunt mercatores illi, qui domum orationis converterunt in domum negotiationis, quanto gravius peccant qui in ecclesiis nostris nunc stantes, nunc sedentes, nunc genuflexi, horis integris, imo pluribus horis de rebus politicis, de sæculi negotiis, de secretis familiarum, de proximi defectibus, et nonnumquam de rebus pessimis confabulantur? quanto gravius peccant, qui ecclesiam, quæ est *domus orationis*, vertunt in domum fuscissimæ loquacitatis, in domum detractionis, vanitatis, luxuriæ et scandalii? Isti sane gravissime peccant qui profanant ecclesiam, quæ est domus orationis; ac etiam, quia profanant ecclesiam, quæ est domus Dei. Ecclesia non solum est domus orationis, verum etiam domus Dei, *domus mea*. Ecclesia est domus Dei, quia in ea Deus speciali quodam modo habitat. Certum est, Deum ubique esse, ratione suæ immensitatis nec potest aliquis reperiri locus in quo Deus non sit; unde, sicut Jovem suum ubique esse fabulose dicebant gentiles, *Jovis omnia plena*; ita Deum nostram non fabulose, sed vere et realiter ubique esse dicimus. Deus autem

qui ubique est per essentiam, presentiam, et potentiam suam, modo quodam speciali in cœlo, et in templo habitat: in cœlo, in quo veluti in throno suo sedere dicitur, *cœlum mihi sedes est* (Act. 7); et in templo quod maiestatem suam replet, *et ecce implevit gloria Domini domum Domini* (Ezech. 44). Anima rationalis, quæ omnes humani corporis partes informat, et quæ omnibus ejus membris præsens est, specialiter in corde et in capite esse dicitur; *in corde*, ubi spiritus illos efficit, quos vitales dicimus, quia totum corpus vivificant; *in capite*, ubi spiritus animales, qui visioni et aliis operationibus sensitivis inserviunt, mirabiliter producit. Eodem autem modo Deus, qui ubique est, specialiter esse dicitur in cœlo, et in templo: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo* (Ps. 22). Deus est specialiter in cœlo, quia ibi sanctos beatificat, et glorificat: est etiam specialiter in templo, quia ibi peccatores justificat, et justos innumeris bonis afficit. Vel dicendum, Deum specialiter esse in cœlo, et in templo; quia Deus homo factus, seu Christus, vere, realiter, et corporaliter est in cœlo, et in templo: *est in cœlo*, ubi sedet ad dexteram Patris: *est in templo*, ubi sub speciebus Eucharistiæ latet, sequæ nobis manducandum præbet.

Nec de hoc est ullus ambigendi locus: fides enim docet, quod ipsemet Christus, Mariæ Virginis filius, qui in hunc mundum venit, ut homines redimeret; quod ipsemet Christus Dominus, qui natus est in Bethlehem, qui tot prodigia operatus est in terra, et qui omnes sanetos in cœlo beatificat; quod ipse Christus, qui terram vestigiis suis sanctificavit, et coram quo adorantes in cœlo procedunt angeli; quod, inquam, ipse Christus, ita sit præsens in templo, sicut præsens adfuit præsepio in die nativitatis; *monti*, in die qua prædicavit; *et calvario*, in die qua passus est. Templum ergo est domus Dei, quia Deus in templo, modo quodam speciali habitat; et quia Christus Dominus in templo vere, realiter et corporaliter adest; cum igitur templum sit domus Dei, quis non credat, eos graviter peccare, qui commerciis illicitis, avaritiâ, superbiâ, luxuria, scurrilôquio, detractionibus, sacrilegiis et aliis criminibus

templa profanant? peccant quidem, qui hæc crimina extra templum perpetrant; gravius autem, imo et gravissime peccant, qui ea in ecclesia operantur, quia vix ulla major injuria Deo irrogari potest, quam in sua ipsius domo sceleribus operam dare ac tremendam nimis divinam Majestatem coram provocare. Impietas est ergo maxima Dei templum violare, eo quod sit Domini domus, *ac etiam ejusdem quasi paradus in terra*. Ecclesia, inquit sanctus Bernardinus, *est quasi parvulus paradus in terra*. Dici potest ecclesia parvulus paradus in terra, quia sicut in cœlo ita et in ecclesia Deus est modo quodam speciali: ibi etiam Christus vere et realiter: ibi angeli, et archangeli (1) ibique est aua coelestis. Dicitur etiam ecclesia paradus in terra, quia sicut in paradiso omnia sancta sunt, ita et in ecclesia, in qua Deus, Christus, angeli, sacramenta, sacrificia, cruces, altaria et omnia sancta sunt. Cum ergo qualibet ecclesia sit quasi parvulus paradus in terra, graviter haud dubie peccant qui ecclesias profanant; et peccata quæ in ecclesia perpetrant, graviora sunt ratione loci, in quo peccant. Licet angeli, et Adami peccata ejusdem fuerint speciei, quia utroque superbiâ, et inobedienciâ peccavit: angeli tamen peccatum, Adami peccato gravius extitisse ducimus ex hoc, quod Adami remissibile, et angeli irremissibile peccatum fuerit. Unde sumitur major illa gravitas peccati angelorum? A quo habent superbiâ et inobedienciâ angelorum, quod graviores sint, quam inobedienciâ et superbiâ Adami? Major gravitas peccati, quod perpetravit angelus, sumitur ex loco in quo peccavit, quia scilicet peccavit in cœlo, et in palatio Domini, quod crimine

(1) Testantur SS. Patres, inter quos S. Joannes Chrysostomus et S. Nilus Abbas, angelorum throno sacris altaribus adeste, quoties divinum sacrificium offertur; verum et expleto sacrificio, angelorum Dominiun speciebus eucharisticis velatum, atque in tabernaculo reconditum semper assistentes habere coelestes spiritus, merito creditur. Hoc attigisse videtur S. Paulus, cum præcipit mulieres potestatem (sicut velamen) habere supra caput propter angelos in ecclesia præcipue assistentes, palatris aut impudentis ipsarum testes et accusatores, inquit S. Chrysostomus. N. E.

suo contaminavit, et quasi profanavit: *desperatus diabolus poenam incurrit; quia in ipsis oculis divinitatis offendit, et palatium Domini profanavit* (Chrysos. ser. 16). Si peccasset in terra sicut Adamus, minus grave fuisset ejus peccatum, longe gravius extitit, et excusatione indignus, quia peccavit in cœlo, et in palatio Deitatis illudque crimine suo profanavit. Idem autem dicendum de peccatis, quæ intra, et quæ extra ecclesiam perpetrantur; cæteris enim paribus, longe graviora sunt crimina eorum, qui in ecclesia peccant, quia criminibus suis profanant ecclesiam, nempe domum Dei, et quasi parvulum paradysum in terra. Dices forte, quod in ecclesia non pecces, cum in ea solummodo interdum garras, et confabuleris, quæ levissima vel nulla, minime vero gravia peccata sunt. Falleris; quæ indifferentia arbitraris, aut levissima, sepe gravia peccata sunt. Verum quidem, quod extra ecclesiam garrere, et confabulari habeatur ut quid indifferens; qui vero in ecclesia absque necessitate aliqua loquitur et confabulabitur, delinquit eo quod contemptui habet locum sanctum, ac propter scandalum quod præbet proximis. Hen! inquit Chrysostomus, si garrere cupitis, nonne domos habetis ad garrendum? *quid? domos ad nugandum non habetis? Ecclesiam Dei contemnitis. Si quis est qui modestus, qui tacitus esse velit, corruptipit?* Qui ergo in ecclesia garrunt, eandem ecclesiam contemnant et profanant, quod sane culpa non vacat; *Ecclesiam Dei contemnitis; peccant etiam in proximum, quem scandalizant et corrumpunt; si quis est, qui modestus, qui tacitus esse velit, corruptipit.* Unde divus Ambrosius de his qui in ecclesia garrere et confabulari solent, ait, quod *cum parvo peccato ad ecclesiam veniunt, et cum peccatis multis de ecclesia recedunt.* Ideo pro certo habete, quod qui in ecclesia sine causa legitima garrunt et confabulantur, peccant: et si garrunt tempore sacrificii, gravius peccant. Ac longe gravius peccant, qui ecclesias profanant commerciis iniquis, impudicis tactibus, scandalosis gestulationibus, furtis, et aliis criminibus. Ista enim peccata, quæ in se gravia sunt, graviora et gravissima fiunt, ex cir-

cumstantia loci, in quo perpetrantur; et maxime ex hoc gravantur, quod patrantur in ecclesia, quæ est domus orationis, domus Dei, et aliqualis paradysus in terra. Templorum ergo profanatores graviter in Deum peccant. *Deum etiam ad iracundiam provocant.*

II PARS.

Templorum profanatores Deum ad iracundiam provocant.

In Christo omnes mirum in modum illuxere virtutes, præcipue vero admiranda mansuetudo, quam tunc maxime manifestavit, cum illi injuriam homines irrogarunt. Contemplamini eum in cunis jacentem et vagientem: nonne ibi eum Herodes quæsit ad necem? Quid autem tunc Christus? Anne impium hunc principem ab angelis suis dire feriri mandavit? Anne ignem de cœlo descendere jussit, ut illum absumeret? forte terræ imperavit, ut illum deglutiret, vel omnes adversus illum creaturas armavit? Nequaquam. Quid ergo Christus? Tanta ejus extitit mansuetudo, ut nec quidquam mali illi fecerit; tacitus in Egyptum secessit: *secessit in Egyptum* (Matth. 2, 14). Hanc demiror Christi adhuc pueri mansuetudinem: notate major effectus majora edidit mansuetudinis sue signa erga obstinatos Judæos, qui ei semper infensissimi fuerunt. Hi conviciis, contumeliis, et impropriis multis illum affecerunt, ac illum modo populi seductorem, falsum prophetam et Samaritanum, modo demonia habentem dixerunt: *nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et demonium habes?* (Joan. 8, 48). Ipse autem, in spiritu lenitatis et mansuetudinis, solummodo respondit: *ego demonium non habeo.* Hæc tunc fuit Christi mansuetudo erga Judæos: insipientiam quomodo se habeat Salvator erga illos ipsos, a quibus flagellatur, conspuitur, spinis coronatur, alapis impetitur, morti adjudicatur, et cruci affigitur? In his omnibus nil nisi clementiæ et mansuetudinis signa edidit, ac semper *sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os*

suam (Act. 8, 32). O miram, et nunquam satis commendatam Salvatoris mansuetudinem? Christus tamen, cuius tanta erat mansuetudo, Jerosolymitanum ingressus templum, ibique repens vendentes boves et oves, adeo adversus iniquos illos mercatores irascitur, ut *cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque et boves, et numulariorum effudit es, et mensas subvertit* (Joan. 2). Unde tam insolita mansuetissimi Salvatoris iracundia? Unde hæc ejus ira? A templi utique profanatoribus, qui illum ad iracundiam provocant, quia templum, sibi sacram, iniquis negotiationibus, et multis criminibus profanant. Nihil tam principum magnanimitatem ostendit, commendat dignitatem, et majestatem illustrat, quam clementia et mansuetudo. Hæc virtutes in his plerumque elucet, sive ex innata propensione, sive ex data his educatione; et his virtutibus supra alios homines maxime extolluntur, nec non a vili secernuntur populo, qui ad iram et ad vindictam pronus esse solet. Unde sicut plebei similes sunt apibus, quæ quocumque modo nocentibus mox spicula figunt, ita, inquit S. Ambrosius, principes similes sunt apum regi, qui nulli spicula figere novit. Licet autem mansuetudinem ament et curent principes, ac de ea quasi gloriantur, quedam tamen sunt crimina, quæ illos ad iracundiam provocare solent; quæ sunt crimina eorum, qui illis in proprio palatio injuriam irrogant, et contumeliam faciunt. Hæc de causa ad iracundiam concitatus est rex Assuorus, cum credidit, quod reginam in proprio palatio superbus Aman opprimere voverit; sic etiam de Augusto imperatore legimus, quod a solita deservit mansuetudine, et ad iracundiam provocatus sit videns, quod ab impudentibus quibusdam viris etiam in proprio cubiculo, sibi injuria irrogaretur. Sicut autem Christus dignitate, ita et mansuetudine omnes terre principes superat, ac sicut etiam terreni principes solite suæ obliviscuntur mansuetudinis, cum quis ipsis in proprio palatio injuriam aliquam infert, ita Christus ad iracundiam provocatur, cum in palatio suo, seu in templo ei injuria irrogatur. Unde Christus simul dicitur agnus et leo: est enim agnus mansuetissimus, quoad illos

qui eum extra templum peccatis laudant; est leo ferocissimus adversus illos qui templa profanant. Isti enim eum ad iram provocant eo quod audeant in proprio palatio illum aggredi, seu in ecclesia, quæ est ejus palatium, et quæ, ut loquitur S. Chrysostomus, *locus est angelorum, locus archangelorum, regia domus Dei, et colum ipsum*.

Jure Gentium quisque in domo sua, quasi in loco tuto versatur: nec aliqua est natio, quæ cujusque domum non inspiciat tamquam locum refugii, in quo nullus eum aggredi, nullusque illi injuriam facere debet: *domus sua unicuique tutissimum refugium, ac receptaculum est*; unde gravissima est injuria, quam quis alteri infert, cum illum in propria domo persequitur. Hæc autem est injuria, quam Christo irrogant templorum profanatores: illum aggrediuntur, illum persequuntur, illique contumeliam faciunt in propria domo, et in proprio palatio: videte an merito adversus illos irascatur. Eo tempore quo Christus eiecit mercatores de templo, innameri erant in urbe Jerosolyma omnis generis peccatores, qui, ut ait Josephus, in foro, in platea, in caupona, et ubique in Deum peccabant; Christus tamen in solos mercatores iratus est, quia illi eum in propria domo persecuti sunt, eumque profanationibus suis ad iracundiam provocaverunt. Jamvero heu! si irascitur Christus in mercatores illos, qui Dei templum profanasse videntur, quoad hoc solum, quod animalia ad sacrificia peragenda, in eo vendebant, quanto magis irascetur in male moratos juvenes, qui in ecclesia, sicut in comedia se gerunt; et qui oculos ibi continuo volvunt, ut intrantium et adstantium juvenularum gressus, habitus, mores, atque facies decorem attente contemplantur? Quanto magis irascetur in frontosas illas adolescentulas, qui in templo suis arident precis, ac signis, nutibus, suisque gestulationibus circumstantes scandalizant? Quanto magis in eos irascetur, qui in Dei domo de granorum pretio, de messe, de fructuum abundantia, de temporalibus negotiis, de bonis et de malis loquuntur, non secus ac si in foro, vel platea essent? Quanto magis in eos irascetur, qui in ecclesia iniquas meditantur actiones, imo et sope ad prava, pudenda, et horrenda

declinant? Hi sane omnes Christum profanationibus suis ad iracundiam provocant, et si ante mortem poenitentiam non egerint, in tremendo iudicii die, modo extraordinario et terribili in illos irascetur et seviet. In omnes quidem inimicos suos tunc irascetur Christus: *irascens ipse inimicis suis*; præcipue vero adversus templorum profanatores, qui in domo sua, in palatio et sanctuario suo eum aggressi et persecuti sunt. De Platone narrat Seneca, quod cum unus aliquis ex servis grave atque perpetrasset crimen, alteri ex famulis, cui nomen erat Eusippus, correptionem et punitionem illius demandarit dicens: *heus tu ipse, Eusippe, hunc punias; ego enim nimium irascor*. Cum tamen elapsis quibusdam diebus, in longe gravius crimen incidisset idem servus, irasci non timuit Plato: quin contra tunc irasci voluit, et hunc servum ira sua dignum tunc iudicavit; quapropter ejus correptionem sibi reservavit, dixitque Eusippo: *siste tu, dignus es nunc ira mea*. Haud dissimiliter benignus Christus alia crimina quasi dissimulat, et in peccatores qui illa perpetrant, minus irascitur: at templorum profanatores digni sunt ira ejus, et in tremendo iudicii die adversus illos supra modum irascetur. Videtis sæpe juvenem hunc impium, qui in templo, dum venerandum illud, et angelicis spiritibus formidandum sacrificium offertur, nunc garrir, nunc clamat, nunc ridet, et nunc pejora facit. Miramini, quod Deus taceat, quod Deus dissimulet, quodque Deus non mittat ignem de celo, ut illum absumat: si modo adversus illum non irascitur Deus, in illum terribiliter irascetur, cum ad iudicandum veniet. Tunc de illo dicit: *dignus est nunc ira mea*. Videtis nonnunquam adolescentulas, quæ in templo et in medio populi impudentioris superbiæ signa edunt, quæ luxuriæ scintillas emittunt; quæ plus ad amasium, quam ad altare in quo offertur Christus respiciunt, et in quibus nulla devotio, nullusque divinæ majestatis respectus elucet. Stupescitis, quod Deus tam indigna patiatur: expectate dum veniat ad iudicandum Dominus. Tunc enim dicit: *hæ dignæ sunt ira mea*: et adversus illas, sicut et adversus omnes templorum nostrorum profanatores horrendum in modum irascetur. Si enim, inquit

S. Thomas a Villanova, iratus est Christus in profanatores templi Salomonis, quanto magis irascetur in profanatores templorum nostrorum, *quæ longe sanctiora sunt; in illo enim animalia comburebantur, at in istis corpus Christi immaculatum, et pretiosus sanguis offertur*. Certe in illos plus quam dici possit, irascetur: itaque ab hujusmodi abstinet profanationibus. At non solum ab iis abstinendum, quia templorum profanatores Deum ad iracundiam provocant, verum etiam quia a Deo severe puniuntur.

III PARS.

Templorum profanatores a Deo severe puniuntur.

Ut Ezechiel propheta magnas, quæ in templis fieri solent, abominaciones Deus manifestaret, dixit ei ut templum ingrederetur: *Ingrederere, et vide abominaciones pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidit, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium, abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete, in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus domus Israël... et unusquisque habebat thuribulum in manu sua: ut, scilicet, idolis incensum adoleret. Jam a tot abominacionibus attonitus erat propheta, cum ecce dixit ei Deus, majores adhuc in templo fieri abominaciones, quod ut illi ostenderet, introduxit eum per ostium templi, quod respiciebat ad Aquilonem; et ecce ibi mulieres sedebant plangentis Adonidem. O quales abominaciones! ast majores adhuc in templo fiebant, quas ut propheta Deus patrefaceret, introduxit illum in interiori templi atrium, et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et adorabant ad ortum solis. Cum autem Judæorum iniquitatem et abominaciones Ezechiel Deus manifestasset, declaravit ei, quod illis nullo modo parceret, at eos severe puniret: non parcat oculus meus, nec mis-*

rebor. Ecce ideam, et quasi prophetiam abominationum, quæ in ecclesiis nostris fieri solent: quam multi enim ibi adolescentulas, tamquam idola sua, venerantur! Quot prava in cordibus eorum irrepunt desideria! quot juvenes, ut bruta animantia, ferinis et obscenis ibi ciantur affectibus! quot ibi filia ad suos anhelant Adonides! quot ibi homines altari, sacramentis et ipsi Deo targa vertant, seu spiritualia et divina contemnunt! At in ecclesiis nostris majores adhuc videntur abominationes: ibi enim idololatricæ, ibi sacrilegiæ, ibi impudicitie multe perpetrantur: illucque accedunt multi *ad adulteria componenda, ad lenocinia tractanda* (Tert. Apol. 5). Taceo alias multas abominationes, quæ in ecclesiis nostris sunt: sciant autem hi templorum profanatores, quod illos severe punit Deus, nec illis quocumque modo miserebitur, si in hoc mundo penitentiam non egerint, *non parcat oculus meus, nec miserebor*. In ecclesiis nostris baptizantur, ab originali noxa abluuntur, et confirmationis sacramento ad constanter pro fide decertandum roborantur: ibi per penitentiam Deo reconciliantur, et de lapsu et relapsu a Deo misericordiam impetramus; ibi ad ecclesiasticam mania rite decenterque obeunda ordinamur; ibi Christi corpore et sanguine paschimur et saginamur, aliisque multis, et maximis a Deo beneficiis afficimur: si propterea post tot accepta in ecclesiis nostris beneficia, eas violamus et profanamus, Deus nos severe punit, nec quomodocumque ad nobis indulgendum flecti poterit, *non parcat oculus meus, nec miserebor*. De gentilibus referi moralis philosophus, quod idolorum suorum templa ingrederentur in omne modestiæ argumentum compositi; quodque ibi sacrificia offerentes, magna deos suos reverentia cohererent, *intra templa compositi; ad sacrificandum accessuri, cultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur* (Senec. natur. qu. 7, 36). Ad hanc in templis modestiam, et ad hanc erga deos suos reverentiam adducebantur ex hoc maxime, quod firmiter crederent, omnia mala, omnia ipsis evenire damna, eo quod minus reverenter templa et idola sua tractarent. Quod experimento se didicisse dicebant. Heu! inquit Augustinus,

si hi idololatricæ se puniri conebant, et revera puniebantur, quia in templis suis minus reverenter se habebant, quanto gravius punientur christiani, qui ecclesias, in quibus non idola, sed verum Deum colere profitentur, criminibus suis violant, et profanant? *si gentiles illi putabant ipsis tot mala pessima evenisse, eo quod irreverenter deorum suorum profana templa tractassent, quid nos promerebimur, si veri Dei nostri ecclesiam profanaverimus?* (August.). Certe graviter, etiam in hoc mundo, sepe punit Deus templorum profanatores, et facile crederim, quod sepe moriatur filius quem pater diligebat, langueat filia quam mater adorat, depopulentur segetes, ignis de cælo cadat, et aliis innumeris flagellis Deus homines plectat, quia hi templa criminibus et irreverentis suis profanant. His autem longe majora sunt futura supplicia, quibus Deus templorum profanatores punit, *cum illos æterna beatitudine privabit, et inferni suppliciiis adjudicabit*. Asserit divus Paulus, quod Deus illum disperdet, qui templum profanaverit; *si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus*. Quomodo illum disperdet? Ita sano, ut illam æterna beatitudine privet: *in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini* (Is. 26, 10). Ecce penam, qua Deus templorum profanatores plectit. O impie ad templum te confers, ut ibi sicut in platea, in foro, vel in comœdia te geras; o indurate peccator, ad ecclesiam venis, ut illam verbis obscenis, impudicis aspectibus, et iniquis actionibus violes. Tu impudens adolescentula, tu nequam meretricula, templo adstantes, profani amoris igne inflammare satagitis; o scelerosi quique, qui in conspectu dominici sacramenti, et dum divina mysteria celebrantur, jocis, iniquis gestulationibus, et pudendis commerciis ecclesiam profanatis, Dei judicia pertimescite, Deum timete, qui in profanationum vestrarum penam, æterna vos privabit beatitudine: *in terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Domini*. O terribilem comminationem! *Durus est hic sermo, et comminatio calde terribilis*, inquit sanctus Bernardus: non igitur templa profanetis, cum Deus templorum profanatores tam severe punit primo a cœli gaudiis eos expellendo,

dein æternis inferni supplicii adjudicando. Nadab et Abiu, Aaronis filii unicum inadvertentiæ et inconsiderationis peccatum in templo perpetrarunt, cum ignem alienum Deo obtulerunt: *inconsideratione peccaverunt*, inquit Salvanus; hi tamen ob unicum inconsiderationis delictum in templo patratum ab igne consumpti sunt. Grave quidem illud supplicium; quibus vero plecti merentur poenis, qui in ecclesiis nostris iniqua gerunt; qui templa nostra violant, Deique domum profanant? isti profecto ad ultimos tartari flammæ in æternum condemnabuntur: *qui istis precibus non insistitis, sed fabulis, jocos, et aliis peccatis, cum ipso dæmone ad æterna pergitis tormenta.* Turcæ, homines cæterum barbari, coram imperatore suo relinquitur statuæ consistunt, et in conspectu ejus non solum confabulari, sed nec unicum verbum in alicujus ex adstantibus anrem insurreare audent. Philosophus prohibuit Julianus imperator, ne in lyceæ confabularentur: imo et ne quidem respirarent: *in lyceæ ac gymnasio, ne respirandum quidem.* Gentiles etiam in profanis templis suis et coram idolis nec loqui nec respirare audebant. Multi autem christiani ita impudentes sunt, ut in ecclesia, in qua Christus rex et imperator noster residet; ut in ecclesia, quæ veneranda et augusta est omnium virtutum schola; ut, inquam, in ecclesia Deo sacra, coram Christo et angelis ejus non solum loquantur et rideant, etiam de negotiis sæcularibus et quandoque iniquis pertractent, quo nihil indignius, nihil pejor videtur: *an quidquam indignius est, quam oracula divina circumstrepere, circumsonari sacramenta confusis vocibus, dum gentiles idolis suis recerentiam tacendo deferunt?* (Amb. l. 3 de Virg.). Certo nil christiano nomine indignius: ideo christiani illi, qui templa profanant, ni corde poeniteant et a suis abstineant profanationibus, eos Deus ad inferni supplicia damnabit, ibique dirissime plectet: *perdet illos Dominus*, inquit sanctus Antoninus, *animas eorum inferis adjudicando.* Abstinet ergo ab ecclesiarum profanationibus, ut in Deum non peccetis, ut Deum ad iracundiam non provocetis, ut a Deo severe non plectamini. Ab his sane abstinere primæ christiani,

de quibus ait Philo, quod tantum eorum in ecclesia erat silentium, *ut ne mutire quidem cuiquam liceret, aut respirare vehementius.* Quod, ut refert Cassianus, a multis christianorum millibus, qui sub ejus cura videbant, religiose servatum est: *Hi*, inquit, *cum solemnitates, quas synaxes vocant, celebraturi conveniunt, tantum a cunctis silentium prebetur, ut cum in unum tam numeroso fratrum multitudine conveniat præter illum, qui consurgens psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur. Ac præcipue cum consummatur oratio, in qua non spiritum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, nulla vox ante sacerdotis precem concludentis auditur.* Heu! quantum ab omni templorum profanatione alieni erant hujusmodi christiani! eos imitari, ac in templo religiosum servate silentium. Vel etiam in templo eodem modo vos habete, quo angeli in cælo, ubi Deum laudant, adorant, et timent: *laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates.* Angeli in cælo Deum laudant; eum in ecclesia laudate, et toto cordis affectu invocato: Deum angeli in cælo adorant, et summe venerantur; eum in templo adorato, et reverenter colite: Deum in cælo timent angeli; eum in templo timete, ac ibi cum metu et timore debita officia persolvite, vel iis adstate. O quam præclarum, quam religiosum, et utile foret, si quisque in templo Deum oraret, honoraret, et timeret! Si catholici ad nugas, ad garrulitatem, ad immodestiam, et ad pejora in templo non declinarent, verum ibi Deum ferventer orarent, et sanctos cum timore venerarent, id sane in templo facerent, quod in cælo faciunt angeli, et quævis ecclesia esset quasi paradisi in terra. Si catholici ecclesias non profanarent, verum in iis Deum debite colerent, innumeras a Deo gratias impetrarent, et gravia, quibus plectuntur templorum profanatores, supplicia devitarent. Igitur si quocumque modo templa unquam profanastis, veniam a Deo supplices postulate, ac firmiter statuite, sic in posterum vos habituros in templo, sicut angeli in cælo. Quod si feceritis, cæli januas vobis aperiet Dominus, ut ibi simul cum angelis in æternum eum laudetis. Amen.

FERIA III POST DOMINICAM QUARTAM.

DE DEI MANDATIS.

Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? (Joan. 7, 19).

In ecclesia Christi primordio, magno cum spiritus fervore legem Dei serrabant christiani, et inter eos multi non mandata solum, verum et ipsa consilia evangelica perfectissime custodiebant: subsequentibus sæculis primævo hoc fervore cessante, vix in mundo reperitur qui fideliter et perfecte Dei legem custodiat: unde merito hujus ævi christianis exprobrare possemus, quod a lege Dei deviant ac eis dicare: *Nonne Christus dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem?* O christifideles, si Dei jugum fregistis, si legem ejus violastis si mandata ejus non custodistis, in posterum æquissimam hanc Dei legem scitote fideliter servandam, et mandata ejus perfecte custodienda. Omni quidem tempore Dei legem servandi cuique onus incumbit; nunc vero maxime ejus observationi est studendum, eam tot homines eam impudenter violant. Nunc cum plerique legem Dei dissipant, eam alii majore cum fidelitate servare debent, majorem sui erga Deum amorem ostendere: *tempus faciendi, Domine: dissipaverunt legem tuam.* Ad hanc mandatorum Dei observantiam vos adducere conabor: cumque sine Dei gratia hæc perfecte doceri et servari nequeant, ad oculos prius extollamus mentem, preces ad Deum fundamus, et Spiritus Sancti gratiam humiliter postulemus, mediante Dei Genitricis intercessione. *Ave.*

Hæretici, desides et impii mandata Dei servare renunt. Hæretici hujus temporis de eorum observatione non curant, illa impossibilia dicentes: docentque, justis etiam volentibus et conantibus deesse gratiam, qua possibilia fiant. *Desides* et pigri ea servare non satagunt, ideo quod non quidem

impossibilia, sed servatu difficilia credant; eaque esse onera gravissima et importabilia opinantur. *Impii* ea impudenter violant, quod ipsa servare vel non servare, tanquam quid indifferens existiment; iisque perinde est, quod bene vel male agant. *Mandata Dei servare est impossibile*; ecce hæreticorum commentum; *mandata Dei servare est difficile*: ecce desidum et ignavorum stultam excusationem; *mandata Dei servare est indifferens*; ecce impiorum proterviam. Jamvero falluntur et graviter hallucinantur hi omnes: adversus hujusmodi errores et impietates statuendum; Dei mandata servare non esse impossibile, sed possibile; non difficile, sed facile: non indifferens, sed absolute necessarium est. Mandata Dei servare est 1. possibile; 2. facile; 3. necessarium.

I PARS.

Dei mandata servare est possibile.

Dei mandata non esse observatu impossibilia ipse omnis veritatis author testatur et asserit, dicens: *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est (Deut. 30, 11).* Quod verissimum esse comprobant illustres multi utriusque testamenti heroes, qui Dei legem adamussim servarunt. De Josue enim dicitur, quod *sicut præceperat Dominus Moysi sero suo; ita præcepit Moyses Josue, et ille universa complexit: non proterit de univærsis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserrat Dominus Moysi (Jos. 11, 15).* De Davide loquens Deus, ait, *non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo (3 Reg. 14, 8).* De sanctis Zacharia, et Elisabeth legimus, quod *erant justis ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela (Luc. 1, 6).* In sancto etiam Evangelio habetur, quod cum Christus adolescenti cuidam dixisset, Dei mandata esse servanda, respondit ille: *omnia hæc custodiavi a juventute mea (Matt. 19, 20).* His et aliis sacre Scripture locis constat, Dei man-

FERIA III POST DOMINICAM QUARTAM.

DE DEI MANDATIS.

Nonne Moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? (Joan. 7, 19).

In ecclesiæ Christi primordio, magno cum spiritus fervore legem Dei serrabant christiani, et inter eos multi non mandata solum, verum et ipsa consilia evangelica perfectissime custodiebant: subsequentibus sæculis primævo hoc fervore cessante, vix in mundo reperitur qui fideliter et perfecte Dei legem custodiat: unde merito hujus ævi christianis exprobrare possemus, quod a lege Dei deviant ac eis dicare: *Nonne Christus dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem?* O christifideles, si Dei jugum fregistis, si legem ejus violastis si mandata ejus non custodistis, in posterum æquissimam hanc Dei legem scitote fideliter servandam, et mandata ejus perfecte custodienda. Omni quidem tempore Dei legem servandi cuique onus incumbit; nunc vero maxime ejus observationi est studendum, eam tot homines eam impudenter violant. Nunc cum plerique legem Dei dissipant, eam alii majore cum fidelitate servare debent, majorem sui erga Deum amorem ostendere: *tempus faciendi, Domine: dissipaverunt legem tuam.* Ad hanc mandatorum Dei observantiam vos adducere conabor: cumque sine Dei gratia hæc perfecte doceri et servari nequeant, ad oculos prius extollamus mentem, preces ad Deum fundamus, et Spiritus Sancti gratiam humiliter postulemus, mediante Dei Genitricis intercessione. *Ave.*

Hæretici, desides et impii mandata Dei servare renunt. Hæretici hujus temporis de eorum observatione non curant, illa impossibilia dicentes: docentque, justis etiam volentibus et conantibus deesse gratiam, qua possibilia fiant. *Desides* et pigri ea servare non satagunt, ideo quod non quidem

impossibilia, sed servatu difficilia credant; eaque esse onera gravissima et importabilia opinantur. *Impii* ea impudenter violant, quod ipsa servare vel non servare, tanquam quid indifferens existiment; iisque perinde est, quod bene vel male agant. *Mandata Dei servare est impossibile*; ecce hæreticorum commentum; *mandata Dei servare est difficile*: ecce desidum et ignavorum stultam excusationem; *mandata Dei servare est indifferens*; ecce impiorum proterviam. Jamvero falluntur et graviter hallucinantur hi omnes: adversus hujusmodi errores et impietates statuendum; Dei mandata servare non esse impossibile, sed possibile; non difficile, sed facile: non indifferens, sed absolute necessarium est. Mandata Dei servare est 1. possibile; 2. facile; 3. necessarium.

I PARS.

Dei mandata servare est possibile.

Dei mandata non esse observatu impossibilia ipse omnis veritatis author testatur et asserit, dicens: *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est (Deut. 30, 11).* Quod verissimum esse comprobant illustres multi utriusque testamenti heroes, qui Dei legem adamussim servarunt. De Josue enim dicitur, quod *sicut præceperat Dominus Moysi sero suo; ita præcepit Moyses Josue, et ille universa complexit: non proterit de univærsis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserrat Dominus Moysi (Jos. 11, 15).* De Davide loquens Deus, ait, *non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, et secutus est me in toto corde suo (3 Reg. 14, 8).* De sanctis Zacharia, et Elisabeth legimus, quod *erant justis ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela (Luc. 1, 6).* In sancto etiam Evangelio habetur, quod cum Christus adolescenti cuidam dixisset, Dei mandata esse servanda, respondit ille: *omnia hæc custodiavi a juventute mea (Matt. 19, 20).* His et aliis sacre Scripture locis constat, Dei man-

data esse possibilia, eaque a multis fuisse servata; cum ergo hoc dicat Deus, nonne ei magis credendum, quam hæreticis, qui mandata Dei ab hominibus servari non posse effutunt? certe Deo qui prima veritas est, et qui mentiri non potest, firmiter credendum ac fatendum, quod mandata servare sit possibile. Quo argumento usus est D. Augustinus, dicens: *In omnibus Scripturis Deus tibi dicit, quia potes; tu vero e contrario respondes, non posse; considera nunc utrum Deo an tibi debeat credi. Et ideo quia veritas mentiri non potest, nunc vanas suas excusationes relinquat humana fragilitas* (in ps. I. serm. 7). Alia ratione utitur D. Augustinus, ut probet, Dei mandata esse possibilia, dum dicit blasphemos esse illos, qui ea impossibilia esse docent; *execramur eorum blasphemias, qui dicunt aliquid impossibile homini a Deo esse præceptum* (Serm. 19 de temp.). Blasphemi quidem sunt, et in Dei sapientiam blasphemant, qui Deum impossibilia jussisse asserentes, Deum stultum et insanum faciunt. *Quis non clamat*, inquit D. Augustinus, *stultum esse præcepta dare ei, cui non est liberum, quod præcipitur, facere?* Sic loquitur Libro de fide contra Manichæos, c. 19. Et alibi ait: *summæ iniquitatis et insanie est, aliquem tenere reum, quando id non facit, quod facere non potest.* Qui ergo dicunt, quod Deus impossibilia jubeat, blasphemant contra infinitam ejus sapientiam, eam ita stultum putantes ut ea præcipiat hominibus, quæ facere est eis impossibile; ita iniquum et insanum proficientes, ut reos teneat, qui illa non agunt quæ facere nequeunt. Nonne merito stultus censendus esset ille rex, qui subditis suis præciperet, ut usque ad nubes volarent, ut corpora solidiora penetrarent, ut lutum in aurum converterent, vel alia eis impossibilia facerent? insipiens quidem et stultus cuique videretur ille princeps, ac omnes stultum dicerent; *quis non clamat, stultum esse præcepta dare ei, cui non est liberum, quod præcipitur, facere?* Hæc de stultitia quidem Deum accusant, qui mandata ejus impossibilia esse docent; hæc blasphemiam contra infinitam Dei sapientiam evomunt: e contra cum Deus non stultus, imo sit infinita sapientia, fatendum quod

impossibilia non jubeat, et quod mandata ejus servare possibile sit. Non solum in infinitam Dei sapientiam blasphemant, qui Deum impossibilia dicunt; verum etiam in infinitam ejus justitiam, dum eum ita iniquum faciunt, ut hominibus impossibilia præcipiat, eosque æternis suppliciis adjudicet, quia quæ eis impossibilia erant, non adimpleverunt: *Quis non clamat, iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* et *has injustitias et iniquitates miseri non intelligunt, Deo se adscribere* (S. Aug. de fide c. Manich. 19). Nonne injustus esset ille judex, qui hominem ad furcas damnaret, eo quod usque ad nubes non volaverit, vel aliud aliquid sibi impossibile non fecerit? magna quidem hæc ejus esset injustitia; sed ecce identidem injustitiam qua Deum accusant, qui eum impossibilia jussisse dicunt; ecce execrandam blasphemiam, quam in eum evomunt: *execramur eorum blasphemias, qui dicunt aliquid impossibile homini a Deo esse præceptum.* Aliam rationem, eamque urgentissimam desumo ex D. Augustino dicente, quod si Dei mandata essent impossibilia, nullus peccaret, cum illa violaret; quia nemo peccat, cum facit id, a quo faciendum non potest abstinere, vel cum non facit id, quod facere ei est impossibile. *Quis peccat*, inquit D. Augustinus, *in hoc quod nullo modo caveri potest?* quasi dicat: nullus. Et ut ait Doctor Seraphicus: *nemo etiam venialiter peccat in eo, quod nullo modo prohibere potest, nec etiam potuit præcavere.* Quare si impossibilia essent Dei mandata, nullus peccaret, ea violando. Et sic omnia licerent, possetque quilibet occidere, fornicari, furari, et gravissima quævis crimina perpetrare, ac deinde dicere, non peccavi, cum hæc feci; quia non potui non occidere, non fornicari, non furari, et alia crimina perpetrare. O execrandam doctrinam, quæ ad omnia crimina aperitur janua! O errorem intolerabilem, quo omnia licere statuitur, cum Dei legem servare impossibile dicitur! Huic similem aliam rationem adducunt S. Hieronymus, et Tertullianus, dicentes, quod si impossibilia essent Dei præcepta, Deus punire, et ad æternas inferni penas damnare non posset illos, qui ea violant. Si enim Dei mandata impossibilia sint, qui ea

transgrediuntur, non libere sed necessario ea transgrediuntur, quia scilicet ea servare non possunt; ut autem ait S. Hieronymus, ubi necessitas est, nec corona nec damnatio est. Et ut loquitur Tertullianus: *Nec boni, nec mali merces jure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate inventus fuisset.* O quam exitiosa ergo doctrina eorum, qui dicunt, Dei mandata esse impossibilia! Si enim quis credat impossibilia esse Dei mandata, ac proinde puniri non debere, quantumvis ea contemnat, omnibus facile se dabit criminibus, omnia sibi licere putabit; nec Dei justitiam magis timebit, cum blasphemabit contra Deum quam cum illum laudabit, cum libidinibus se foedabit quam cum jejunabit; cum furabitur quam cum facultates suas pauperibus erogabit; quo nil magis absurdum, nil magis ridiculum, nilque pejus excogitari potest.

Si Dei mandata forent impossibilia, ad quid, quæso, omnia salutis motiva, quæ toties in sacra Scriptura nobis dantur? Deus modo Christi et sanctorum exemplis, modo salutaribus monitis, nunc penis inferni, et nunc paradisi gaudiis, quæ nobis proponit, nos movet et excitat ad præcepta servanda, ad serio incumbendum operi nostræ salutis; ad quid autem hæ exhortationes, ad quid tot monita hominibus fierent, totque salutis motiva eis proponerentur, si mandata servare esset impossibile? certe hæc omnia vana essent et inutilia. Si quis hominem cæcum sic alloqueretur; moneo te ut videas, hortor te ut videas, jubeo ut videas; si videris, grande tibi dabo premium, si non videris, grave tibi imminet supplicium: nonne vana, et ridicula essent omnes hæc exhortationes, monitiones, promissiones, et minæ factæ homini illi, cui videre esset impossibile? sic a pari, si homini mandata servare esset impossibile, vanæ et inutilis essent omnes, quæ in sacris paginis reperuntur exhortationes, monitiones et promissiones: vana essent omnia consilia et exempla; vana tandem essent omnia motiva quæ illis proponerentur ut excitarentur ad servanda mandata, et ad vacandum suæ salutis; quia ab iis peteretur, ut facerent, quod facere nulla ratione possunt. Efficacissima quidem hæc ratio, quia Deus nil inutile, nilque vanum facit. Ut autem magis pateat, quam ridicula,

et quam perniciosa sit doctrina dicentium, Dei mandata esse impossibilia, advertant, quod si præcepta non furandi, non occidendi, non adulterandi, et non mentiendo sint impossibilia, optime sequitur, quod omnes qui hæc præcepta impossibilia esse docent, se fures, homicidas, adulteros et falsarios fateantur (1). Sequitur etiam, *Apostolos*, qui omnia sua propter Deum reliquerunt, fuisse fures; *Evangelistas*, qui a Deo ad testandam veritatem sunt vocati, et qui eam usque ad sanguinis effusionem testati sunt, fuisse falsos testes; *Josephum et Susannam*, qui tam fortiter pro castitate decertarunt, adulterio se inquinasse. Hæc et alia multa absurda, et ridicula ex perversa hæc doctrina sequuntur: ideo Concilium Tridentinum eos condemnavit, qui dicunt impossibilia esse Dei mandata: ait enim (sess. 6, cap. 11): *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis.* Et canone octavo ejusdem sessionis rem totam expresse determinat his verbis: *si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Mandata ergo Dei servare est possibile. Hoc certissimum est; hoc de fide est; et vix reperitur, qui hoc in corde suo non credat; at quia multi mandata servare nolunt, id impossibile dicunt, quod facere nolunt. Error illorum non tam est in intellectu, quam in perversa voluntate, quæ inclinari non vult ad id faciendum, quod Deus præcipit; ideo dicunt, se mandata servare non posse, quia ea servare nolunt, sen quia voluntas illorum ea servare renuit. O peccator! fac tantum ut velis et mandata servare poteris; firmiter ea servare opta et propone, et illa facile ser-

(1) Recte quidem; nam eo ipso quod quis fatetur aliquid a nemine fieri posse, fatetur etiam neque a se factum, ni dicere velit se posse, quod nemo potest, quod est absurdum: consequenter fatetur, quod data occasione, que vix unquam deest, furatus est, homicidium fecit, aliæque crimina perpetravit, quia ab iis abstinere non potuit. Eodem modo se gerunt, sive possunt bonæ, vel ipsi Apostoli et sanctiores viri, cum se obtulit occasio furandi, adulterandi etc., cum hæc mala vitare haud poterint. Vult impia et absurda commenta!

vare poteris, et modico vel nullo labore servabis; quia Dei mandata servare non solum est possibile, *verum etiam facile*.

II PARS.

Mandata Dei servare est facile.

Tanta in veteri lege præceptorum multitudo Judæis erat imposita, ut ea servare difficillimum esset. Nonnulli auctores asserunt, præcepta affirmativa in lege veteri fuisse ducenta et octodecim: tot scilicet, quot sunt membra in humano corpore; præcepta vero negativa fuisse trecenta sexaginta quinque, seu tot, quot sunt dies in unius anni circulo. Unde merito divus Augustinus veterem legem vocat *sarcinam innumerabilium observationum*. At nunc in lege gratiæ, in qua *benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei*, omnia judicialia et cæremonialia veteris Testamenti præcepta ablata sunt, et alia paucæ nobis servanda remanent, eaque non gravia, nec difficilia, imo levia, et ad servandum facilia sunt: Joanne enim Apostolo teste, mandata Dei non gravia, sed facilia sunt; *mandata ejus gravia non sunt*. Unde Christus Dominus omnes penitus homines ad servanda mandata invitavit, utpote quia levia et ad observandum facilia sunt: « Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animalibus vestris. *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (Mat. 11, 19) ». Jugum quidem Christi leve et suave nobis esse debet, cum ipso primus illud portaverit. Christus non ex illis est, qui dicunt et non faciunt: ipse enim prior quod docet facit, et ad illud quod nos facere præcipit, exemplo suo movet. Si divitiarum contemptum suadet, ipse, cum dives esset, ita pro nobis egenus factus est, ut non haberet ubi caput suum reclinarét. Si ad patientiam nos hortatur, ipse labores plurimos et ipsam mortem tanta patientia pertulit, ut tamquam agnus innocens ad occisionem ductus, nec aperuit os suum. Si ini-

micos diligere, pro iis orare, usque benefacere præcipiat, ipse nos dilexit, cum adhuc inimici essemus; ipse pro crucifixoribus in cruce oravit, et peccatores sibi inimicos innumeris beneficiis affectit. Ergo Christi jugum leve nobis videri debet, cum ipse primus illud portaverit, cumque id solum nobis præcipiat, et a nobis fieri postulet, quod et ipse modo perfectissimo fecit. Alia ratione jugum Dei esse leve evincit Hugo cardinalis: nempe quia etsi simus sub onere, Dominus tamen per gratiam suam onus nostrum levat. Sicut mater onus quod portat, aliquando super caput filii parvuli ponens, superius idem onus levat et portat, quoniam alias sustineretur puer; et tamen dicitur puer portare: sic Dominus onus legis, quod nobis imposuit, nobiscum portat; nihilominus totum homini tribuit, ipsamque remunerat, ac si totum portasset. Levia quidem et facilia nobis videri debent Dei mandata, cum ea levia esse asserat Christus; cum sint jugum, quod portavit ipse Christus, et cum sint onus, quod Deus per gratiam suam nobis leve efficit. Levissima vero et ad observandum facillima cuique videbuntur Dei mandata, si spectetur spes præmii, et attendatur beatitudo æterna, quam obtinebunt qui Dei mandata fideliter servabunt. Verum est, quod Dei mandata servare nonnunquam ex se est difficile et durum; si vero attendatur merces æterna et infinita quam Deus dabit iis, qui mandata servaverint, ea servare suavissimum et facillimum fiet; *que enim natura sua dura sunt et aspera, spes præmii facit levia*. Quam magna est merces, quam in celo præparavit Deus iis, qui præceptis ejus obsecuti fuerint! E contra quam levia et parva sunt, quæcumque ad hanc mercedem obtinendam homines in hoc mundo pati possent! certe, ut ait divus Paulus (ad Rom. 8, 18), *non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis*. Si vellet Deus, ut ad hanc beatitudinem obtinendam, quilibet homo pateretur quidquid usquam in hoc mundo passi sunt apostoli, martyres et confessores, hoc leve reputandum pro consecutione æternæ beatitudinis: cujus ratio est: quia omnes hujus mundi labores, omniaque tormenta finita sunt et transitoria; beatitudo vero est infinita et æterna in cujus compara-

tione omne finitum et transitorium quid leve et minimum semper est, ideoque leve et quasi nihilum censendum est quicquid homines in hoc mundo perferre possunt acquirendæ æternæ beatitudinis causa; non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam.

Levissima itaque et ab observandum facillima nobis videntur Dei mandata, si beatitudinem æternam, quæ mandatorum observatione obtinetur, serio contempnere. Uterius, ut ait divus Augustinus, ea servare dulce et facillimum nobis foret, si Deum, qui hæc præcepta tulit, ardentè amaremus: quia *quidquid durum est in præceptis, ut sit leve charitas facit*. Multi in Dei mandatis aliquid durum et grave experiuntur: grave illis est parentes honorare, castitatem sectari, aliena propriis dominis restituere, inimicis parcere, et alia divinæ legis mandata adimplere; unde hoc? ex defectu utique charitatis. Gravia illis sunt Dei præcepta, quia non amant: si enim Deum amarent, omnia mandata levia et ad observandum facilia illis essent: quia *quidquid durum est in præceptis, ut sit leve charitas facit*. Lex Dei, lex amoris est: qui non amant, illam gravem putant: si diligimus Deum, suavis est, facilis est, dulcis est; *et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini* (Ecc. 23, 37). Amore omnia dulcescunt, et ut ait D. Augustinus, ita ingeniosus est amor, ut amanti in deliciis etiam laboriosa videntur. O homo! laboriosum et durum tibi est, injurias condonare, male parta propriis dominis reddere, et alia Dei præcepta servare; Deum ardentè ama, et nil in hoc mundo dulcius, nil tibi suavius erit, quam Deo jubentè obtemperare, omniaque ejus præcepta perfectè adimplere: *nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini*. Quis enarrare, aut mente complecti queat, quot labores, quot sudores, quot molestias, quot vigilias, quot curas Jacob pro Rachelæ sua, integro quatuordecim annorum circulo exanthlaverit? *Die nocturne*, inquit ipse de seipso, *æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis* (Gen. 31, 40): hæc tamen omnia ei erant dulcia, et quatuordecim anni quibus laboravit, ad obtinendam Rachelæ in sponsam, *videbantur illi pauci dies, præ amoris ma-*

gitudine (Gen. 29, 20). Omnia hæc ei dulcia erant, quia, ut ait S. Bernardus, *ubi amor est, labor non est*: et ut loquitur S. Augustinus: *omnia sæva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor* (serm. 48 de temp.). Ama ergo Deum, et nullo modo grave et durum, imò suave tibi et facile erit Dei mandata servare. Si Deum non amas, tibi gravia erunt; si Deum amas, non gravia, sed levia tibi erunt: *aut enim quisquam non diligit, et grave est; aut diligit, et grave non est*. Itaque Deum ex toto corde ama, et mandata ejus servare tibi facillimum erit. Regio prophete ita levia et facilia videbantur Dei mandata, ut in iis servandis non minoribus potiretur deliciis, quam in divitiarum multarum possessione; *in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (Psal. 118, 24). In eorum observatione nil amarum, nil durum; omnia facilia, suavia, et ipso melle dulciora ei videbantur. Dulce ei erat, Deum adorare, Deum amare, nomen Dei in vanum non assumere; parentes colere, aliena non furari, et alia Dei præcepta servare; nil ipsi suavius, nil dulcius erat, quam Dei legi obtemperare. Et ideo clamabat, Dei præcepta esse *desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (Psal. 18, 11). Davidi suave et facile erat Dei præcepta servare, quia Deum ardentè diligebat; diligite similiter Deum, et mandata ejus servare non durum, amarum et difficile, at suavissimum vobis erit. Hæc capere nequeunt, qui carnis et mundi legibus, moribusque reguntur; hi nil in hoc mundo suave esse sentiunt, quam bonis frui presentibus, ad libitum suum creaturis uti, sensualibus satiari voluptatibus, altiores sæculi venari dignitates, nullumque comparandis divitiis modum, finemque ponere. O utinam gustarent hi, quam suavis sit Dominus! O utinam Dei amore tantillum accenderentur! Deum diligentibus hæc omnia fastidirent, nilque amplius illis dulcius foret, quam Deum amare, et legem ejus servare. Deum amando, nil laboris in legis divinæ observantia experirent; imò et in ea servanda aliquid inesse difficultatis dicere erubescerent; quia *difficultatis nomen amor erubescit*. Non quidem illam durum et gravem dicerent;

e converso nil suavius illis esset, quam Dei legem perfectissime servare; quia amanti nil dulcius, suavius nihil, quam Dei mandata servare. Quum vero Dei mandata servare possibile et facile sit; *ea servare est etiam necessarium.*

III PARS.

Dei mandata servare est necessarium.

Interrogavit quidam adolescens Christum, atque ab eo petit, qua via ad cœlum pergera, et quibus bonis operibus paradisum obtinere possit; *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* (Matth. 19, 16). O præclaram questionem! o dignam homine christiano interrogationem! Ad hæc o magnam etiam et millies ponderandam Christi responsonem! nam adolescenti respondit; *si vis ad vitam ingredi, serca mandata.* Non dixit ei Christus; ad obtinendam vitam æternam necessarium est, ut cæcos illumines, ut montes ex uno in alium locum transferas, ut surdis auditus, et mutis loquela usum conferas: solummodo ut mandata serves: *si vis ad vitam ingredi, serca mandata.* Ecce quod necessario faciendum ad assequendam æternam beatitudinem. Tota demonis malitia, totaque ejus ars et cura in hoc sita est, quod a mandatorum observatione homines avertat. Jubet Deus, ut non deos alienos, sed Deum verum, unum et trinum adoremus; et suadet demon, ut corda et affectus nostros, non Deo, sed vili cuidam creature impendamus. Imperat Deus, ut non in tantum ejus nomen assumamus; et demon ad jurandum, pejerandum, et blasphemandum allicit; præcipit Deus, ut dominicis diebus divino cultui specialiter vacemus; et demon his diebus homines ad ludos, choreas et comessiones excitat; prohibet Deus, ne aliena auferamus; et demon homines ad aliena rapienda instigat; alterius uxorem concupiscere Deus vetat; et demon fræda libidinis flammam in hominum cordibus accendit. O quam magna malitia demonis, qui tanto studio homines ad violanda Dei man-

data incitat! o quam miseri plerique hominum qui dæmoni, non Deo obtemperant! miseri quidem; quia qui Dei mandata transgrediuntur, nunquam vitam æternam obtinebunt, si peccati sui poenitentiam non agant. Ut enim declaravit Christus, ad vitam æternam promerendum mandata sunt necessario servanda; *si vis ad vitam ingredi, serca mandata.* Audiamus adhuc Christum hæc de re disserentem; *Non omnis, inquit, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (Matth. 7, 21). Impiissimi quique peccatores habent interdum lucida intervalla; interdum alta ex imo corde emittunt suspiria; interdum judiciorum Dei timore concutiuntur; interdum pectora tundunt; et cum conclamationem de inferni suppliciis, vel de paradisi gaudiis dicentem audiunt, toti interius commoventur; imo nonnunquam ad Deum clamant: *Domine, miserere mei: Domine, tuus sum ego, salvum me fac: Domine, propitius esto mihi peccatori; Domine, ne derelinquas me.* At, *non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum,* verum qui facit voluntatem Dei, seu qui mandatis ejus obtemperat; *sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Illos propheta maledictos vocat, qui Dei mandata violant: *maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Qui legi Dei fideliter obtemperant, et mandata ejus custodiunt, benedicti erunt a Domino; quia in die judicii ad cœlestia regna possidenda vocabuntur, audientque Christum dicentem: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (Matth. 25). Qui autem Dei mandata impudenter violant, si poenitentiam non agant, tabescent et deficient, ac demum a Deo in die judicii maledicentur, ut ait Doctor Seraaphicus; et audient *ite maledicti in ignem æternum.* In die judicii, cum Christus homines judicaturus in formidando justitie sue throno sedebit, ab hominibus solummodo quaeret, an mandata servaverint; et unumquemque salvabit vel damnabit, prout mandata servaverit, vel non servaverit. A regibus et principibus tunc non petet Christus, an summa cum pompa et maje-

state in mundo vixerint, an populos multos armis subegerint, vel an de hostibus gloriose triumphaverint; sed an mandata custodierint. Ab aulicis non quaerit, an principum amicitiam sibi conciliaverint, an ad altiores sæculi dignitates ascenderint; vel an multas facultates congregarint; sed an cuncta Dei præcepta servaverint. Ab omnibus tandem hominibus, ejusvis status et conditionis illi sint, postulabit, an mandata fideliter custodierint, et iis qui illa servaverint, dicit: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*; illos vero qui mandata violaverint, si ante mortem penitentiam non egerint, æternis suppliciis adjudicabit, dicens: *ite maledicti in ignem æternum*. Si rex aliquis ea non servaverit, et contra villas rusticus illa servaverit; rusticus salvetur, et rex damnabitur; si ea non servaverit pontifex, et ea servaverit sacerdos; æternam beatitudinem obtinebit sacerdos, et pontifex ad æterna supplicia condemnabitur. Si servus et ancilla Dei mandatis obtemperaverint, et non iis obtemperaverint eorum domini; servus et ancilla ad cœlestia regna æternam beandii mittentur, et eorum domini ad sempiterna tartari tormenta æternam cruciandi præcipitabuntur. Non ergo indifferens est Dei mandata servare, vel non servare; sed ea servare est absolute necessarium ad salutem, cum ii tantum salventur qui ea servant; et damnentur illi, qui ea non servant.

Quod de omnibus omnino mandatis intelligendum est; ad salutem enim non aliqua solum, sed omnia omnino mandata servanda necessario sunt, quia quicumque vel unicum ex Dei præceptis in materia gravi voluntarie violaverit, æternæ damnationis debitum incurrit, a quo non nisi sincera penitentia solvi nequit, quam sepe mors prævenit, temerariis peccatoribus illudendo, qui audacter Dei leges pessumdant spe futura penitentiae et veniæ. *Quicumque totam legem servaverit*, inquit S. Jacobus, *offendat autem in uno, factus est omnium reus*; quomodo est omnium reus? *quia*, inquit Doctor Anglicus *æque pro uno, ac pro omnibus peribit*. Profecto qui plurima præcepta violaverit, gravius plectetur in inferno, quam qui unicum solum transgressus fuerit: at æque vero damna-

bitur, qui unicum violaverit, quam qui omnia: *æque pro uno ac pro omnibus peribit*. Hujus rei ratio est: quia omnis qui in statu lethalis peccati moritur, ad æterna supplicia damnatur: omnis autem qui vel unicum, in materia gravi præceptum violavit (nisi penitentiam egerit) in statu lethalis peccati moritur, ac prout ad æterna supplicia damnatur æque vere ac qui omnia violavit: *æque pro uno ac pro omnibus peribit*. Falluntur nonnulli, qui suæ salutis satis consulere arbitrantur, quia in uno tantum peccant, et unicum Dei præceptum violant. Jejuntant, altissimi altaris sacrificio religiose intersunt, alique omnia Dei et Ecclesiæ præcepta, uno excepto fideliter servant; et quia in unico peccant, hoc pro nihilo reputant; sciunt tamen, quod ad æternas inferni pœnas pro unico mortali æque vere damnabuntur, ac pro mille: *æque pro uno, ac pro omnibus peribit*. O frater, *ne dicas*: non sum blasphemus, nec fur, nec usurarius, tantum voluptatibus illicitis indulgeo. *Ne dicas*: non sum luxuriosus, nec ebriosus, nec maledicus, tantum aliena detineo. *Ne dicas*: omnia Dei et Ecclesiæ mandata, uno dempto, perfecte servo, quia qui peccat in uno, factus est omnium reus, et *æque pro uno ac pro omnibus peribit*. Ne ergo sic loquaris: tuam serio conscientiam scrutare, intimos eius recessus explora; et vide, an aliquid Dei, vel Ecclesiæ mandatum violaveris: si vel unicum semel violasse reperies, perpetrati peccati penitentiam age, et in posterum omnia penitus mandata studiosè serva. Imitare Zachariam et Elisabetham, qui non aliqua solum, sed omnia penitus mandata custodiebant: *erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini* (Luc. 1, 6). Imitare prophetam, qui non aliqua tantum, at omnia Dei mandata servare staturat: *juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (Ps. 118, 106). Omnia similiter Dei mandata custodi: nec eorum unius excepto omnia fideliter serva. Ea omnia servare est possibile, est facile, est necessarium: fac quod tibi possibile, quod tibi facile, quod tibi necessarium, et postquam Dei mandatis in hoc mundo obtemperaveris, a Deo in cœlo coronaberis. Amen.

FERIA IV POST DOMINICAM QUARTAM.

DE CÆCITATE SPIRITUALI.

Præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate
(Joann. 9).

Cum cæcum illum a Christo sanatum mente revolvo, divini hujus medici peritiam damiro, et mox ad hujusmodi peccatores, qui spirituali cæcitate feriuntur, et qui in hoc mundo ambulat ut cæci, animum transfero. Non me latet, omnes penitus peccatores esse quadammodo cæcos, eo quod juxta commune philosophorum et theologorum axioma, *omnis peccans est ignorans*. Ast inter eos multi inveniuntur, quorum tanta est cæcitas, ut videntes non videant, criminumque suorum gravitatem, et suppliciorum inferni acerbissimam non agnoscant; saltem eo modo, quo apta sunt affectum movere ad bene agendum. Et ideo peccatis suis adhærent, in his immorantur, nec ab his surgere quocumque modo curant. Similes hi sunt Harpasti famule cæci, quæ se cæcam nesciebat, et ideo sol tantum se non videre credebat, quia totam domum tenebris oppletam censebat. Sic tanta est quorundam peccatorum cæcitas, ut gratia cæli, et salutis lumen non videant; et tamen se cæcos esse ignorant. Ideoque cum filios lucis se esse existiment, peccatis suis pertinaciter adherent, nec ab his surgere vel minimum satagunt. O pessimum cæcorum genus, o quam difficile hujusmodi cæcos curare, et veritatis lumine illustrare? Quis mihi det, ut miseros peccatores gravi hac cæcitate laborantes curare valeam? hoc dare potest Spiritus Dei, qui si præsto nobis sit, in fine hujus concionis dicere poterimus: *cæci vident*. Ipsi ergo auxilium supplices postulemus. *Ave*.

Cum medicæ artis periti morbi cujusdam curationem suscipiunt, primo causas et principia, a quibus procedit, sollicite inquirunt: secundo acerbissimam et malignitatem ejus sedulo

scrutantur: tertio, remedia opportuna, et ad sanandum idonea apponunt, vel apponi curant. *Hi causas morbi inquirunt*, ut eas præcipient, utque ipsam mali radicem evellant et tollant: *morbi etiam acerbissimam scrutantur, et serio perpendunt*, ut pro ratione mali congrua remedia præscribant; *medicamenta tandem opportuna et idonea apponunt*, ut morbum procul pellant, et infirmo perfectam sanitatem afferant. Quod medici, cum illis qui corporali infirmitate gravantur, perficere solent; hoc ego hodie facere statuo quoad homines peccatores, qui spirituali cæcitate laborant. Et ideo quæ sint cæcitatibus spiritualibus cause, quæ malignitas, et quæ remedia jam explanabo. Videbimus 1. cæcitatibus spiritualibus causas, ut eas præcipient; 2. cæcitatibus spiritualibus malignitatem, ut ei occurramus; 3. cæcitatibus spiritualibus remedia, ut ea adhibeamus.

I PARS.

Cæcitatibus spiritualibus cause.

Sicut medici, ut morborum causas et principia agnoscere valeant, peritiores artis medicæ magistros hac de re consulunt, ita, ut cæcitatibus spiritualibus causas investigare possem, sacre Scripture interpretum, et doctorum theologiæ libros perolvitavi, triplicemque hujus cæcitatibus causam esse inveni, peccatum, scilicet, dæmonem, et Deum. 1. *Peccatum*, malitia sua; 2. *Dæmonem*, arte sua; 3. *Deum*, justitia sua.

1. Credebant Pharisei, cæcum natum a Deo cæcitate fuisse percussum, quia parentes ejus grave quoddam peccatum perpetraverant, vel quia præviderat Deus grave quoddam peccatum, quod ipse cæcus post natiuitatem perpetraturus erat. At fallabantur, quia nec peccata a parentibus perpetrata, nec peccata ab ipso cæco perpetranda, cæcitatibus ejus causa extiterant: *neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur*. Verum est, quod originale peccatum generalis et remota fuerit causa hujus cæcitatibus corporea, sicut et

omnium malorum quæ in mundo sunt; si enim Adam non peccasset, filii ejus nec cæcitate, nec alio quovis morbo laborarent. Attamen mendici hujus cæcitas non fuit a peccato ejus proprio et speciali, vel a peccato parentum; nec ideo hic homo privatus fuit oculorum lumine, quod vel ipse, vel parentes peccaverint; voluit Deus sic illum nasci, ut curatione ejus suam manifestaret potentiam; *neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur, sed ut manifestentur opera Dei in illo. De cæcitate spirituali aliter ratiocinandum, quam de corporea: licet enim cæcitas corporea non semper oriatur a peccatis, quæ quis commisit, cæcitatibus tamen spiritualibus origo et causa sunt semper peccata, quæ quis perpetravit: et ideo spirituali cæcitate percutiuntur homines, quia adversus Deum deliquerunt: ambulabant ut cæci, quia Domino peccaverunt* (Soph. 1, 17). Hæc est vera et proxima causa cæcitatibus eorum. Sicut oculus corporeus a fumo, vel noxio quodam humore obscuratur et exæcatur, ita oculus animi, seu intellectus, avaritiæ, odii, superbiæ, aliorumque peccatorum fumo semper exæcatur, tantaque a peccatis oritur cæcitas, ut qui in peccata facile labuntur et in iis perseverant, jumentis animi oculo carentibus, similes fiant: *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Sampson a Dalila traditus est Philistinæ hostibus suis; *quem cum apprehendissent Philistinim, statim eruerunt oculos ejus*. Similem in modum Dalila, seu caro infirma et rebellis, si ejus non comprimantur impetus, quemque tradit libidini, gula, amoris flagitioso, alisque vitis, quæ velut hostes infensissimi, illum exæcæant, illumque in tantam cæcitatem adducunt, ut vix cognoscat, quid faciendum, quidve vitandum saltem cognitione practica, quæ eum ad declinandum a malo, et ad faciendum bonum indicat. Certum est, quod cæcitate spirituali percuti non solet homo prima vice, quæ in peccatum aliquod incidit, tunc exæcatur, eum sua multiplicavit et pluries iteravit peccata, aut cum sæpe divino restitit lumini, et in peccato diu perseveraverit. Tunc enim Deo permittente, a peccatis in quibus jacet, ita exæcatur, ut vix eorum gravitatem agnoscat:

homo ergo exæcatur a proprio peccato: *ac exæcatur etiam a dæmone*.

2. Diabolus quidem homines exæcatur, non quoscumque, sed eos qui gravibus a multo tempore, adherent peccatis: Deus enim dæmoni remittit habenas, et sæpe permittit, ut hujusmodi homines deludat, seducat, et in cæcitatem adducat. Colligitur id manifeste ex sacra Scriptura ubi habetur, quod cum puniendus esset Achab ob plurima scelera sua, permisit Deus diabolo, qui est spiritus mendacii, ut deciperet prophetas ipsius, et prophetarent illi prospera, quibus ille fidem adhibens perit occisus a Syris: *dedit, inquit Micheas, Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum*; nimirum ut ipsi decepti te decipiant, et inducant ad bellum, in quo pereas. Quod fecit diabolus cum Achab, hoc facit quotidie adversus homines peccatores, et precipue infideles, quos ita exæcatur, ut vix Evangelii lumen videant: *Deus hujus sæculi, inquit D. Paulus, exæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii. Deus hujus sæculi, ut exponit doctor Angelicus, est diabolus, qui est deus sæculariter viventium, non quidem creatione, sed sua perversitate, exemplo et suggestionem, quibus mediantibus, ita hominibus juxta sæculi leges viventibus dominatur, ut eorum Deus videatur. Malignus autem ille deus malitiæ suæ arte infideles et innumeros peccatores. Deo permittente, in errorem adducit, et ita exæcatur, ut vix agnoscat peccatorum suorum gravitatem, Dei bonitatem, gratiæ divinæ dignitatem, pericula inferni quibus circumdantur, et cœlestia bona quæ Deus ipsum diligentibus præparavit. Non facile concipitur, quomodo diabolus intellectum hominum exæcatur, judicium eorum pervertat, eosque in errorem inducat. Hoc facere potest, interius concitando humores et spiritus, unde fiat, ut imaginatio longe aliter res apprehendat, quam revera sint: sicut fit in phreneticis et melancholici morbo affectis. Hoc facere potest, avertendo mentem a lectione librorum piorum, vel a consideratione paradisi, inferni, et aliorum per quæ posset erudiri, et ad bene agendum excitari. Hoc facere potest, concitando in*

homine varias passiones, præsertim odii, cupiditatis, et ambitionis, quæ rationis iudicium perturbare solent. *Hoc agere potest* per varia visa, aut phantasmata interius phantasiæ objecta, quæ videntur esse revelationes: vel etiam per exteriores apparitiones. *Hoc tandem agere potest* per præstigia, et falsa miracula, quibus homines ultimis potissimum temporibus seducentur. Quocumque autem modo hæc faciat, certum est, quod permittente Deo, homines diabolus excæcet, et in errorem inducat. Non tamen ita illos excæcet, quod usus rationis totaliter impadiatur; seu ita quod qui a demone excæcantur, non possint advertere, se parum secure procedere; alioquin nec in ipsa excæcatione, nec in illis quæ per mentis cæcitatem faciunt, peccarent: quod aperte falsum videtur. Dæmon ita solum illos excæcet, ut non sine magna difficultate recte et prudenter in eo negotio, in quo excæcati dicuntur, rationis lumine uti possint. Sic peccatores excæcat diabolus; *eos etiam Deus excæcat.*

3. Hoc facit Deus non solum permissive, quatenus permittit diabolo, ut per se, suosque angelos homines decipiat, eorumque mentes pervertat et excæcet; hoc etiam facit negative, et per occasionem. Hoc facit Deus *negative*; quatenus propter peccata ab hominibus patrata, gratiæ suæ auxilia, quibus homo illuminaretur, juste subtrahit et denegat. Iusto enim iudicio, peccatis hominum id exigentibus, divinum illud lumen subducit, quo mentem humanam ad ea quæ salutis sunt cognoscenda, illustrare solet; parcius ac rarius illud tribuens propter eorum indignitatem. Peccatores siquidem illi, qui a Deo justitiæ sole assidue se avertunt per peccata, quæ perpetrant, indigni sunt, ut divini huius solis lumine, necnon divini gratiæ radiis illustrentur; præsertim cum mens humana per peccata fiat terrena, tenebrosa, et ad tantum lumen excipiendum inepta: quos propterea Deus negative excæcat, dum gratiam suam illis denegat, seu parcius gratiæ suæ lumine illos illustrat. Tandem homines nonnunquam excæcat Deus *per occasionem*; quatenus scilicet positive vel permissivè est causa aliquarum rerum, ex quibus homines oc-

casionem errandi, vel in concepto jam errore se firmandi et in eo perseverandi sumunt. Sic hæretici excæcantur ipsis scripturis, dum ex quibusdam sententiis, in specie eorum errori faventibus, putant a se stare verbum Dei; sic etiam excæcantur alii divitiis, et alii prosperitate, ex quibus occasionem sumunt credendi, Deum ipsis favere ipsosque diligere; et ideo in statu peccati pertinaciores permanent. Ex præfatis constat, triplicem spiritualis cæcitatæ esse causam; Deum scilicet, diabolum et hominem: nunquam tamen a Deo excæcatur homo, nisi prius eum homo criminibus suis ad hoc coegerit: nunquam etiam a demone efficaciter excæcatur, nisi ipsi homo consentiat. Diabolus enim hominem ad cæcitatem quidem disponit, estque cæcitatæ causa dispositiva; solus homo suo consensu eam perficit, dum veritatis dilectione et consideratione abjecta, eligit errorem suis passionibus pravisque suis affectibus et opinionibus consentaneum. Unde homo cæcitatæ suæ est ultima causa: nec a Deo, vel a demone excæcatur, si quod in se est ad cæcitatem vitandam faceret. Igitur caveat quisque ne in spiritualem cæcitatem incidat: quam sane effugiet, qui *cæcitatæ spiritualis malignitatem serio ponderabit.*

II PARS.

Cæcitatæ spiritualis malignitas.

Sicut corporei morbi gravitas, ita et cæcitatæ spiritualis malignitas per effectus cognoscitur. Sicut enim manifestum est, corporeum hunc morbum esse gravem, a quo dolores intolerabiles, phrænesis, mors, vel exitiosi alii effectus causantur, ita et cæcitatæ spiritualis malignitatem magnam esse quisque intelliget, si advertat, obstinationem, innumera crimina, et æternam hominis damnationem esse hujus cæcitatæ effectus. Cæcitas enim spiritualis est 1. obstinationis causa; 2. criminum multorum origo; 3. ad æternam damnationem proxima dispositio.

1. Consistit obstinatio, seu obduratio, in firma et constanti affectus ad aliquod malum adhesionem propter speciem quamdam boni, quod in hoc malo apprehenditur. Unde fit, ut qui sic obduratus est, neque internis inspirationibus, neque externis monitis, neque flagellis, neque minis, neque promissis a malo dimoveri possit: veluti saxum marmoreum ad omnia se obduret, et impenetrabilem præstet, nisi majore quadam vi divinitus impellatur. Grande malum est hæc obstinatio, quæ a cæcitate spirituali, tanquam a sua causa manare solet: idco enim pravus hominum peccatorum affectus malo immobiliter adhæret, quia eorum intellectus cæcitate percussus et ignorantie tenebris obvolutus, eis malum ut bonum objicit. Hæc de causa peccatores obstinati peccatis suis mordicus adhærent, in iis pertinaciter perseverant, quia cæcitatibus et ignorantie suæ tenebris, veluti catenis ferreis constricti a peccatis se extricare non valent. Cum de ægyptiacis tenebris loquitur Salomon, eas ait veluti tetra et dura fuisse vincula, quibus alligati ita detinebantur, ut nulla eis inde exundi remaneret libertas; *vinculis tenebrarum, et longæ noctis compediti, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt* (Sap. 17, 5). En quis sit effectus cæcitatibus spiritualibus et tenebrarum quibus involvantur nonnulli peccatores; hæc in iis causant obstinationem in malo, fiuntque quasi vincula, quibus compediti in peccatis suis ita detinentur, ut vix ab eis exire possint. Prisci quondam sapientes pertinaciam, filiam noctis esse dixerunt; siquidem ex nocte et obscuritate intellectus tanquam ex causa et iniqua matre oritur pertinacia et obstinatio in culpa. Ideo enim impii obstinantur in peccato, quia cæci sunt, seu quia cæcus et errans eorum intellectus id ut bonum apprehendit, quod malum est; cæcitas illa, qua obtenebrantur mentes eorum, est causa obstinationis, qua corda eorum in malo obdurantur, et peccatis ita adhærent, ut vix ab iis avelli possint. Magna ergo est cæcitas spiritualis malignitas, cum sit obstinationis causa: magna etiam ejus est malignitas, cum sit peccatorum multorum origo.

2. Dum sol lucet, bestie silvæ in antris, in dumetis, et in aliis locis obscuris latent; mox vero ut sol occidit, cœlumque te-

nebris opertum est, e recessibus suis egrediuntur, undequaque vagantur, omnisque vastant, diripiunt, et depopulantur: *posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestie silvæ* (Ps. 103). Similiter in modum, quamdiu homo christianus fidei et gratiæ lumine illustratur, ab omni peccato facile declinat; cum autem intellectus ejus ignorantie tenebris obvolvitur, cum mens illius cæcitate percutitur, mox dæmonas, passiones, vitia, pravi habitus, et omnia quæ ad peccatum inclinant, quasi solvantur, et miserum hunc peccatorem spirituali cæcitate percussum cruciant, a virtutis semita abstrahunt, ad male operandum alliciunt, et ad innumera peccata pertrahunt. Ex ipso tempore, quo peccatores hujusmodi, cæcitatibus spiritualibus tenebris obvoluti sunt, religionis, charitatis, pietatis, et justitiæ operibus non vacant, vindictæ, invidia, ira, avaritiæ, aliisque vitiiis se dedant, ac in omne peccatum currunt, et præcipites ruunt: *pedes illorum ad malum currunt* (Prov. 1, 26). Ecce unde oriuntur innumera peccata, quibus nonnulli inquinantur homines; hæc a spirituali cæcitate, qua laborant, ortum habent; cæcitas illa est maligna mater innumerorum criminum, in quibus jacent, adhærent, et perseverant. Cæcitas spiritualis est a peccato, et ad peccatum: est a peccato, quia ob plurima peccata quæ quis perpetravit, Deus eum animi cæcitate ferit: *percutiat te Dominus amentia, et cæcitate, ac furore mentis, et palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris* (Deut. 28, 29). Est etiam ad peccatum, quia postquam a peccato genita et causata est, ipsa peccatum parit, et ad innumera peccata trahit: mox enim ut cujusdam hominis intellectus cæcitate spirituali obscuratus et obtenebratus est, in immunditiam, avaritiam, aliisque peccata facile trahitur: *obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, semetipsos tradiderunt impudicitie, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam* (Ephes. 4, 18). Magna ergo est cæcitatibus animi malignitas, cum sit criminum multorum origo; maxima vero reputanda ejusdem malignitas, cum ad æternam damnationem sit proxima dispositio.

3. Hoc expresse docet Doctor Angelicus, dicens cæcitatem spiritualem esse dispositionem proximam ex sua natura ad inferni supplicia trahentem eos, qui cæcitate hac percussi sunt. Unde, licet cæcitas animi sit pœna peccati, magnaue sit pœna, ad aliam tamen majorem ordinatur et disponit, nempe ad inferni pœnam, quæ intolerabilis et æterna est: *Excecatio ex sui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excecatur, propter quod ponitur inter reprobationis effectus* (1, 2, qu. 7). Verum est, quod qui a Deo excecantur, non necessario damnentur: possintque damnationis æternæ pœnas devitare; communiter tamen omnis qui animi cæcitate in hoc mundo feritur, in opprobrium æternæ damnationis incurrit et hanc cæcitatē fere semper sequitur damnatio tanquam cæcitatīs effectus; *sequitur eum ignominia et opprobrium*, inquit Sapiens: seu, ut exponit D. Hieronymus, *opprobrium æternæ damnationis nulla ratione evadit* (Prov. 18, 3). Et rœvera damnati, qui nunc in inferno cruciantur, cæcitatē animi, quæ in hoc mundo percussi fuerant, damnationis suæ causam esse fatentur. *Erracimus*, inquit, *a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis; et sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus* (Sap. 5, 6). Ob cæcitatē suam viam Dei ignoraverunt, et hæc fuit causa damnationis eorum. Non posset, inquit S. Cyrillus, ullum hominis os damnatorum metum, terroremque declarare; nulla hominis labia satis magnam vim habent ad dicendum illorum statum atque ploratum. Gemunt continenter et sine intermissione, et nullus est qui miseretur; vociferantur ex profundo, et nullus est qui liberet; exclamant et plangunt, et nullus est qui commoveatur. Ibi lacrymantes, ejulantesque dicunt: ubi nunc hujus mundi jactantia? ubi inanis gloria? ubi delicia? ubi ornatus? ubi divitiæ? ubi regni? ubi nobilitas? ubi corporis virilitas? ubi falsa illa et inutilis mulierum pulchritudo? ubi imprudens et effrænata audacia? ubi vestimentorum comptus? ubi peccandi impura et frivola delectatio? transierunt hæc omnia sicut umbra? transierunt, et nihil nobis manet nisi cruciatus æternus,

et formidanda supplicia, quæ merito patimur, quia ob perpetrata a nobis scelera tanta cæcitate percussi sumus, ut cœli viam ignoraverimus: *viam autem Domini ignoravimus*. Hæc cæcitas est damnationis nostræ causa. Ecce cæcitatīs spiritualis multam. *Videamus nunc remedia ad hanc cæcitatē curandam idonea.*

III PARS.

Cæcitatīs spiritualis remedia.

Qui mente cæci sunt, de remediis ad cæcitatē suam curandam sumendis parum curant, non enim de remedio cogitant, qui mala sua virtutum loco numerant, et uti dicebat S. Hieronymus (cont. Vigil.), *qui peccare se nescit, corrigi non vult. Qui dolorem vulneris non sentit, salutis remedia non requirit*. Si tamen hujusmodi cæci sanari velint, gratiam, verbum Dei et penitentiam habent remedia ad cæcitatīs spiritualis curationem maxime idonea: 1. *gratia* est remedium supernaturale, quod humiliter a Deo est petendum; 2. *verbum Dei* est remedium a Deo datum, quod non est abjiciendum; 3. *penitentia* est remedium salubre et efficax, quod est strenue assumendum.

1. Apud Matthæum narratur, quod egrediente Christo ab Jericho secuta est eum turba multa, et ecce duo cæci, sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret, et clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Turba autem increpabat eos ut tacerent; at illi magis clamabant dicentes: Domine, miserere nostri, fili David. Et stetit Jesus, et vocavit eos et ait, quid vultis, ut faciam vobis? dicunt illi: Domine, ut aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt. Tactus Christi fuit illis in remedium: ideo sanati sunt, quia tetigit eos Christus, voluitque Salvator tactu eos sanare, ut doceret nos mentis cæcitatē tactu Christi curari: neque aliquem mente cæcum sanari posse.

nisi cum Christus per gratiam suam tangat. *Tactus Christi*, inquit Doctor Seraphicus, *est tactus gratiæ, quo Deus tangit cor per contritionem*. Hoc gratiæ divini tactu sanatus est Paulus, sanatus Petrus, sanatus Augustinus, et eo sanantur alii peccatores; hi enim a cæcitate sua sanari non possunt, nisi gratiæ divini tactu, quia ut variis in conciliis definitum est, gratia Dei est remedium ad animi infirmitates curandas, et ad peccatoris conversionem necessarium. Iamvero quia hoc remedium a Dei arbitrio pendet, qui eni et quando placuerit, illud dare potest, ab eo humiliter et ferventer est postulandum. Cæci quos sanavit Christus, ab eo poterunt, ut ipsos sanaret, et quo magis populus eos increpabat, eo ardentius ab eo sanari petebant, clamantes et dicentes: *Domine, misereri nostri*. Sic, qui animi cæcitate laborant, a Deo supplices petere debent gratiam, quæ est remedium ad cæcitatem spiritualem curandam necessarium. Huiusmodi cæci, ut sanari valeant, non debent attendere quid suadeat caro, quid inspiret diabolus, quid dicat mundus; ad loca sacra, ad orationis domos crebro se conferre debent; ibique quo majori fervore poterunt, humiliter et constanter a Deo petere, ut eos illuminet per gratiam suam; ibi clamare debent: *Domine, miserere nostri*. Domine, gratiæ tuæ auxilia nobis concede. Hoc est primum cæcitatibus spiritualibus remedium, quod a Deo est postulandum. Aliud cæcitatibus spiritualibus remedium est verbum Dei: illud enim verbum est quasi collyrium, quo mentis cæcitas sanatur, et a quo cæci peccatores illuminantur: *declaratio sermonum tuorum illuminat* (Ps. 118, 130). Videte quomodo sanaverit Christus cæcum illum, de quo S. Lucas ait, quod ad eum clamaverit, quodque supplex ab eo petierit illuminari, dicens: *Domine, ut videam* (Luc. 18, 41). Et Christus dixit: *respice*; et confestim sanatus est. Hoc Christi verbum, *respice*, fuit remedium, quo cæcum illum sanavit, inquit Doctor Seraphicus: ut doceret nos, verbo Dei cæcos peccatores illuminari, et ad viam veritatis adduci. Cum cæcus peccator concioni interest, predicatorem audit dicentem: *respice* mandata Dei que violasti, paradisi gaudia quibus non frueris, et inferni supplicia quibus adjudicaberis: *respice*, quo-

modo Dei voluntati rebellis exististi, quomodo salutaria ejus monita sprexisti, quomodo sacramenta ejus profanasti, quomodo te totum mundo, vanitati, et voluptati dedisti: *respice* animam tuam criminibus que perpetrasti deformatam, diris conscientiæ morsibus laceratam, variis passionibus agitatum, et evidenti salutis suæ jacturæ expositam: *respice* quæ intra te sunt, et humiliare; quæ supra te sunt, et spera; quæ infra te sunt, et time: hæc et alia his similia verba a predicatore profertur solent, que cæcos peccatores illuminant, si oblato rebelles non sint lumini: hæc sunt remedium a Deo paratum, ut illos illuminet, utque cæcitatem illorum tollat: *Declaratio sermonum tuorum illuminat*. Propterea cæci peccatores crebro adire debent conciones, ut a verbo Dei illuminentur, et cum divino hoc verbo illuminantur, superno huic lumini duro corde non obstant. Maxima sollicitudine impedire conatur demon, ne peccatores verbum Dei a concionatoribus prolatum audiant, vel in sacris Libris scriptum legant; eis suadet satanas, ut potiusquam ad conciones, ad comedias se conferant; non sacros, verum profanos libros perlegant, quia probe scit infensissimus ille hominum hostis, quod si Dei verbum audirent vel legerent, ab eo illuminarentur, et ad meliorem vite frugem adducerentur. Euge, peccator, quantumvis cæcus ad conciones propera, piorum librorum lectioni incumbere, verbumque Dei sive auditum, sive lectum erit tibi magnum cæcitatibus remedium, quia dum audies, vel leges Dei verbum, dabit tibi Deus internas inspirationes, interius te illuminabit, cujus vocem si audieris nec cor tuum obduraveris, cæcitas a mente tua auferetur.

3. Aliud cæcitatibus spiritualibus remedium est poenitentia; ut enim ait Divus Augustinus: *Poenitentia cæcis visum restituit, aviti fugat*. Sicut Paulus visum recepit, postquam per triduum neque comedens, neque bibens, sed orans fuit, ita, inquit Doctor Seraphicus, *cæcus peccator per triduum poenitentiam recipit visum animæ*. Efficacissimum hoc est remedium ad sanandos peccatores spirituali cæcitate laborantes. Verum ut hoc sanentur medicamine, assumendum et applicandum est: huiusmodi peccatores non sanat poenitentia, si eam fugiant, abhor-

reant et detestentur; tunc sanat, cum eam in cæcitatibus sua remedium adhibent. Refert sacer textus, quod cæcum Christus sanaverit luto, quod oculis ejus apposuit; *lutum posuit mihi super oculos, et lavi, et videro* (Jo. 9, 15). Vili luto cum sanavit, ut ei indicaret, nil vilius peccato, quo exæcatur homo. Lutum illud oculis ejus admovit, ut cæcum illum doceret, non sanari hominem cæcitate spirituali percussum, nisi lutum ex cinere et lacrymis penitentiae compositum sumat. Hoc remedio usi sunt David, Paulus, Augustinus, et alii quotquot a peccatis surrexerant, et a spirituali cæcitate sanati sunt. Eodem et vos utimini remedio, ut a mentis cæcitate liberemini. Gratiam a Deo supplices petite, verbum Dei frequenter et humiliter audite; in primis salubre penitentiae medicamentum adhibete. Contritio, confessio et satisfactio sunt *triduum penitentiae, per quod cæcus peccator recipit visum animæ*; igitur summo dolore conteratur cor vestrum; ad confitenda omnia et singula peccata os vestrum aperiatur, et ad Deo, proximoque satisfaciendum, quidquid poterit manus vestra, generose efficiat. O cæci peccatores! vidistis quæ sint vestre cæcitatibus causa, quæ malitia, quæ remedia. *Nostis*, potissimam cæcitatibus vestre vos esse causam, ideo humiliamini, et adversus vosmetipsos irascimini. Ne dicatis, hic vel ille est in causa, cur tot et tanta perpetravi peccata, ob quæ in mentis cæcitate incidit; fatemini, ego sum qui feci, ego potissima, ultima, et quasi unica sum causa cæcitatibus qua laboro. *Nostis*, quanta sit cæcitatibus spiritualis malitia, qua nulla videtur major, cum in obstinationem, in peccata plurima, et in infernum trahere solesat, ideo a tanto malo liberari satagite, et contendite. *Nostis*, quæ sint remedia tanto malo adhibenda et ad illud sanandum idonea, hujusmodi adhibete remedia. Sine Dei gratia tantum malum sanari nequit, eam supplices petite; Dei verbum est efficax remedium ad cæcitatibus hanc curandam, illud frequenter, attente et humiliter audite; ac tandem penitentia, tanquam optimo remedio utimini. Penitentiam agite, et aperiatur oculi vestri, ut Dei lumen videatis in hoc mundo, et in celo. *Amen.*

FERIA V POST DOMINICAM QUARTAM.

DE MORTE.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ
(Luc. 7, 12).

Quamvis in hoc mundo nil communius morte, quæ ad omnes venit, rapit omnes, et omnes, cum minus cogitant, ad sepulchrum trahit, nihil tamen facilius obliviscuntur homines, quam mortem, cujus imaginem et ipsas ideas a mentibus suis multi tanquam importuna phantasmata fugant: *nihil ita quotidie homines ut mortem vident; nihil ita obliviscuntur, ut mortem* (S. Eucl. in paræn.). Si supra terram ambulamus, ipsa nos monere videtur, quod nil nisi pulvis et cinis sumus: *pulvis es, et in pulvere reverteris* (Gen. 3, 19). Si ærem inspicimus, hic suo modo cuique hominum dicit, nil nisi ventum esse vitam ejus: *memento, quia ventus est vita mea* (Job. 7, 7). Si mare et flumina intueamur, hæc nos admonent, quod *omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur* (2 Reg. 14, 14). Omnia tandem quæ in hoc mundo cernimus, ad mortis memoriam nos revocare videntur; et tamen nil ita memoria nostra excidit, ut mortis recordatio: *homines nihil ita obliviscuntur, ut mortem*. Ut hanc mortis oblivionem dampnet Christus Dominus, et ut ejus memoriam mentibus nostris ingerat, proponit in hodierno Evangelio filium unicum et ipsum juvenem, qui mortuus est, et qui palam ad tumulum, multis comitantibus, defertur: *ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*. Ut aliis mentibus vestris hæc mortis memoria infigatur, hæc de morte erit concio. *Ave.*

Cum ad puerum hunc mortuum, qui ad sepulchrum hodie defertur, mentis meæ oculos convertit, non ejus misereri haud possum, et identidem intus moveor ad scrutandum, quid, a quo,

reant et detestentur; tunc sanat, cum eam in cæcitatibus sua remedium adhibent. Refert sacer textus, quod cæcum Christus sanaverit luto, quod oculis ejus apposuit; *lutum posuit mihi super oculos, et lavi, et videro* (Jo. 9, 15). Vili luto cum sanavit, ut ei indicaret, nil vilius peccato, quo exæcatur homo. Lutum illud oculis ejus admovit, ut cæcum illum doceret, non sanari hominem cæcitate spirituali percussum, nisi lutum ex cinere et lacrymis penitentiae compositum sumat. Hoc remedio usi sunt David, Paulus, Augustinus, et alii quotquot a peccatis surrexerant, et a spirituali cæcitate sanati sunt. Eodem et vos utimini remedio, ut a mentis cæcitate liberemini. Gratiam a Deo supplices petite, verbum Dei frequenter et humiliter audite; in primis salubre penitentiae medicamentum adhibete. Contritio, confessio et satisfactio sunt *triduum penitentiae, per quod cæcus peccator recipit visum animæ*; igitur summo dolore conteratur cor vestrum; ad confitenda omnia et singula peccata os vestrum aperiatur, et ad Deo, proximoque satisfaciendum, quidquid poterit manus vestra, generose efficiat. O cæci peccatores! vidistis quæ sint vestre cæcitatibus causa, quæ malitia, quæ remedia. *Nostis*, potissimam cæcitatibus vestre vos esse causam, ideo humiliamini, et adversus vosmetipsos irascimini. Ne dicatis, hic vel ille est in causa, cur tot et tanta perpetravi peccata, ob quæ in mentis cæcitate incidit; fatemini, ego sum qui feci, ego potissima, ultima, et quasi unica sum causa cæcitatibus qua laboro. *Nostis*, quanta sit cæcitatibus spiritualis malitia, qua nulla videtur major, cum in obstinationem, in peccata plurima, et in infernum trahere solesat, ideo a tanto malo liberari satagite, et contendite. *Nostis*, quæ sint remedia tanto malo adhibenda et ad illud sanandum idonea, hujusmodi adhibete remedia. Sine Dei gratia tantum malum sanari nequit, eam supplices petite; Dei verbum est efficax remedium ad cæcitatibus hanc curandam, illud frequenter, attente et humiliter audite; ac tandem penitentiam, tanquam optimo remedio utimini. Penitentiam agite, et aperiatur oculi vestri, ut Dei lumen videatis in hoc mundo, et in celo. *Amen.*

FERIA V POST DOMINICAM QUARTAM.

DE MORTE.

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ
(Luc. 7, 12).

Quamvis in hoc mundo nil communius morte, quæ ad omnes venit, rapit omnes, et omnes, cum minus cogitant, ad sepulchrum trahit, nihil tamen facilius obliviscuntur homines, quam mortem, cujus imaginem et ipsas ideas a mentibus suis multi tanquam importuna phantasmata fugant: *nihil ita quotidie homines ut mortem vident; nihil ita obliviscuntur, ut mortem* (S. Eucl. in paræn.). Si supra terram ambulamus, ipsa nos monere videtur, quod nil nisi pulvis et cinis sumus: *pulvis es, et in pulvere reverteris* (Gen. 3, 19). Si ærem inspicimus, hic suo modo cuique hominum dicit, nil nisi ventum esse vitam ejus: *memento, quia ventus est vita mea* (Job. 7, 7). Si mare et flumina intueamur, hæc nos admonent, quod *omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur* (2 Reg. 14, 14). Omnia tandem quæ in hoc mundo cernimus, ad mortis memoriam nos revocare videntur; et tamen nil ita memoria nostra excidit, ut mortis recordatio: *homines nihil ita obliviscuntur, ut mortem*. Ut hanc mortis oblivionem dampnet Christus Dominus, et ut ejus memoriam mentibus nostris ingerat, proponit in hodierno Evangelio filium unicum et ipsum juvenem, qui mortuus est, et qui palam ad tumulum, multis comitantibus, defertur: *ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*. Ut aliis mentibus vestris hæc mortis memoria infigatur, hæc de morte erit concio. *Ave.*

Cum ad puerum hunc mortuum, qui ad sepulchrum hodie defertur, mentis meæ oculos convertit, non ejus misereri haud possum, et identidem intus moveor ad scrutandum, quid, a quo,

et qualis fuerit illa mors, que adolescentem hunc ex hoc mundo abstulit. Si quid fuerit ipsius mors inquiram, respondebant philosophi, hanc nil aliud fuisse quam vitæ privationem, que per separationem animæ a corpore contigit, si a quo fuerit; rimari suscipiam, dicent haud dubie medici, eam fuisse a gravi morbo, qui eam præcessit et causavit; si tandem qualis extiterit, sive partentem, clamabant omnes eam fuisse terribilem filio, qui juvenis erat, et amaram matri, que unicum suum perdidit, *ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ*. Hoc quidem omnia verissima; attamen ut altius mortis memoriam mentibus vestris ingeram, quas de hujus pueri morte quaestiones per transannam attingi, easdem de morte in genere agitato; ac investigabo 1. *quid sit mors*; quod ut explicem, varias a variis authoribus allatas mortis descriptiones referam; 2. *a quo sit mors* inquiram, et eam a protoparentum peccato venire dicam; 3. *Qualis futura sit cujusque mors* indagabo, et asseram talem fore cujusque mortem, qualis extiterit vita, que eam præcessit. Quid est mors, a quo est mors, qualis erit cujusque mors; hæc tres hujus concionis partes.

I PARS.

Quid est mors.

Titum hortatur Paulus, ut vana, inutiles et stultas quaestiones, ex quibus oriuntur rixæ, contentiones, et invidiæ, quantum poterit, devitet; *stultas autem quaestiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis decita, sunt enim inutiles et vanae* (ad Tit. 3, 5). Non solum vanae et inutiles, verum et exitiosas quaestiones hoc revo ventilant multi, non tam ut sciant, vel ut bene agere discant, quam ut docti videantur, vel ut prævæ doctrinæ virus effundant. Quas quidem quaestiones quisque summo studio devitare deberet. Quaestio de mortis natura, nec vana est, nec inutilis; imo omnibus plurimum utilis et fructuosa, eamque a multis sæculis agitarunt philosophi, in quorum

scholis diu et studiose disceptatum, quid esset mors, varietate hac de re fuere sententiæ. Sophocles ad propositam quaestionem respondit: *mors ultimus est morborum medicus*. Et quidem recte; omnes enim morbi simul eam vita finiunt, nec in alio mundo agriitudine quadam laborant homines, sive beati illi sint, sive reprobi; non quidem beati qui in celo sunt, quia ibi *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra*; non etiam reprobi, quia licet in inferno dirissima patiantur, non tamen ibi proprie ægrotant et morbis afficiuntur. Socrates mortem dixit esse *sonnum, aut longinquam peregrinationem*. Est quidem somnus ita altus, ut qui hoc somno dormiunt ab eo nunquam, nisi adveniente miraculo, excitentur. Mors est etiam longinqua peregrinatio, quia qui moriuntur, ad celum, vel ad infernum migrant; *ad celum* justis, qui in Domino moriuntur; *ad infernum* impiis, qui lethalis cujusdam noxæ rei ex hoc mundo discedunt. *Peregrinantur* illi, ut ad celum vadant, ubi in perpetuum vivant et beabuntur. *Peregrinantur* isti, ut pergant *ad terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* (Job. 10, 21). Philosophorum princeps, mortis naturam sufficienter delineasse arbitratus est, cum ait, quod *omnium terribilium terribilissima est mors* (Arist. Eth. 3, 6). Hoc autem de omni morte dici nequit, quia juxta probatam, et verissimam Augustini sententiam, terribilis et mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit. Alii nonnulli philosophi mortem, *mortalium omnium portum* esse dixerunt. Crediderunt hi, nos in hoc mundo veluti in procelloso mari versari, in quo variis afflictionum fluctibus jactamur, multis adversitatum tempestatibus concutimur, et pluribus naufragiis obruimur, a quibus omnibus tunc solum liberamur, cum ad vitæ portum, seu ad mortem appulimus. Quod quidem patet de justis, quibus mors portus est felicissimus, ad quem cum pervenerint, requiescant in pace. Ad reprobi in morte sua, ab hujus mundi fluctibus ad formidandam trahuntur inferni abyssum; in qua dolorum suppliciorumque omnium procellis jactantur et obruantur. O qualem portum! Certe, si hic portus sit, hi in portu

nafragium faciunt. De insigni quodam philosopho, morti jam proximo fertur, quod cum nonnulli ex astantibus discipulis eum rogassent, ut antequam diem extremum clauderet, salutare quid eos doceret, respondit ille; date calicem, quo accepto, in papyro scripsit o, o, et nihil aliud scribere, vel dicere voluit. Disputarunt postea discipuli, quid significaret enigma illud duplicis o, o; ac, orantibus pensatis, judicarunt, magistrum duplici o, o, indicare voluisse, quod mors esset duplex o, o, seu quod nil aliud esset, quam *oblitio*. Quod quidem verum esse patet; nam mortuorum obliviscuntur homines, ac *perit memoria eorum cum sonitu*. Cum quis moritur, simul cum vita pereunt divitiæ, deliciae, et dignitates, pereunt amici et proximi; pereunt ludi, convivia, et omnia. Quod si ex mundi bonis aliquod non perire videatur, maxime fama, hæc simul cum vita perire solet, et mox ut sepulti sunt mortui, mox ut æra pro defunctis pulsari desinant, eorum obliviscuntur viventes, peritque fama et memoria eorum simul cum campanarum sonitu: *perit memoria eorum cum sonitu*.

Ingeniosa plurimum hæc omnes a philosophis date mortis descriptiones; verum his omnibus ingeniosior Tertullianus, mortem ait esse *ultimam questionum omnium*. Dixerunt nonnulli, *mortem esse ultimam vitæ lineam*, quia omnes in hoc mundo quasi pictores sinus, qui singulis diebus aliquam ducere debemus lineam, ut vitæ nostræ tabellam perficiamus; mors autem est *ultima vitæ linea*, quia ab instanti mortis nil amplius agere possumus, quod æternæ vitæ sit meritum. Non displicet hæc mortis descriptio; magis tamen ad rem facere videtur Tertulliani effatum dicentis, mortem non ultimam vitæ lineam, sed *ultimam questionum omnium* esse. Dignâ certe tanto viro sententia, qui existimavit totum mundum quasi lycæum et scholam esse, in qua variæ de quolibet homine proponi solent questiones; de quolibet enim homine vivente sæpe quaeritur, divesne sit an pauper? doctus, an ignarus? nobilis, an rusticus? sanus, an infirmus? adveniente morte cessant hæc omnes, et aliæ hujusmodi questiones, quia mortuus homo nec est homo dives nec pauper, nec

nobilis nec rusticus, nec doctus nec ignarus; est homo mortuus: *et mortuus est*. Unde mors est questionum ultima, quia ea adveniente omnes de mortuo questiones finiuntur. De mortis natura inter se non discrepant theologî: cum enim quid sit mors inquirunt, unanimi consensu dicunt, quod mors est *separatio animæ a corpore* (D. Bon. in 3, d. 18). Anima enim hominis nunquam moritur; annihilari quidem potest, at ipsa manente, mori non potest, quia ex seipsa vivit essentialiter. Unde ita impossibile est, animam esse et non vivere, sicut impossibile est animam esse, et non esse animam. Et ideo mors hominis, non est mors animæ hominis, est separatio animæ hominis a corpore ejus; hæc enim animæ a corpore separatione caro moritur; quia privatur forma, quæ essentialiter est vita; totum etiam compositum, seu homo moritur, quia tunc desinit esse compositum; et qui antea erat homo, non amplius est homo. Vis ergo scire, o homo, quid sit mors? certus esto, quod nihil aliud est, quam *separatio animæ a corpore*; tunc morieris, cum anima a corpore tuo separabitur. Hanc separationem aliæ comitabuntur separationes; tunc enim ab amicis, a consanguineis, a divitiis, a conviviis, a creatura hæc quam plus, æquo dilexisti, et ab omnibus hujus vitæ bonis separaberis. Satis superque ex jam dictis explicata videtur mortis natura; non displicebit tamen audire unum ex prophetis, nempe Jobum, qui mortem nunc umbram, nunc inundationem vocat. *Eam umbram nuncupat: umbram mortis*. Eam etiam *inundationem* vocat: *superveniet ei inundatio*. Mors quidem est *umbra*; quia sicut umbra sequitur corpus, a quo producit, ita et mors est quasi umbra, quæ necessario sequitur vitam, a qua producit; nullus enim in hoc mundo vivit, cujus vitam non sequatur mors; *quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem?* (Ps. 88, 49). Mors est etiam *inundatio*; quia sicut a torrente vehementi obvia cuncta rapi solent, ita adveniens mors rapit cuique vitam, fortune bona, dignitates sæculi, vitæ commoda, ac omnia quæ in hoc mundo possidebat. O portentosam inundationem! quam vero formidanda peccatoribus mors, si, quid sit, serio medi-

teatur! meditare ergo, o peccator, quod mors erit *umbra*, quæ tuam infallibiliter sequetur vitam: *inundatio*, quæ omnia tua rapido cursu diripiet; *separatio* animæ a corpore tuo; *peregrinatio* in regionem longinquam, a qua in hunc mundum nunquam revertaris; et *oblivio* tui, cujus obliviscuntur pater et mater, uxor et filii, ac omnes fere homines. O præclaram meditationem! Antequam primæ hujus concionis parti finem faciam, adhuc profundioris meditationis materiam subministrabo dicens, quod mors est *momentum a quo pendet æternitas*. In hoc enim mundo, quasi inter duas æternitates sanus positi, et, ut ait D. Augustinus, adveniente morte, *aut in æternum bene, aut in æternum male erimus!* tunc aut æternum beabimur in celo, aut æternum cruciabimur in inferno; mors autem est momentum a quo pendet æternitas, quia si in instanti mortis a lethali culpa erimus liberi, ad paradysum migrabimus, ut ibi æterna felicitate fruamur: e contra si in instanti mortis aliquo mortalis peccati vinculo ligati erimus, ad tartara æternam cruciandi detrahemur. Meditare, o homo, et serio recogita, quod mors est momentum, unde pendet æternitas: hoc meditare sepe, et pia hæc meditatio te ad valendum peccatis, et ad pie vivendum alliciet. Postquam quid sit mors explicimus, *a quo sit mors, inquiramus.*

II PARS.

A quo est mors.

Mox ut protoparentes formati et in paradiso terrestri fuere constituti, ut eorum obedientiam Deus probaret, legem eis indixit de non comedendo fructu arboris scientiæ boni et mali: Adamum enim alloquens, dixit: *ex omni ligno paradisi comedet, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris* (Gen. 2, 16). Hanc legem Tertullianus primordiale vocat, et

omnium legum quasi matricem, cujus violatione Adam et Eva a Dei gratia, a iustitia originali et ab immortalitate exciderunt. *Primordialis lex data Adæ et Evæ in paradiso, quasi matris omnium præceptorum Dei; si enim Deum suum dilexissent, contra præceptum ejus non fecissent; si proximum diligerent, id est semetipsos persuasioni serperenti, non credidissent, atque ita in semetipsos homicidium non commisissent, excidendo de immortalitate.* De immortalitate protoparentes excidisse ait Tertullianus. Vere quidem per iustitiam originale, quæ eis ab ipso ortu collata fuit, effecti erant immortales seu potius non mortales; nec enim unquam mortui essent, si eam non perdidissent; at quia Dei legem violaverunt, iustitiam originale et immortalitatem perdidērunt. Ex quo clarissime patet, quod mors non ab alio, quam a primi parentis peccato suam ducat originem per ejus enim peccatum mors in hunc mundum intravit, et ad omnes homines transiit: *per unum hominem*, ait Apostolus, *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit* (Rom. 5, 12). Deus, inquit Salomon, *creavit hominem inextinguibilem*, seu creavit illum, ut esset immortalis, modo scilicet vellet ipsi obsequi, et in statu innocentie perseverare. Ab innocentia descendit, Deoque obsequi noluit, in Deum peccavit, et per peccatum obnoxius morti factus est; non ipse solus, verum et omnes qui ab eo sunt procreati, ad quos omnes mors pertransiit. Sicut enim Christi gratia in omnes penitus homines redundat, omnesque erigit in spem vite æternæ, ita parentis peccatum mundum universum occupavit, cuiusque peccati noxam subsecuta est mors: quæ idcirco omnes homines perimit, cum nemo sit liber a culpa; et cuncti mortales ejusdem sint sceleris cum primo parente participes. Et ideo a peccato et per peccatum est mors; *peccatum in hunc mundum intravit: et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit.* Erga Adamum habuit se Deus, sicut habere se solent prudentes medici erga infirmos. Videmus nunquam medicos, qui infirmis sanitatem pollicentur, modo ab hoc et illo cibo abstineant. Et revera si a tali-

bus abstinerent cibis, melius se haberent et mortem vitarent; verum quia medicorum præscripto non obtemperant, in mortem incurrunt. Sic Deus Adamo in statu innocentie constituto immortalitatem pollicitus est ea conditione, ut de fructu vitæ non comederet; quia ex eo comedit, in Deum medicum suum peccavit, et ideo in mortem incurrit ipse cum omnibus suis posteris: *Adamus*, inquit Tertullianus, *accepit a Domino suo, ut a medico, satis utilem disciplinam secundum legem vitæ, ut omnia quidem ederet, ab una solummodo arbutuola temperaret, quam ipse medicus importunam interim roborat; audit ille medicum suum, sed abstinentiam rupit, edit illicitum, et transgressione saturatus, in mortem eruditus. O fatalem inobedientiam! o exitiosam transgressionem! o enorme scelus, per quod mors intravit in hunc mundum, et ad omnes Adami posteros transit: Adamus in mortem datus, exinde totum genus humanum de suo semine infectum, suæ etiam damnationis traducem fecit. Sicuti morbi, quos hereditarios vocamus a parentibus in filios declinare solent; sicuti etiam sententia, qua nobilis quidam reus ex ordine nobilium depellitur, filios quoque reddit ignobiles, ita mortis pena, cui addictus fuit scelerosus Adam, transit in ejus posteros. Propter peccatum ipse in mortem incurrit, et propter idem peccatum omnes Adami posteris peccatis mortis luunt: homo damnatus in mortem ob unius arbutuolæ delibationem, et exinde proficiunt delicta cum penis, et pereunt jam omnes, qui paradisi nullam cespitem norunt (Tertull.). Itaque cum mortuus sit Adamus, simulque moriantur omnes homines, Adami et aliorum hominum mors a peccato est: per peccatum mors.*

Deus mortem non fecit, inquit Sapiens: quis ergo illam fecit? duo ad illam faciendam concurrerunt, diabolus scilicet, et Adamus. Diabolus quidem, qui invidia adversus hominem exarscens, Adamum ad violandum Dei præceptum induxit, et ideo dicitur, quod *invidia diaboli mors introiit in orbem terrarum* (Sap. 2, 24); Adamus vero, quia Dei præceptum violavit, et ideo in sui criminis penam, morti adjudicatus est.

Quomodo autem diabolus et Adamus fuerint causa mortis, præclare explicat Hugo cardinalis dicens: « invidia diaboli, qui invidet homini beatitudinem, quam ipse perdidit, mors introiit in orbem terrarum, seu in omnes homines diffusos per omnes partes orbis terrarum. Nec sola invidia diaboli introdixit mortem, sed coadjuvit consensus hominis, quia nisi homo voluntarie consensisset suggestioni diaboli, non haberet mors potestatem in eo ». Est ergo mors a diabolo et ab Adamo: *a diabolo*, in quantum induxit Adamum ad peccandum, et *ab Adamo*, in quantum contra Dei mandatum peccavit. Et sic mors est a peccato quod perpetravit Adamus prævæ dæmonis suggestioni consentiens, *per peccatum mors*, inquit Apostolus, et ut ait D. Augustinus, *mors corporis de peccato est, si enim non peccasset Adam nec corpore mortuus esset. Corpus Adami ante peccatum mortale erat et immortale, inquit Augustinus: erat mortale, quia poterat mori, immortale quia poterat non mori. Unde in Adamo erat potentia moriendi, et potentia non moriendi; in eo erat potentia moriendi ex conditione nature, inquit Hugo cardinalis, et in eo erat potentia non moriendi ex beneficio gratiæ, quo concessum erat ei comedere de ligno vitæ, quo adiutus, semper viveret. Qui ergo factum est, ut hic homo, qui immortalis erat, in quantum poterat non mori, mortali factus sit et morti obnoxius? a quo ei ablatum est donum immortalitatis? a peccato utique quod commisit, cum de ligno vitæ comedit: corpus quidem mortuum, est propter peccatum. Unde aiunt nonnulli, quod mors a *morsu* dicitur; quia scilicet Adamus fructum vitæ momordit, et mordendo peccavit, quo peccato ipse simul cum omnibus posteris in mortis penam incurrat. O quam formidandum, et detestandum peccatum, a quo mors in hunc mundum intravit, et ad omnes homines pertransiit! horremus sciarium, qui alicui homini mortem intulit; ægre patimur carnifices, qui ut secularis justitiæ ministri, homines enormium criminum reos, morte afficiant? quanto magis detestandum peccatum, a quo omnibus penitus hominibus mors inferitur! Horreamus illum sciarium, deteste-*

Conciones pro tempore Quadragesimæ

mur illum carnificem, ac si mortem nobis inferat, inferamus et nos ei mortem, nec permittamus vel unicum mortale peccatum vivere et regnare in nobis: *non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (Rom. 6, 12). O frater, a multis annis regnavit in te luxuria, dic ei jam: *mors tua ero*; a diurno tempore vivit in te spiritus gulae, vel superbiae, dic ei: *mors tua ero*; uno verbo cum peccatum tibi mortem inferat, mortem et tu omnibus peccatis, et vitis tuis infer. Vidimus a quo sit mors, inquiramus modo quæ futura sit cujusque mors.

III PARS.

Qualis futura est cujusque mors.

Balaam, licet impius, morte tamen justorum mori sperabat et optabat: cum enim filios Israel ex montis cujusdam cacumine spectaret, et illos populum Dei esse agnosceret, in hæc verba prorupit: *moriatur anima mea morte justorum et fiant nocissima mea horum similia*. Hujus vita mala erat, et mortem bonam concupiscebat: hic vita impiorum vivere, et morte justorum mori desiderabat. Sic multos reperire est, qui vivere volunt ut porci, et mori cuperent ut sancti; multos qui toto vite suæ tempore avaritia, luxuria, aliisque vitis abstinere recusant, et nihilominus mortem martyrum, virginum, et sanctorum Christi confessorum exoptant. Illi utique similes huic, qui interrogatus uter esse mallet, Cræsus an Socrates? respondit: *in vita Cræsus, in morte Socrates*. Sic enim hi in vita esse vellent potatores, scortatores, usurarii, nec non omnibus vitis dediti: optarent vero mori morte justorum ac Dei amicorum, qui recta ad caelos pergunt: o quam vana hæc desideria, quam inutilia illa vota! Fieri quidem potest, ut qui bene vixerit, tandem in fine pereat, et in portu naufragium faciat; fieri etiam potest, ut qui male vixerit, in fine tandem ad Deum convertatur et salvus fiat,

sicut de bono latrone constat. Tamen plerumque et fere semper qualis est cujusque vita, talis est ejus mors: vita enim et mors sunt correlativa, et ideo vitæ respondet mors, talisque est mors, qualis existit vita, quæ eam prævit; si vita fuit bona, mors est bona, si vita mala, mors est mala. Unde si quis scire cupiat, qualis futura sit sua mors, vitam inspiciat: si vita bona, pro certo habeat mortem fore bonam, si vita mala, haud dubius credat mortem fore malam. Ut enim ait D. Hieronymus, *ei non bonus est finis, cui mala semper fuerit vita; e contrario vero, qui bene vixit, bene moritur* (Ep. ad Dam.). Mors vulgo dicitur, *echo vitæ*: ut enim echo voci, ita mors vitæ respondet. Cum inter concavas rupes, vel in domo quedam resonat echo, illam solummodo reddit vocem, quam edit clamans; si enim vox clamantis dicat, *bonum*, echo respondet, *bonum*; si malum, *malum*; si paradus, paradus; si infernus, infernus. Mors autem est quasi echo vitæ: si vita dicat, *bonum*, quia scilicet bona est, mors etiam dicit, *bonum*, quia ipsa quoque bona erit; si vero vita dicat, *malum*, quia ipsa mala est: mors etiam dicit, *malum*, quia ipsa quoque mala erit; talis tandem mors, qualis vita, quæ eam antecessit; *qualis vita, mors est ita*. Vita et mors hominum, non male ab aliquibus conferuntur cum syllogismo, cujus præmissæ vita, conclusio vero mors. In syllogismo recte composito, cum præmissæ sunt falsæ, conclusio etiam falsa esse solet, et cum præmissæ sunt veræ, conclusio semper est vera, quia cum argumentum est in forma, ex præmissis veris sequitur semper conclusio vera, *ex vero nonnisi verum*. Idem sane dicendum de cujusque vita et morte; scire cupis qualis tua futura sit mors? vide præmissas, vide qualis fuerit vita; si enim vita fuerit bona, mors quoque bona erit; si mala fuerit vita, mors etiam mala erit; *qualis vita, mors est ita*. Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, inquit propheta. Quæ est illa mortis umbra? mortis umbra, ait D. Augustinus, est ipsa vita; in medio umbræ mortis, id est in medio hujus vitæ, quæ est umbra mortis. Corpus est simile umbræ suæ, et umbra similis corpori a quo fit; corpus enim hominis non facit umbram equi,

et corpus equi non facit umbram hominis. Idem dicendum de cuiusque vita et morte; una enim est quasi umbra, alia vero quasi corpus; et ideo una alteri similis. Si vita saneta, mors quoque sancta erit: si vita mala, mors quoque mala. Si vivas ut jumentum indomitum, ut jumentum morieris; si vivas ut homo christianus et justus, morieris ut homo christianus et justus; talisque tua erit mors, qualis vita extiterit: *qualis vita, mors est illa*. Hoc præclare docet gentium apostolus, cum vitam nostram tempore sementis, et mortem tempore messis comparans ait, nos in morte messuros quæ in vita seminaverimus: *quæ enim seminaverit homo, hæc et metet* (Gal. 6, 7). Ut quis in agro suo frumentum metat, in eo seminare debet frumentum; ut metat triticum, vel hordeum, oportet, ut triticum vel hordeum seminet: quia *quæ seminaverit homo, hæc et metet*. Similiter, si quis toto vitæ suæ tempore seminaverit opera superbæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, et aliorum vitiorum, in morte pessimis superbæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ et aliorum vitiorum fructus metet. E contra, si quis toto vitæ suæ tempore actiones humilitatis, patientiæ, charitatis, et aliarum virtutum seminaverit, in morte earundem virtutum fructus metet, quia *quæ seminaverit homo, hæc et metet*. Videte quomodo se habuerint apostoli, mittentes semina sua (Psal. 125). Jejunia, orationes, prædicationes, mortificationes, et alia pia opera quæ faciebant, erant semina, quæ mittebant; in morte autem sua ea messuerunt, quæ seminaverant: *venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*. Si seminassent opera iniquitatis, fructus consimiles in morte messuisent: quia vero seminarunt opera virtutis, in morte fructus virtutis messuerunt. Vis, o homo, metere in benedictionibus? semina in benedictionibus: quia *qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*. Vis in morte metere fructus virtutis? dum vivis, mitte semina virtutis: quia quæ in vita seminaveris, in morte metes: aut, ut clarius loquar, si male vixeris, male morieris, et si pie vixeris, pie et religiose morieris.

Princeps quidem hæreticus, rogatus quid de Catholicis, et Calvinistis sentiret, ingenue respondit: velle vivere cum Calvinistis, et mori cum Catholicis, quia vita illorum est voluptuosior; mors istorum est lætior et securior. Sic multi Romanæ etiam ecclesiæ illi vivere vellent voluptuose, et mori pie: in vita sua mittere vellent semina avaritiæ, luxuriæ, gulæ, et aliorum vitiorum; in morte vero fructus virtutum metere. Vivere optarent ut impii, et mori ut sancti; mors, vitæ similis esse solet, et ut ait D. Augustinus: *vix bene moritur qui male vixerit*. Vis bene mori? bene vive: si enim male vivas, male morieris: quia qualis vita, talis mors, et *vix bene moritur qui male vixerit*. De philosopho quodam refert Johannes Torres, quod cum die quadam in nundinarum foro deambularet, in quo equi multi, multi asini, et alia multa bruta animantia erant, queritare cepit inter asinos et nunc illum nunc alium inspiciebat, sicque per forum discurrebat, quosque interrogatus, quid tam sollicitè quæreret? respondit: asinum quero. Cui adstantes dixerunt: plurimos coram habes. Quibus ille: non hujusmodi quero, sed unum qui pulchram pavonis caudam habeat. Caudam pavoninam in asino quæris? dixerunt hi: stulta sane inquisitio tua. Ad quos philosophus: hæc non meum, sed vestra stultitia est: non ego stultus, sed vos; quia post asinam et bestialem vitam, pavoninam, seu pulchram et sanctam mortem quæritis. Hæc quidem magna multorum stultitia, qui cum vivant ut bruta pecora, præclaram justorum mortem exoptant; non enim brutis illis animantibus, at justis hominibus justorum mors competit; quia *Domini non consuevit dare mortem justorum, nisi justis*. Vis mori ut justus? vive ut justus: qualis enim vita, talis mors; atque, ut ait D. Paulus, qualia sunt opera, quæ in vita peragimus, talis est mors, quam obimus; *quorum finis erit secundum opera ipsorum*. Ecce qualis cuiusque futura sit mors; talis scilicet qualis vita, quæ eam præcessit; si vita sit bona, mors erit bona; si vita mala, mors erit mala. Itaque, inquit D. Augustinus, *conscende tribunal mentis tuæ, et esto iudex*; conscende tribunal non passionum tuarum, sed mentis tuæ, et serio recogita, qualis tua fuerit

vita; quomodo vixeris in adolescentia tua, quomodo in juventute, et quomodo a toto tempore, quo rationis usum habes. Vixistine instar hominum justorum, vel instar impiorum? servastine omnia Dei mandata? fuisti ne fidelis in Dei obsequio? *conscende tribunal mentis tuæ, et hæc serio scrutare: si autem vitam tuam pravam fuisse, et jam talem esse invenias, timendum valde, ne prava et pessima futura sit tua mors: quia qualis vita, talis mors, neque enim, ait Doctor Seraphicus, eorum mors sancta et pretiosa in conspectu Domini esse potest, quorum vita sordida et mala fuit: hoc non taceo, hoc verum puto quod ei non bonus finis est, cui semper mala fuerit vita.* De nobili quodam ex Sabaudia oriundo legitur, quod cum extrema ageret, dum ei adstantes de æterna salute loquerentur, ipse anasiam, quam deperierat, compellabat dicens, *o meum corculum! o animala mea! siccine separât amara mors?* Alii non pauci reperti sunt, quibus mox morituris cum sacerdos de æternis loqueretur, ipsi de terrenis solummodo erant solliciti: dicebat sacerdos, ut animam Deo commendarent, ut beatam Virginem aliosque sanctos ad sui auxilium invocarent, et hi vel filius, vel concubine, vel usuris, vel nummis, vel mercibus, vel aliis que in vita dilexerant, toto corde et animo erant intenti; quia quales in vita fuimus, tales et in morte erimus: ut ergo bona et pretiosa in conspectu Domini sit mors vestra, bona, christiana et pia sit vita vestra. Penes quemque est mortem suam bonam facere: ut enim quis bonam faciat mortem suam, oportet solummodo ut Dei et Ecclesie servet mandata; oportet ut bene et christiane vivat; quia qui bene vivit, bene moritur; talisque mors, qualis vita. Vivite ergo bene, ut bene moriamini. Aliena restituite, injurias condonate, parcite inimicis, penitentiam agite, pravos eradicate habitus, proximas peccandi occasiones fugite, christianas sectamini virtutes: pie tandem vivite, si que et pretiosa erit in conspectu Domini mors vestra, que etiam erit transitus ad vitam æternam. Amen.

FERIA VI POST DOMINICAM QUARTAM.

DE CONVERSIONE NON DIFFERENDA.

Voce magna clamavit: Lazare, veni foras. Et statim prodit qui fuerat mortuus (Joan. 11, 43).

Cum Lazarum intueor mortuum, in sepulcro jacentem, fœtidum, et institis ligatum, nequeo non mente revolvere miserum hominis peccatoris statum; peccator enim spiritualiter mortuus in vitiorum suorum sepulchro jacet, horrendum in modum fetet, ac terris scelereum suorum fanibus constringitur. Jamvero, proh dolor! Lazarus, Christo vocante, protinus e sepulchro exit, et statim prodit qui fuerat mortuus; plurimi vero peccatores ita miseri sunt et insensibiles, ut a peccato prompte surgere, et ad Deum cito converti negligant. Clamat Deus: *Convertimini ad me in toto corde vestro*; clamant concionatores, clamant confessarii, alique pii monitores; et hi tanquam sardi auditores de peccatorum suorum sepulchro exire morantur et conversionem in futurum differunt. Deus, cujus infinita bonitas, in cujuslibet peccatoris corde clamat: *o miser! o peccator! o Lazare, per peccatum mortuus, veni foras*, exi de pravo illo habitu, quo tot jam annis ligatus es; *exi* a domo illa, in qua toties in gravia crimina lapsus es; *exi* ab impij consortio, quo pluries ad peccandum adductus es; *exi* a volutabro, cui infixus es; *exi*, et egredere nunc a pravo illo statu, in quo diu moratus es: hi autem non statim, ast in futuro; non modo, verum post aliquot annos, cum gravis quidam eos morbus invaserit, vel cum eis imminens mortis periculum teruerit et conturbaverit, ad Deum converti statuunt. O quam miseri hujusmodi peccatores! quibus ut meliora et salubriora suadeam, de conversione usque ad vitæ finem non differenda hunc habeo sermonem. Ate.

Peccator qui conversionem ad vite finem differre vult, qui se tunc solummodo penitentiam acturum decernit, cum ex hoc mundo migrandi tempus advenerit, haud dubie peccat mortaliter; *tum* ob evidentissimam damnationis periculum cui se exponit; *tum* quia prava hac voluntate gravem infert injuriam Deo, cujus amicitiam ita parvipendit, ut eam in vite fine, et non antea sibi conciliare proponat. In grave tamen hoc peccatum cadere nos timeat multi, qui conversionem suam ad senectam, ad ultimum morbum, aut ad imminens ex hoc mundo exitum differunt; quia tunc solum se penitentiam acturos statuunt, cum nihil agere poterunt. Quo nomine huiusmodi homines appellem, quo caractere eos insigniam, nescio. Eos sane dicere possem viros in Deum ingratos, viros protervos et contumaces, viros rebelles lumini, et propriae salutis minimum sollicitos. Verum relicti turpibus his et aliis nominibus, quibus illos compellere possem, nulla eos afficiam injuria, si eos incredulos, stultos, et reprobos appellem. Qui enim conversionem ad vite finem differunt, sunt 1. increduli et infideles: 2. stulti et amentes: 3. reprobi et damnati.

I PARS.

Qui conversionem ad vite finem differunt increduli sunt.

Christiani, qui conversionem ad vite finem differunt, fideles adhuc appellantur, ratione fidei infuse, quam in Baptismo susceperunt; eos tamen incredulos, infideles et a fide alienos dicere licet: *satis alienus es a fide, qui ad agendum penitentiam tempus senectuti expectas* (Alcuin. *de virt. et vitis*). A fide quidam alieni designantur, id est increduli, quia non credunt 1. sacrae Scripturae verbis; 2. sanctæ Ecclesiae decretis; 3. sanctorum Patrum dictis et sententiis.

1. Communis impiorum hic est error, quod confessio et conversio sint in futurum remittende, quodque in ultimo morbo, et instante morte conteri, peccata confiteri, Deo satisfacere,

et omnia veri penitentis munia obire sit facillimum; contra monet sapiens, in hoc errore non esse demorandum, et conversionem usque ad mortem non differendam: *non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. Confiteberis vivens, vivis eis anus* (Ecl. 17). Non debet quis suam differtam conversionem quousque infirmabitur ad mortem; converti debet, dum perfecta gaudet sanitate, nec quocumque modo tardare converti ad Dominum: *non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem* (Ecl. 5, 9). Sic loquitur Israeliticæ populi rex Salomon; sic pariter docet verus Salomon, Christus scilicet, qui penitentiam statim agendam monet: *nisi penitentiam habueritis, inquit, omnes similiter peribitis*; quæ verba, aut æquipollentia mox repetit dicens: *si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Non dicit Christus, penitentiam aliquando peragendam, sed modo habendam, ac in præsens agendam: *nisi habueritis, si non egeritis*. Quod confirmat parabola hominis, qui cum fleuleam non habentem fructum in vinea sua invenisset, dixit procuratori vineæ, ut illam cederet; *succide illam, ut quid terram occupat?* Eodem enim modo, qui non agunt penitentiam, eamque semper in futurum dimittunt, succidentur et in ignem mittentur; *si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Eximius penitentia præco, ac Christi Domini præcursor Joannes Baptista, ad celerem conversionem pluries et instanter adhortatur; *penitentiam, inquit, agite, appropinquavit enim regnum celorum*. A conversione in tempus futurum remittenda deterret dicens: *penitentiam agite nunc, agite prompte, quia appropinquavit regnum celorum*. Christi præcursor, ut penitentiam cito agendam suadeat, ait: *facite ergo fructus dignos penitentia* (Matth. 3, 2); perinde ac si diceret; nolite expectare usque ad mortem, vel usque ad ætatem decrepitam, ut tunc fructus penitentia dignos faciatis, modo vero, statimque *facite fructus dignos penitentia* (Luc. 3, 8). Alium audianus præconem, ac omnium gentium doctorem Paulum, qui ait; *hora est jam nos de somno surgere*. Dicere solent peccatores: tunc a gravi peccatorum meorum sono surgam, et ad Deum me totum

convertam, cum sanctus advenit, vel mortis tempus appropinquaverit; aliter loquitur divus Paulus; non ait: *tunc* tempus erit; *tunc* hora erit; *tunc* me convertam et a peccati somno surgam: alta voce proclamat; *hora est jam nos de somno surgere*: ecce hac die, hac hora jam tempus est surgendi a peccato, et ad Deum nos convertendi. Fratres, inquit idem Paulus: *dum tempus habemus, operemur bonum* (Gal. 6, 10). Quasi dicat: nescitis an tempus futurum sitis habituri, ideo conversionem vestram et bona opera ne in futurum differatis, incunctanter et absque ulla mora iis sedulo incumbite. Ecce quomodo Christus, quomodo Salomon, quomodo sanctus Joannes Baptista, quomodo Paulus ac tota pene sacra Scriptura conversionem in futurum non esse differendam doceat: ergo qui conversionem in futurum differunt, increduli sunt et infideles, quia non credunt s. Scripturæ. Increduli quoque, et infideles dicendi, *quia non credunt sanctæ romanæ Ecclesiæ decretis*.

2. In nascentis ecclesiæ primordiis, conversio, quæ a peccatoribus graviter ægotantibus fiebat, ita inutilis et illegitima censetur, ut, teste sancto Cypriano, iis qui illam ad hoc usque tempus distulerant, absolutio denegaretur, quia hi non non sufficienter ad absolutionem recipiendam dispositi et ea indigni existimabantur. Aliquo tamen elapso tempore, in Concilio Arelatensi, Ecclesiæ claves tenente Silvestro summo Pontifice, declaratum est, iis qui conversionem suam distulissent, posse dari absolutionem, et illis denegandam communionem; *De his qui apostatant, et antequam se ad ecclesiam representent, nec quidem penitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate correpti petunt communionem, placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint fructus dignos penitentiae*. Non multo post tempore, hujusmodi penitentibus absolutionem dari et sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ministrari concessum est, ne Ecclesia favere videretur errori Novatianorum, qui lapsis post Baptismum nullum superesse salutis remedium debebant. Et revera a multo tempore iis dantur absolutio et communicatio, quando veræ conversionis signa edunt. Conversiones tamen hujusmodi ab Ecclesia

semper inspicuntur ut dubiæ, ut suspectæ, et ut coactæ; nam ut habetur in decreto, qui penitentiam sic differunt, non consentitur voluntarie converti, et non creduntur peccata dimittere, sed a peccatis dimitti; *si vis agere penitentiam quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*. Baptismum recipere olim differabant multi quousque ad protractam ætatem pervenissent, vel gravi aliqua infirmitate laborarent. Concilium autem Neocæsariense hos qui in infirmitate constituti baptizabantur, irregulares declarat, eosque ad sacerdotium promoveri prohibet, quia eorum fides dubia, suspecta, et non voluntaria creditur; *si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet; non enim fides illius est voluntaria, sed ex necessitate*. Quod autem de baptismo dilato, hoc et de penitentia ad vitæ finem dilata sentit Ecclesia: sicut enim hunc baptismum non voluntaria, sed ex necessitate receptum decernit; ita et penitentiam dilatam non voluntariam et suspectam iudicat; eosque qui in vite fine penitentiam agunt, peccata non voluntarie dimittere, verum ab iis dimitti credit; *Si vis agere penitentiam quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*. Ecce varia sanctæ romanæ Ecclesiæ decreta, quæ penitentiam non esse differendam statuunt; quapropter increduli et infideles dicendi, qui penitentiam differunt, quia Ecclesiæ decretis non credunt; ac etiam, *quia non credunt sanctorum patrum dictis, et sententiis*.

3. Qui conversionem ad vitæ finem differunt, se tunc vere penitentiam acturos sperant. Ast, inquit divus Augustinus, sicut nullus vult diu ægotare sub spe sanitatis futuræ, ita et nullus in peccatis diu perseverare debet sub spe misericordiæ Dei. Re quidem vera, qui penitere differunt, repentino sæpe corripiuntur morbo et sine penitentia ex hoc mundo exeunt; *nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei diutius in suis remanere peccatis, cum etiam nemo in ipso corpore vellet sub spe salutis futuræ diutius ægotare*. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, et sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita preveniuntur

repentino Dei furore, ut nec conversioni tempus, nec beneficium remissionis inveniant (De fid. ad Pet. 3, int. op. S. Aug.). Innumera alia ex divo Augustino adduci possent loca, quibus ab hac conversionis dilatione dehortatur, eamque reprobatur. Aliis sanctis patribus auditum præbeamus. Hujus vite tempus brevissimum cæsent omnes; est enim veluti vapor ad modicum parens, ut fulgur in momento disparsens; ut umbra velocissime transiens; caveant ergo, inquit S. Gregorius, peccatores conversionem diu differre; ne de die in diem tardent ad Deum converti, *quoniam tempus breve est et finis peccatorum erubescant se peccasse, erubescant conversionem distulisse, mors est; concertatur, et erubescant valde velociter*. Severum Dei iudicium imminere, ait S. Petrus Chrysologus, in quo durissima a Christo Domino proferatur sententia adversus illos, qui peccatorum suorum penitentiam non egerunt; ideo, inquit, penitentia acceleranda, nec in futurum differenda, ne supremi Judicis sententiam penitentiam præveniat: *currat penitentia, assentientia ne præcurrat*. Eorum qui penitentiam in futurum differunt, errorem manifestat D. Basilius diceo, quod tunc converti volunt, cum neque loqui, neque audire, nec doceri, nec peccata confiteri poterunt: *ane expectas, ut te tum febris ad penitentiam vocet, cum nec salutaria verba amplius proloqui, neque quidquam auribus accipere poteris; cum in ipso capite morbus inhabitabit; cum non manus amplius ad cælum tollere, non commode doceri, non certo confiteri, non in Dei gratiam redire valebis? O ingentem errorem! Sanctus Ambrosius, qui penitentiam in futurum non esse remittendam, plures suadere conatus est, ait tandem penitentia esse ferventer insistendum, ac ad penitentiam cito currendum, sicut naufragus currit ad tabulam, ut ejas interventu a naufragio salvari possit: *insiste fortiter, penitentia inhaere, tanquam naufragus tabulae*. Quod et Tertullianus iisdem fere verbis antea dixerat: *penitentiam, inquit, tu peccator ita invade, ita amplectare, ut naufragus aliquam tabulam*. Quid vero immeror in colligendis aliquorum sanctorum patrum dictis non aliqui solum, omnes penitus sancti patres, qui de penitentia*

locuti sunt, eam non esse differendam docuerunt. Se igitur produm incredulos et infideles, qui penitentiam in futurum differunt, cum sacre Scripturæ verbis, sanctæ romanæ Ecclesiæ decretis, ac sanctorum patrum dictis non credant. Etsi autem corde credant, saltem operibus suis se non credere ostendunt, cum cito penitentiam non agant, eamque in futurum differant. *Si quis suorum, inquit divus Paulus, maxime domesticorum curam non habet, filium negavit, et est infideli deterior*. Ille infidelis est habendus, qui licet domesticorum curam habendam credat speculative, hoc tamen non credit practice et fide efficaci, quæ illum ad curam de domesticis habendam alliciat; ex quo fit ut quod corde et verbis credit, factis et operibus suis negat, dum non peragit, quod præcipit sacra Scriptura. Sic qui conversionem in futurum differunt, increduli et infideles sunt suis operibus, illa opera omitendo vel negligendo, ad quæ sacra Scriptura, Ecclesia, et sancti patres vehementer hortantur; ac factis negant, quod corde et verbis forte profitentur. Infideles hujuscemodi, qui suam in futurum conversionem differunt, *sunt etiam stulti et amentes*.

II PARS.

Qui ad conversionem ad vitam finem differunt, stulti sunt.

Omnes quidem peccatores juxta divinum sacre Scripturæ loquendi modum stulti sunt, et hujuscemodi stultorum infinitus est numerus (Ecc. I, 15). Jamvero inter stultos peccatores hi stultissimi censendi sunt, qui conversionem ad vite suæ finem differunt: *stultissimum est, ut causa, in qua de necessitatibus agitur æternis, vite deficientis committatur extremis* (Ang. ser. 120 de temp.). Hi certe stultissimi 1. quia in vultu jacent, et nolunt ab eo exire: 2. quia in servitute degunt, et nolunt ab ea liberari: 3. quia quasi in putei margine dormiunt, et nolunt inde amoveri.

1. Cum Naas Ammonites pugnare cepit adversum Jabes Galaad, dixerunt ei omnes viri Jabes: *habeto nos confederatos, et*

serviemus tibi (2 Reg. 11). Respondit arroganter Naas: *in hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruum omnium vestrum oculos dextros*. Ecce fœdus, quod init dæmon cum peccatoribus, qui penitentiam in futurum differunt; iis mentis oculos ita eruit, illosque eo stultitiæ ducit, ut cum jaceant in fœtido scelerum suorum volutabro, inde exire nolint, nisi in vitæ suæ fine et instante morte. Dic, quæso, nonne stultus ab omnibus censetur homo, qui cum in volutabro decumberet, inde nullo modo exire vellet, nisi post viginti annos, vel ultimis vitæ suæ diebus? hunc certe stultissimum dicerent omnes, ac ipsi pueri eum ut stultum crederent et irriderent. Eodem prorsus modo stulti censendi peccatores, qui ad Deum converti differunt: ipsi enim sunt veluti immunda animantia in scelerum suorum volutabro jacentia, *sus lota in volutabro luti*; Deus autem, angeli et homines eos ad inde surgendum hortantur; et tamen inde exire nolunt, donec insenuerint vel lethali quodam morbo corrupti fuerint. O magnam stultitiam! Jucundum est quod narratur de Judæo quodam, qui cum die sabbati in volutabrum incidisset, inde surgere noluit, ne legem hanc violaret, quæ in die sabbati omne opus prohibebat. Errabat, qui de sterquilino surgere opus a lege prohibitum credebat: quare qui eum sic in luto jacentem videbant, hortabantur illum ut surgeret, eique manus et auxilium offerebant, ut eum inde extraherent; ipse vero renuens, stylo poetico respondebat.

Sabbata sancta colo, de stercore surgere volo.

Non sana legis observantissimum, potius stultissimum eum putare, quotquot illum in hoc volutabro pertinaciter manere volentem viderunt; ac in primis eum stultum censuit quidam, qui illum profundius in volutabrum immersit, illumque hinc inde voluit dicens, quia in hoc volutabro sabbati legem servaturus delectaris, volo, ut in eo sabbatum perfecte celebres.

Sabbata sancta quidem Salomon celebrabis ibidem.

Grandis certo Judæi hujus stultitiæ: stultioris autem ac magis impii putandi qui conversionem differunt: isti namque in voluta-

bro peccati ac in turpi scelerum suorum luto et limo infixi sunt: *infectus sum in limo profundi*. Clamant Deus et angeli, clamant concionatores et confessarii, clamant parentes et amici, eosque hortantur, ut a volutabro hoc cito surgant; ipsi vero, ut mundi et carnis leges servent, inde usque ad senectutem, vel usque ad mortem surgere differunt. Tunc, inquit, surgam cum sennero, cum graviter infirmabor, cum mortis hora appropinquaverit: o qualem stultitiam! Insapientes quidem qui in volutabro jacent et nolunt ab eo exire; hi etiam stulti, quia *sub jugo sercorum vivunt et nolunt a servitute liberari*.

2. Tot sunt servi, quot peccatores. Sunt enim servi peccati in quod inciderunt; *qui facit peccatum, servus est peccati* (Io. 8, 34). Quid avarus, nisi divitiarum et dæmonis servus? *qui voluit divites fieri, incidit in tentationem, et in laqueum diaboli* (1. Tim. 6, 9). Quid ambitiosus, nisi mancipium et servus propriæ excellentiæ, qui sub gravi ambitionis jugo ingemiscit, et prius servit, quam dominetur? *grave ambitionis jugum, quia ut dominetur aliis, prius servit* (S. Bern.). Quid luxuriosus, quam turpitudinis suæ et fœdæ libidinis mancipium? Quid tandem omnes peccatores, quam servi scelerum, quibus addicti sunt! *qui facit peccatum, servus est peccati*. Impiorum servitutem gravissimam censet D. Augustinus, quia non uni solum, sed tot dominis serviunt, quot vitis adherent. Quamvis reges hi sint, et imperatores, gravi tamen scelerum suorum jugo subduntur, totque dominorum sunt servi, quot variis vitiorum generibus indulgent; *malus etiam si regnet, servus est, nec unius domini, sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum*. O duram servitutem, quam adhuc durioiorem et graviorem existimabit, qui animadvertet, servos peccati, servos etiam esse dæmonis, a quo victi et superati sunt; *a quo enim quis superatus est, hujus et servus est* (2. Petr. 2, 19). Tentat homines dæmon, impugnat viros etiam sanctissimos; omnibus bellum indicit, omnesque dejicere, et ad peccatum pertrahere conatur; cum autem in mortale aliquod peccatum illos trahit, tunc ab illo superantur, atque ita diro illius jugo sub-

duntar, ejusque sunt mancipia et servi; a quo quis superatus est, hujus et servus est. O importabile jugum! o duram servitutem! quam proinde insipientes et vecordes sunt qui penitentiae dilatione jugum illud excutere et ab hac servitute liberari nolunt! Stultos aliquos vidit Job, quorum stultitia altas radices habebat: *ego vidi stultum firma radice*. Stulti hi sunt ipsimet peccatores, qui a peccatis surgere et penitentiam agere differunt: stulti quidem sunt *firma radice*, quia nulla major, nulla magis radicata videtur stultitia, quam quod quis a dura et horrenda daemonis, scelerumque suorum servitute usque ad ultimam senectutem et ad vitæ exitum liberari nolit. Quod ut clarius pateat, dic, quaeso, si quis sub dura Turcarum vel aliorum infidelium servitute gemens, ab ea liberari jam jam facile posset, et tamen ab ea liberari renneret, donec insenuerit vel propinque mortis tempus adveniret, nonne censeretur hic stultus, et in stultitia quam maxime radicans: nemo est qui non illum hominum stultissimum proclamet. Insaniunt propterea multo magis, qui conversionem in futurum differunt, eo quod a peccati et daemonis servitute mox in libertatem filiorum Dei alseri queant, et nihilominus id fieri expectant cum gravi morbo laborabant, vel cum mortis hora appropinquerit. O portentosam hujusmodi hominum stultitiam! que tamen amplius pateat ex ea quod in putei margine dormiant, et inde amoveri nolint.

3. Infernus est locus profundissimus, in terræ centro constitutus, in quo umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Hic locus est simul carcer, lacus, et puteus. Est carcer et omnium carcerum teterrimus, omni horrore et fœtore plenus, in quo detinentur et torquentur damnati, ac omnes labez mundalium sordium exhalant. Est locus horrendus, in quem descendant et præcipitanti reprobri æternam cruciandi: *descendant in lacum ad populum sempiternum*. Est puteus, et a dilecto discipulo in libro Apocalypses vocatur *puteus abyssi*, quis hic puteus est stupendæ profunditatis, nec ab eo damnati quocumque modo exire possunt. A regio vero vate dicitur *puteus interitus*: tum quia

in illum impij in ipso sui interitus instanti præcipitanti; tum quia miseri in eo viventes, semper morientur, et interitu sempiterno cruciabantur. Quam horribilis et formidandus sit ille puteus, describit Eusebius Emisenus, dicens: *hic puteus cum susceperit reos, clauletur sursum, et dilatabitur in profundum; nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper urgentibus, relinquetur; detrucentur illic valedicentes rerum naturæ; ultra nescientur a Deo, qui Deum scire noluverunt*. O quam horrendus ille puteus! in cujus tamen margine peccatores conversionem in futurum amandantes dormiunt, quin inde amoveri velint. Quasi in margine et ad oram inferni dormiunt peccatores, quia si repentina corripiantur morte, mox in infernum cadunt: *ducant in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendant* (Job. 21, 13). Clamat Spiritus Sanctus, ut eos a lethali hoc peccati somno excitet: *surgite qui dormis, et exurge a mortuis* (Eph. 5, 14). Clamat, quod a pessimo hoc somno surgendi hora jam adveniret: *hora est iam nos de somno surgere*. Clamat, et stulti hi peccatores somno peccati veluti in inferni margine dormire, ac usque ad vitæ finem dormire volunt; o ingentem hujusmodi peccatorum stultitiam! Stulti ergo peccatores, qui ad vitæ suæ finem penitere differunt: *stulti*, quia in volutabro jacent et nolunt inde exire: *stulti*, quia servi sunt, et nolunt liberari: *stulti*, quia in margine putei infernalis dormiunt, et nolunt inde amoveri. O frater, desine insanire, desine ita recordia tabescere, ut conversionem ad vitæ tuæ finem differas; quia forte morte subitanea præoccupatus in infernum caderes: *noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo* (Eccles. 7, 18). Peccatores autem qui penitentiam differunt, non solum vesui et amentes, sunt etiam damnationi et reprobationi proximi.

III PARS.

*Conversionem ad vite finem differentes,
reprobationi proximant.*

Qui conversionem ad vite finem amandant, de salute sua non diffidunt: quin contra tunc se penitentiam acturos, ac æternam beatitudinem adepturos sperant et confidunt. Latronem, inquit, tunc salvavit Christus; salvabit et nos illa hora, erga latronem tunc ita misericors extitit, ut ei Paradisum aperuerit; erga nos similiter se ita misericordem exhibebit, ut a paradiso non excludat. Jamvero falluntur miseri, quia latronem quidem tunc salvavit Christus, ut nobis innotesceret, nec in ultimo vite termino de misericordia Dei esse desperandum: *Sed non nisi unum sic salvavit*, inquit S. Bernardus, *ut raram esse hujusmodi salvationem manifestaret*. Ita rara et difficilis est salvatio eorum, qui ad vite finem conversionem differunt, ut eos veluti reprobos et damnatos inspicere possimus. Quod ne a meipso dictum videatur, triplex omni exceptione majus testimonium adducam; Salomonis scilicet, Augustini et Scoti: 1. *Salomonis* inter sapientes sapientissimi; 2. *Sancti Augustini*, inter patres perspicacissimi; 3. *Scoti* inter theologos subtilissimi.

1. Impii qui de sua in vite termino conversione sibi blandiuntur, tam diu prave conscientie stimulis dilaniantur, tanto timore concutuntur, totque calamitatibus sepe opprimuntur, ut vere ambulent vias difficiles, et in via iniquitatis lassentur: *lassati sumus in via iniquitatis et perditionis* (Sap. 5, 9). Vite quibus incedunt hujusmodi viri, dura, aspera, difficiles et doloribus plena: *delicati mei ambulaverunt vias asperas* (Baruch 4). Via et vita illorum in lubrico versatur, ac multis est complanata lapidibus, seu occasionibus ad peccandum allicientibus; *via peccantium complanata lapidibus*. Quid tandem fiet de his hominibus, qui ambulant vias difficiles, asperas, et la-

pidibus complanatas? quis finis eorum? *Via peccantium complanata lapidibus*, inquit Salomon, *et in fine illorum inferi, tenebræ et pœnæ* (Ecclesi. 21). Dicunt hi: in fine vite mee omnia confitebor peccata; ea lacrymis multis delebo; Dei misericordiam impetrabo, et æternam beatitudinem obtinebo. Sic loquuntur qui conversionem suam differunt: aliter omnino loquitur Salomon; non iis beatitudinem æternam pollicetur: quin contra eos damnandos ac ad tartara mittendos prædicit: *in fine illorum inferi, tenebræ et pœnæ*. Deus per seipsum, per prophetas, per apostolos ac per concionatores, ad promptam morum mutationem et conversionem peccatores sæpe hortatur; ipsi vero in sua ipsorum insipientia omnes inspirationes internas, consilia omnia, omnes prædicationes, ac sapientum quorumcumque monita spernunt: *non recipit stultus verba prudentiæ* (Prov. 13, 2). Stulorum hujusmodi corda ita dura sunt ut nec minis, nec promissis, nec consiliis, nec Dei gratia flecti possint; ac tandem in fine vite quid funestum eis eveniet: *cor durum male habebit in novissimo* (Ecclesi. 3, 27). Quid funestum eis tunc accidet? nonne tunc convertentur ad Dominum? nonne tunc morientur morte justorum? nonne æternam felicitatem assequentur? nequaquam, inquit Salomon; hi miseri, qui in continuo damnationis periculo vivere voluerunt, infelicitate peribunt et æternam damnabuntur: *cor durum habebit male in novissimo, et qui amat periculum, in illo peribit*. Ecce quid de his obduratis et tomerariis peccatoribus sentiat Salomon, inter sapientes sapientissimus; audiamus hac de re disserentem Augustinum, qui inter sanctos Ecclesie patres perspicacissimus et doctissimus est.

2. Non differenda conversio, inquit Augustinus; non enim sumus securi an diu sinus victuri, ac valde timendum, ne qui ad Deum converti differunt, morte subitanea rapiantur, et ad infernum præcipitentur; *tunc, ne imors supercœnens te rapiat et pereat dilato, et succedat æterna damnatio*. Quod et confirmat ex S. Scriptura, in qua dicitur, non quod salvi fient, sed quod disperdentur, qui ad Deum converti differunt; « audiant, inquit, omnes? verba recito Scripture divine. O

male dilator, et crastini male appetitor? audi Dominum dicentem, audi Scripturam prædicantem, *non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te* (Serm. 152 de Verb. Ap.) ». Dico male dilator; dic quantum volueris, quod Deus salvabit te; scito quod falleris, qui sic loqueris, quia non dicit Deus, quod salvabit te; quod *in tempore vindictæ disperdet te*. De his qui nonnis in extremis conversionem parant variis aliis in locis loquitur Hipponensis Antistes, eosque semper ut viros interitui vicinos et reprobos respicit. Innumeri, ait, a mundi primordio conversionem ad vitam suam exitum distulerunt: ast, inquit, *non inveni in quinque millibus annis salcatum, nisi solum latronem*. Dic ergo, o Præsul sanctissime, quid de aliis factum sit? Alii haud dubie damnati: quia, inquit, *ex centum millibus hominum, quorum mala fuerit vita, in morte divinitam indulgentiam vix obtinebit unus*. O formidanda Augustini verba! o terribilem sancti hujus doctoris sententiam! Salvari credis, o peccator, qui conversionem ad mortem differst? At erras, miser: quia ex innumeri, qui conversionem sic distulerunt, latro solus conversus est: erras, quia ex centum millibus qui conversionem differunt, vix salvatur unus: itaque si conversionem ad mortem differas, exhinc pro certo habeto, non quod salvaberis cum latrone, sed quod cum innumeris aliis damnaberis. De quo si adhuc dubites, dicet tibi Augustinus, eos qui conversionem differunt usque ad mortem, in periculoissimo æternæ damnationis periculo versari ac interitui esse proximos: *periculosum est, et interitui vicinum usque ad mortem procrastinare penitentiae remedium* (De penit. dist. 7). Aliis supersedeo, quæ ex D. Augustini libris desumi possent, ut audiamus Scotum, inter theologos subtilissimum, qui de his qui conversionem ad mortem remittunt, loquitur veluti de viris reprobis, et quasi de viris, qui salvari nequeunt.

3. Querit doctor subtilis: *utrum penitentia in extremis valeat ad salutem?* Supponit, eum qui conversionem ad mortem differt, non rapiendum repentina morte et habiturum peni-

tendi tempus, quod an ita futurum sit, est valde dubium. Est autem, quod is penitendi tempus habeat, quodque penitentiam aliquam in extremis agat; querit doctor, an hæc penitentia, quæ a peccatore in extremis fit, valeat ad salutem? respondet quod *videtur difficile vel impossibile tali bene penitere*, ac per consequens hunc salvari difficile et moraliter impossibile est. Quatuor adducit rationes doctor subtilis, quibus sententiam suam probat. *Prima* est: quia ad veram penitentiam requiritur liber usus rationis et voluntatis; cum autem quis gravi morbo laborat, vel est in extremis, impeditur usus liberi arbitrii vel usus liber rationis et voluntatis, ex dolore vel timore inhærentibus. *Secunda*, quia displicentia de peccato, quam tunc habet, est ob mortem imminentem; quæ si removeretur, ex precedentibus præsumeretur, quod non haberet hanc displicentiam, quam antea nunquam habuit ac proinde hæc displicentia non est simpliciter voluntaria nec sufficiens ad delenda peccata. *Tertia*, quia habitus mali usque tunc continuati, multum retrahunt ab actu penitentiae: multum enim inclinant ad ea inordinata amanda, quæ ad hoc usque tempus quis inordinate dilexit; consequenter magnam exhibent difficultatem ad habendum displicentiam de eis, et ad habendum talem displicentiam, quæ sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ. *Quarta*, quia homo in extremis positus, non ita libere sua dimittit peccata, sicut homo sanus; et ideo quantum in eo deficit de libertate, tantum requiritur in eo conatus voluntatis intensior, quam vix, vel nunquam quis in extremis positus poterit habere. Unde concludit doctor, quod *videtur difficile, vel impossibile tali bene penitere, propter rationes dictas*. Quid ergo de hoc, et aliis hujusmodi flet, si penitentiam in extremis non peragant? hi certe damnabuntur quia, ut ait Dominus Jesus, peribunt quicumque veram penitentiam non egerint: *Si penitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* (Luc. 13, 5). Ne ergo, o peccator, conversionem ad vitam finem differas, cum hi qui eam sic presumant, increduli et infideles habeantur, stulti et amentes, reprobi sint et damnationi proximi. Dices forte; conversionem ad mortem haud protraham, solummodo ad festa

paschalia, vel ad annum. Quis autem tibi pollicitus est, te usque ad paschalia festa victurum? a quo habes, Deum tibi tunc gratiam conversionis operatricem daturum? quis tibi promisit, te tunc veram conversionem voluntatem habiturum? nullam de his omnibus habes certitudinem; ergo ne in futurum tuam differas conversionem. Tecum ipse recocita, quam prava tua sit voluntas; volo, inquis, ad paschalia festa meam differre conversionem: id est, volo usque ad festa paschalia in statu peccati mortalis perseverare, usque ad festa paschalia nullum actum æternæ vitæ meritum alicere, usque ad festa paschalia esse Dei inimicus, usque ad festa paschalia in continuo damnationis æternæ periculo versari. O perversam voluntatem! Caveas igitur ad mortem, vel ad festa paschalia tuam amandare conversionem; modo, absque ulla mora convertere ad Dominum Deum. Hodie Deus per gratiam suam te intus monet; te hodie ad conversionem vocat: noli ergo tuum obdurare cor ac gratiæ Dei resistere; statim ad Deum convertere: *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Cum Christus Zachæum vocavit, dicens: *Zachæe, festinus descende, confestim et festinans Christo vocanti obtemperavit, et festinans descendit*. O frater, millies te Christus ad conversionem vocavit, eique tu resististi; ne amplius ejus vocationi resistas; ejus vocationi prompte et festinanter obtempera; festinans ad Deum vade; festinans convertere. O quam utilis est, inquit Augustinus, Deo ad conversionem vocanti hodie obedire, quam in die judicii audire eum sevientem et condemnantem: *utilius nanque et multo salubrius est hodie audire eum consulentem, ammonentem, docentem, quam in die illa tam amara audire illum judicantem, sevientem, condemnantem* (Serm. de verb. Habac.). Ut eum aliquando non audias tonantem et condemnantem, audi eum te hodie ad poenitentiam vocantem; audi eum, et vocationi ejus obtempera; audi eum, et velociter ad eum convertere. *Concertantur*, inquit propheta, *et erubescant valde velociter*: peccatores erubescere debent, se peccasse; erubescere debent, se conversionem distulisse; erubescere et converti non solum velociter, sed etiam *valde velociter*: debent

cito, quamprimum poterunt, et valde velociter de peccatis conterti, et omnia confiteri, Deo et proximo satisfacere: quibus alacriter peractis, gratiam et gloriam consequentur a Domino. Amen.

DOMINICA PASSIONIS.

DE MENDACIO

Si dixero, quia non scio, ero similis vobis mendax (Joann., 8).

Mendacium facilius fingi, quam pingi et explicari potest. Si tamen sacre Theologiæ magistris fidem adhibeamus, mentiri est *contra mentem ire*, vel, ut loquitur Doctor Angelicus, est *contra mentem dicere sive verbis sive gestis sive nutu sive alia ratione*. Unde ille vere mentitur, qui aliud sentit, et aliud dicit: *ille mentitur*, inquit divus Augustinus, *qui aliud habet in animo, et aliud in verbis*. Vidimus quandoque horologium aliquod perturbatum, quod aliud sonat et aliud signat; sonat v. g. quartam dum signat primam: huic horologio similes sunt mendaces: aliud mente signant, et aliud ore sonant; aliud sentiunt et aliud dicunt. His horologis similis non fuit Christus, qui erat veritas primordialis et essentialis: *ego sum veritas*. Hominibus mendacibus similis non extitit Christus, qui nil unquam veritati contrarium protulit; *si dixero, quia non scio, ero similis vobis mendax*. Ut Christum imitatur, et ut omne mendacium pro viribus fugere conentur, de mendacio ista instituetur concio. Ave.

Dæmon, Eva et Adamus ab ipso mundi primordio in paradiso voluptatis mentiti sunt, et locum hunc felicissimum mendaciis suis polluerunt. Ibi mentitus est diabolus, cum Evæ dixit, quod ipsa et Adamus non morientur, licet de fructu vetito comederent:

paschalia, vel ad annum. Quis autem tibi pollicitus est, te usque ad paschalia festa victurum? a quo habes, Deum tibi tunc gratiam conversionis operatricem daturum? quis tibi promisit, te tunc veram conversionem voluntatem habiturum? nullam de his omnibus habes certitudinem; ergo ne in futurum tuam differas conversionem. Tecum ipse recocita, quam prava tua sit voluntas; volo, inquis, ad paschalia festa meam differre conversionem: id est, volo usque ad festa paschalia in statu peccati mortalis perseverare, usque ad festa paschalia nullum actum æternæ vitæ meritum alicere, usque ad festa paschalia esse Dei inimicus, usque ad festa paschalia in continuo damnationis æternæ periculo versari. O perversam voluntatem! Caveas igitur ad mortem, vel ad festa paschalia tuam amandare conversionem; modo, absque ulla mora convertere ad Dominum Deum. Hodie Deus per gratiam suam te intus monet; te hodie ad conversionem vocat: noli ergo tuum obdurare cor ac gratiæ Dei resistere; statim ad Deum convertere: *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Cum Christus Zachæum vocavit, dicens: *Zachæe, festinus descende, confestim et festinans Christo vocanti obtemperavit, et festinans descendit*. O frater, millies te Christus ad conversionem vocavit, eique tu resististi; ne amplius ejus vocationi resistas; ejus vocationi prompte et festinanter obtempera; festinans ad Deum vade; festinans convertere. O quam utilis est, inquit Augustinus, Deo ad conversionem vocanti hodie obedire, quam in die judicii audire eum sevientem et condemnantem: *utilius nanque et multo salubrius est hodie audire eum consulentem, ammonentem, docentem, quam in die illa tam amara audire illum judicantem, sevientem, condemnantem* (Serm. de verb. Habac.). Ut eum aliquando non audias tonantem et condemnantem, audi eum te hodie ad poenitentiam vocantem; audi eum, et vocationi ejus obtempera; audi eum, et velociter ad eum convertere. *Concertantur*, inquit propheta, *et erubescant valde velociter*: peccatores erubescere debent, se peccasse; erubescere debent, se conversionem distulisse; erubescere et converti non solum velociter, sed etiam *valde velociter*: debent

cito, quamprimum poterunt, et valde velociter de peccatis conterti, et omnia confiteri, Deo et proximo satisfacere: quibus alacriter peractis, gratiam et gloriam consequentur a Domino. Amen.

DOMINICA PASSIONIS.

DE MENDACIO

Si dixerò, quia non scio, ero similis vobis mendax (Joann., 8).

Mendacium facilius fingi, quam pingi et explicari potest. Si tamen sacre Theologiæ magistris fidem adhibeamus, mentiri est *contra mentem ire*, vel, ut loquitur Doctor Angelicus, est *contra mentem dicere sive verbis sive gestis sive nutu sive alia ratione*. Unde ille vere mentitur, qui aliud sentit, et aliud dicit: *ille mentitur*, inquit divus Augustinus, *qui aliud habet in animo, et aliud in verbis*. Vidimus quandoque horologium aliquod perturbatum, quod aliud sonat et aliud signat; sonat v. g. quartam dum signat primam: huic horologio similes sunt mendaces: aliud mente signant, et aliud ore sonant; aliud sentiunt et aliud dicant. His horologis similis non fuit Christus, qui erat veritas primordialis et essentialis: *ego sum veritas*. Hominibus mendacibus similis non extitit Christus, qui nil unquam veritati contrarium protulit; *si dixerò, quia non scio, ero similis vobis mendax*. Ut Christum imitatur, et ut omne mendacium pro viribus fugere conentur, de mendacio ista instituetur concio. Ave.

Dæmon, Eva et Adamus ab ipso mundi primordio in paradiso voluptatis mentiti sunt, et locum hunc felicissimum mendaciis suis polluerunt. Ibi mentitus est diabolus, cum Evæ dixit, quod ipsa et Adamus non morientur, licet de fructu vetito comederent:

nequaquam moriemini. Ibi etiam mentita est Eva dicens, Adamo et sibi esse prohibitum, ne fructum scientiæ boni et mali manu contrectarent; *præcepit nobis Deus, ne comederemus, et ne tangeremus:* Adæ enim solummodo prohibuerat Deus, ne de hoc fructu comederet: *de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas.* Ibi tandem mentitus est Adamus, cum Deum criminis sui autorem sciree voluit dicens, mulierem, quam ipsi Deus dederat, peccati sui fuisse causam; *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi.* Mendaces quidem fuere in paradiso terrestri, diabolus, Adam, et Eva: ibique mendacium fuit commune, probrosum et malum. *Commune,* cum non unus solam, sed omnes ibi mentiti sint. *Probrosium,* cum turpissimum sit, quod diabolus et primi parentes, qui tam perfecti mox a Deo creati fuerant, ad villa mendacia declinaverint. *Malum,* cum omne mendacium sit ex natura sua malum, nec possit quis voluntario mentiri, qui non peccet. A terrestri paradiso exiit mendacium, et in alias mundi partes se diffudit, ubi, non secus ac in illo voluptatis loco, mendacium est commune, probrosum, et malum. Quod plenius constabit, cum probavero 1. quod mentiri est commune; 2. quod mentiri est probrosum; 3. quod mentiri est malum.

I PARS

Mentiri est commune.

De Augusto imperatore refert Svetonius, quod devicto Antonio, secum ex Ægypto in triumphum duxerit sacerdotem sexaginta annorum, de quo illi constabat, quod nunquam in vita sua mentitus esset. Simili prærogativa gavisus est Ferdinandus Lusitanie princeps, de quo Spondanus ait, quod *numquam mentitus sit.* Sanctissimus anachoreta Arnulphus, morti proximus, in adstantium ædificationem dixit: nihil magnum me fecisse memini; in eo tamen sollicitus laboravi, *ne ullum proferre mendacium.* Quid simile in abbatibus Beni laudem circum-

feritur, de quo breve illud extat elogium: *numquam iratus, nunquam mentitus.* Alii nonnulli, paucissimi tamen reperientur, qui nullo unquam mendacio linguam suam deturparint, quia nil in mundo communius mendacio: plerique enim hominum *docuerunt linguas suas loqui mendacium* (Jerem. 9); totque in mundo mendaciis profertendis assueti inveniuntur homines, ut flens dicat D. Thomas a Villanova: « non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo; quidquid hodie vulgus loquitur, fraus et adulatio est; *docuerunt enim linguas suas loqui mendacium.* In hac schola exercitati sunt, in hac edocti ut discerent fallere et mentiri; hæc civitas, hæc affabilitas; et inurbanus creditur quisquis fallere, et mentiri non novit (Conc. 3 de Ado.) ». *Diabolus est mendax et pater ejus* (Joan. 8, 44), scilicet mendacii; ipse enim in paradiso terrestri mentitus, et mendacio suo primos parentes tentavit de esu fructus vetiti, dicens: *nequaquam moriemini.* Ad quem Bernardus: *O nequam, ubi est tunc nequaquam?* Certe illud *nequaquam* fuit mendacium, et tamquam pessimum semen serpentis, a quo mendacium in omnes hominum status et conditiones manavit; ac ita factum est inter homines commune, ut undequaque mendacium inundasse dicat Oseas propheta (c. 4), his verbis: *non est veritas in terra, sed maledictum et mendacium inundaverunt.* Inspice singulos hominum status, a principibus, magistratibus, et iudicibus, usque ad minimos quosque plebejos; a senioribus usque ad juniore quoslibet invenies omnes fere homines infectos esse mendaciis. Unde quodammodo dici potest cum Licosthene: *sicut non est piscis sine spinis, sic nec homo sine mendaciis.* Solo, Lucianum in mediis tormentis semper dixisse; *mentiri non est meum;* interrogantur iudices, mercatores, artifices, pauperes et divites: certe si sincere respondeant, dicere non audent: *mentiri non est meum.* Qui potius respondebant omnes: *mentiri est nostrum;* quia mendacium ita est commune, ut in omnes status inundaverit: *maledictum et mendacium inundaverunt.* De Anthimo Nicomediensi episcopo narrat Surius, quod cum a satellitibus, ipsum non agnoscentibus, ad necem quæreretur, ipsos satellites

hospiti exceperit, promittens, quod brevi Anthimum in eorum conspectum produceret; stetitque promissis. Postquam enim erga illos se liberalem et beneficium exhibuit, circa finem convivii quod illis parari curaverat, dixit: Anthimum quaeritis, Anthimum videtis; ego sum ille Anthimus, quem ad mortem quaeritis. Tunc illi attoniti, et munificentia tam digni hospitis delibuti, una sponderunt se dictaros imperatori, quod Anthimum diu quaesitum nusquam reperissent. At illo gravissime hoc cavuit, et ne mentirentur satellites, ultro se captivum illis adjunxit, maluitque mori, quam mendacio vitam servare. Ille vero dixit: *mentiri non est meum*; quaere modo, qui Anthimum imitentur; da, qui sint parati mori potius, quam mentiri. Heu! non solum pro servanda vita, verum et pro modico lucro, pro uno obolo, et quasi pro nihilo plerique hominum crebra proferunt mendacia. Quot mendacia in regum palatiis? Quot mendacia in iudicium curiis? quot in cauponis, in plateis, et undique proferruntur, non pro vita tutanda, sed pro asse lucrando, et quasi pro nihilo? certe nil jam communius mendaciis, qua undequaque inundaverunt. Dixit propheta regius in excessu mentis sua, omnem hominem esse mendacem: *omnis homo mendax*. Omnes quidem homines, qui originale peccatum contraxerunt, mendaces sunt, seu ad mentendum proni; omnes tamen non sunt mentientes, quia reipsa omnes non mentiuntur. Nihilominus mentientium maximus est numerus; multosque reperire est, qui indesinenter mentiuntur, et quorum tot mendacia, quot verba. Hos similes dicam cuidam civi florentino, qui summo Pontifici Leoni, Florentiam aedeunti, multa locutus est verba mendacii. Cum enim, nescio quo casu, proximus pontifici equitaret, misceretque cum eo sermones, interrogatus de obviis multis domibus et palatiis, quorum essent et an magnos praebereant provantus, quæ licet ignoraret civis, securissime tamen de singulis percunctanti respondit, tum dominorum nomina, tum praediorum census confingens, ita ut semper fingendo et mentiendo responderet. Aderat florentinus alius, qui tantam mentiendo procaciam in conceivere advertens, continere se non potuit, quin tandem ab eo peteret, qua fronte ausus fuisset Ecclesie

capiti tam falsa imponere? cui ille: talis locutus sum, ne verba deficerent. O quot in mundo florentini et florentine reperiantur, qui ne verba deficiant, ut tempus fallant, ut audientibus placeant, vel ut aliquid lucri nundinentur, innumera mendacia eructant? quot inveniuntur viri mendaces, qui undequaque falsa effutire non desinunt? Certe sicut stultorum, ita et hominum mendacium infinitus est numerus. Ac inter homines mentiri ita est commune, ut merito conqueratur Jeremias, quod undique invaluerit mendacium; etiam inter prophetas et sacerdotes, qui veritatem specialius profiteri, docere et tueri debent: *a propheta usque ad sacerdotem, cuncti faciunt mendacium*. Christum interrogat Pilatus, dicens: *quod est veritas?* Valde mirum, quod ille qui pro tribunali stans, omnium jura dicebat, omniumque causas discernobat, tamquam veritatis ignarus a Christo discere cupiat, quid sit veritas: *quid est veritas?* Unde in praeside, ac iudice tanta ignorantia? ex hoc quidem quod apud homines mundi ita commune sit mendacium, ut apud illos abolita sit veritas: *interrogat Pilatus, quid sit veritas: fere inter homines abolita erat* (Theophilact.). Ab aulis principum, a palatiis prelatorum, a tribunaliibus iudicum, et ab officinis mercatorum exulat veritas; ubique viget, ubique triumphat et inundat mendacium. Quod non solum inter mercatores, propolas, cauponas, ac alias vilis plebeculae personas, verum et inter sacerdotes (1), ac alios perfectioris status viros est commune: *a propheta usque ad sacerdotem, cuncti faciunt mendacium*. Optime adnotavit philosophorum princeps, senes esse suspiciosos et incredulos: semper enim suspiciuntur, falsa esse quæ iis ut vera proponuntur, nec facile credunt iis, quæ ipsis dicuntur.

(1) Animadvertendum, quod si hi sermones habeantur ad populum, prudenter hæc verba reticeantur, cum vis proferri possint quin debitus sacerdotibus honor minuat, et dum singulorum carpuntur defectus ut hominum, ipsi detrahatur fides ut Dei ministris, quum Christi et Ecclesie legatione fungantur pro animarum salute. N. E.

Rationem autem adducit Aristoteles, cur senes increduli sint: quia scilicet plures in vita sua fuere decepti, et experientia sua norunt homines esse fallaces et mendaces. Unde sicut Salomon probe sciebat, omnia bona mundi esse vana et frivola: *vanitas vanitatum, et omnia vanitas*; ita et senes experientia sciunt, mendacia ita esse in mundo communia, ut omnes fere homines mendaces esse censeant, aut saltem suspicentur. Et revera de omnibus fere hominibus dici potest, quod *non est in ore eorum veritas*. Quod ut non sine fundamento dictum credatur, vos omnes interpeleo, et a vobis ipsis peto, an non verum sit, mendacium in omnibus hominum statibus esse commune, et veritatem vix apud homines reperiri? Dicite, quaeso: est ne veritas apud poetas? Heu! omnibus notum est, quod instituti eorum sit fingere et fallere. Est ne veritas apud historiographos? Heu! fabulas sapissime, tanquam res fide certas enarrant: Est ne veritas apud philosophos? Heu! veritatem illi continue quaerunt, et raro inveniunt. Est ne veritas apud prophanos scriptores? Heu! quot mendacia in octavo, in quarto, et in folio, publici juris faciunt. Est ne veritas apud mercatores, artifices, mercenarios et rusticos? Heu! illi pro modico luero multa facile proferunt mendacia. Ubi ergo veritas? Est forte in aulis principum, ubi alicui ob principis reverentiam ab omni mendacio absteinant? Heu! quot aulici, tot adulatores: ac quilibet princeps cum Cassare Augusto dicere potest: *qui mihi veritatem dicent, non habeo*. Ubi ergo reperietur veritas? In iustitie secularis foro illam forte inveniemus? heu! quot ibi iniqui iudices, qui veritatem et iustitiam opprimunt? quot ibi advocati, qui litigantium iura palliant, et falsitatis larva veritatem obtegunt; quot ibi procuratores, quot notarii publici, qui auro corrupti testamenta, aliisque scripta falsificant? Ubi ergo veritas? Certo si omnes hominum status lustrare fas esset, ubique inveniretur mendacium: eo quod *suavis est homini panis mendacii*; nihilque apud homines magis commune, quam mentiri. Nec tantum mentiri est quid commune: *est etiam quid indecens et probrosum*.

II PARS.

Mentiri est probrosum.

Basiliius imperator filium suum optimis præceptis imbuens, hoc in primis ab illo servari voluit, quod nec mentiretur, nec homines mendaces in consuetudinem adduceret: *fili, inquit, maxime pendito, veracem te esse in sermone debere, et veraces in consuetudinem adducere*. Trajanus ita ab omni simulatione et mentiendi spiritu erat alienus, ut teste Plinio, *quæ vellet velle, quæ nollet nolle scirent omnes*. Alphonsus Aragoniæ rex dicere solitus erat: *simplex verbum principum tantum valere ad fidem debere, quantum privatorum hominum iuramentum*. De Carolo Quinto imperatore fertur, quod cum quid tamquam certissimum asserere vellet, hoc *fide viri nobilis* astrueret; atque hanc assertionem a principe factam, omni iuramento firmiorem esse affirmabat. Alii multi imperatores, reges et principes enumerari possent, qui a mendacio penitus abhorruerunt, consentes cum Salomone probrosum esse principi, quod mentiat: *non decet principem labium mentiens* (Prov. 17, 7). Certe hoc principes non decet: imo, ut exponit Hugo cardinalis, *hoc illos maxime dedecet, sive in iudicio, sive in consilio, sive in simplici locutione*. Quo enim proprius ad Deum principes dignitate et Imperio accedunt, eo verba illorum ab omni mendacio remotiora, veriora et divinis similia esse debent, eosque potissimum dedecet, si mendacia proferant. At mentiri non solis principibus, verum et omnibus turpe et probrosum est. Ut enim ait Spiritus sanctus, quicumque mentiuntur, perpetuum dedecus et æternam confusionem, non honorem sibi conciliant: *mendacium sine honore: et confusio illorum cum ipsis sine intermissione* (Eccli. 20, 28). Quod et ipsi novere et confessi sunt Gentiles, dicentes, quod mentiri vile est, sordidum est, abjectum et fœmineum est: *vilis, sordidi, abjecti, ac muliebris pectoris est mentiri* (Plin.

in Traj.): ergo fatendum, quod non solis magnatibus, verum et plebeis ac cunctis probrosus est mentiri: *opprobrium nequam in homine mendacium* (ib. v. 26). Quam probrosus et turpe sit mentiri, satis superque docuisse videtur Christus, cum homines mendaces diaboli filios esse declaravit dicens: *vos ex patre diabolo estis, quia non est veritas in eo* (Jo. 8, 44). Ex patre Deo sunt omnes homines per creationem; ex patre diabolo sunt omnes homines per imitationem, quia non Deum, qui est summa veritas, sed diabolum, qui mendax est a principio, mendaciis suis imitantur. Unde homines mendaces, filios alienos vocat propheta: *filii alieni mentiti sunt mihi*; vel ut legit Genebrardus, *filii adulterini*. Homines enim mendaces sunt filii alieni, adulterini et extranei, qui alienum et extraneum patrem habent; demonem scilicet, cujus sunt filii, non utique *successione carnis, sed criminis* (D. Amb. 4 in Luc.); et quia eos demon genuit, non ut homines, ut mendaces, Deus est unus omnium hominum pater: *unum patrem habemus Deum*; mendaces autem duplicem habent patrem, Deum et diabolum; Deum, a quo conditi sunt, et diabolum a quo eruditi sunt. Sicut enim pater spiritualis vocatur, qui aliquem spiritualia docet, ita et demon est pater infamis hominum mendacium, quos docet mentiri. Videturque quod Deus hujusmodi homines mendaces, veluti filios spurios et adulterinos abiciat, nec non eos tanquam non suos repudiet, dicens, quod sint filii diaboli: *vos ex patre diabolo estis*. O quam turpe, indecorum et probrosus est homini mentiri, cum mendaciis suis filius diaboli fiat; certis hoc magnum est ei opprobrium: *opprobrium nequam in homine mendacium*. Hoc opprobrio hominem mendacem affici adnotavit S. Ambrosius, dicens: *cavete, o filii, mendacium, quia omnes qui loquuntur et amant mendacium, filii sunt diaboli*. Verum grave aliud imminet homini mendaciis assueti opprobrium; quod scilicet non ei credatur, nullaque fides verbis ejus adhibeatur etiam cum vera dicit: *hoc lucrum mendaces consequuntur, ut nec cum vera dixerint, fidem inveniant* (D. Hier. ep. 34). Rogatus Aristoteles, quid lucrifaceret mendax, hoc unum

respondit, *ut cum vera dixerit, nemo credat*. Id experimento didicit Carbo, homo mendax, qui cum, juramento etiam addito, se aliquid facturum polliceretur, respondit ei et vicissim juravit Publius romanus se illi non crediturum. Hoc lucrum fecit Carbo, et idem lucrum faciunt omnes, qui agnoscuntur ut mendaces: jurent, perjurent, nulla eis fides adhibetur. O quale dedecus homini! o quantum est ei opprobrium, quod inter homines omnem fidem amiserit, quodque omnia ejus verba pro mendaciis exsibilentur! certe hoc maxime illi probrosus est; et hæc est macula, qua quidquid in eo boni inest, penitus deturpatur: *mala est macula in homine mendacium*. Hæc sane macula, qua ita vilificatur viri mendaces, ut nullus cum iis societatem ineat, nullus cum illis negotia suscipiat, omnes ab illis decipi timeant, omnesque illos veluti viros probrosos omnisque honoris expertes inspiciant. O magnum opprobrium! o gravem maculam! Hanc maculam gloriæ suæ inurere timebat Salomon, ac a suis mendax haberi pertimescebat. Unde enixe Deum rogabat, ut ipsum mentiri non pateretur: *duo rogavi te, ne deneges antequam moriar: civitatem et verba mendacii longe fac a me* (Prov. 30). Innumeri similiter mendaces testinari nolunt: eos mentiri non pudet, et mendaces dici pudet; non erubescunt mendaces fieri, et mendaces vocari ut summum probum audiant. Dicatur quis aleator, potator, seortator; hoc mitius et æquanimius audiet, quam si de mendacio arguatur, omnique alia convicia peccatori ferat animo, quam si quis ei dicat: *mentiris*. Heu! quot dissidia, quot alapas, quot duella, quot vulnera, quot cædes concitavit hoc verbum: *mentiris!* hoc verbum, *mentiris!* statim homines, etiam aliunde pios, ad iram et ad vindictam movet; quia mentiri ita probrosus est, ut nullus mendax testinari et dici, nisi ægre patiat. Itaque cum mentiri ita probrosus sit, ab omni prorsus mendacio quisque absteat; *noli esse mentiri omne mendacium* (Eccl. 7, 14). Videamus quod ab omni penitus mendacio abstinendum non solum, quia mentiri est probrosus, *verum etiam quia mentiri est malum*.

ris, non ut noceas vel ut prosis, *peccatum est*; quotiescumque tandem mentiris, seu quotiescumque uteris verbis ad falsum, non ad quod sunt instituta, *peccatum est*. Ita sentit D. Augustinus, ita Bernardus, ita alii sancti patres, ac omnes doctores scholastici; non ita muliercube, non ita caupones, mercatores, et alii multi hujus farinae viri, qui pro modico lucro confites et mentiuntur, et jurant, et perjurant. Ut autem sua mendacia non sine ratione proferri suadeant, dicere solent; merces certe vix ullæ extrahi possunt, nisi mendacio vestiuntur: si non mentiremur, nil lucri faceremus, nullas merces distraheremus, ac famo nobis pereundum esset. O lepidum argumentum! o gravem rationem ad propugnandum pro mendacio! o vos insensati, qui necessario mentiendum esse dicitis ad hoc ut lucrèmini! an nescitis irrefragabile magni Augustini testimonium, dicentis, quod *non licet mentiri pro ullius salute æterna, nec pro toto mundo*. Juxta tritum ex D. Pauli doctrina sumptum axioma, *non sunt faciendæ mala, ut inde eveniant bona*. Quapropter cum omne mendacium sit malum, nec unicum, quantumvis leve, mendacium dicere licet: nec pro quocumque bono fortune, nec pro quocumque bono corporali, nec pro quocumque bono spiritali: *non licet mentiri pro ullius boni causa nec pro ullius salute æterna, nec pro toto mundo*. Pensate, quanto minus licitum sit, mentiri pro uno asse lucrando, vel pro uno obolo. Querunt canonistæ, an mentiri liceat pro salvanda alicujus hominis vita? an v. g. mihi mentiri liceat ad liberandum hominem mox a iudice ad mortem damnandum? vel si infirmus gravi morbo laborans, et qui certo morietur, accepta notitia de morte filii, interroget, an vivat filius; licetne mentiri, ac ei dicere; vivit filius, vel nescio an vivat? Questionem hanc solvit Augustinus asserens, nequaquam licere mentiri ad salvandam alterius vitam: *si quis, inquit, ad te confugiat, qui mendacio tuo possit a morte liberari, non es mentiturus (de med., c. 6)*. Idem asserit summus Pontifex Innocentius tertius, qui e Petri cathedra solemnè hoc protulit oraculum: *non mentiendum pro alterius vita servanda: multo*

minus pro triobolari (1) negotio (Ep. dec. tit. de usuris). Hoc serio advertite, hoc mente recogitate, ac in vobismetipsis sæpe dicite: mentiri non licet pro alterius vita servanda, multo minus pro modico lucro. Quid de propria vita? an mentiri licet pro servanda sui ipsius vita? licetne v. g. reo a iudice debite et secundum ordinem juris interrogato mentiri, ut propriam vitam salvet? Respondet doctor Angelicus, in hoc et similibus casibus mentiri non licere: « ex debito, inquit, tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideo si confiteri noluert veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, peccat mortaliter. Si vero iudex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere. Sed potest vel per appellationem, vel aliter subterfugere: mendacium tamen dicere non licet » (2, 2, q. 69, a. 10). Ecce quid dicant scholæ, et Ecclesie lumen D. Thomas; ecce quid de mendacio sentiat. Ex quo quisque facile inferet, mentiri semper esse malum: si enim mentiri non liceat pro totius mundi conservatione, et pro alterius aut propria vita servanda, quis credat dari aliquid mendacium, quod bonum sit ac licitum? Quis non fatebitur cum D. Augustino, omne mendacium esse malum, nec unquam fore mentiendum? certe hoc tanquam certum et indubitatum tenendum, quod mentiri semper sit malum: *inconcuasæ teneas, et defendas in divina religione, nunquam omnino esse mentiendum (S. Aug. c. mend. 21)*. Itaque, o homo, *verbum mendacii longe fac a te*. Procul dubio omne verbum mendacii voluntarie prolatum peccatum est mortale, vel veniale; si sit peccatum mortale, qui illud profert poena inferni reus est; si sit veniale, qui illud profert poena Purgatorii dignus est: ut ergo inferni, vel Purgatorii supplicia evadas, ab omni prorsus mendacio absteinas: *verbum mendacii longe fac a te*. Facile mentiuntur nonnulli sibi

(1) Triobolus, nummus æquivalens tribus obolis (italice, *tre soldi* circiter); negotium triobolare idem est ac negotium nullius pene vel levissimi momenti.

suadentes, mendacia que proferunt, levia et venialia dumtaxat esse peccata. Noverint tamen quod forte mortalia sint, que venialia arbitrantur. Noverint quod licet levia et venialia sint, non levia tamen, imo durissima erunt Purgatorii tormenta quibus punientur. Meminerint, quod licet venialia sint, ad mortalia facile pertrahent; a levibus enim mendaciis ad gravia et qui spernunt modica, paulatim ad gravia decidunt: facile quis progreditur nam peccatum, quod non deletur, ad aliud peccatum suo pondere trahit. Ideo sive levia, sive gravia sint mendacia, semper vitanda sunt: *verbum mendacii longe fac a te*. Simul vitanda atque etiam longo facienda et procul pulsanda sunt mendacia, ut ait Sapiens. O patres, o matres, ita procul omne mendacium expellite, ut non solum ad vos, verum nec etiam ad pueros vestros accedat. Sunt enim pueri ad mendacia proclives, ut de seipso testatur Augustinus: *fallebam*, inquit, *innumerabilibus mendaciis et pedagogum, et parentes amore ludendi, studio spectandi nugatoria*. Augustinum puerum alii in hoc plerumque imitantur pueri, nisi ad meliora monitis acrius stimulentur. eos ergo monete, iis mendacii malitiam exaggerate, eos mentientes corripite; procul tandem a vobis et a domibus vestris omne mendacium pellite: et Deus qui veritas et vita est, ad vitam vos perducet æternam. Amen.

FERIA II POST DOMINICAM PASSIONIS.

DE AVARIS USURARIIS.

Si quis sitiit, veniat ad me et bibat
(Joan. 7, 37).

Christus Dominus in cruce sitiivit salutem humani generis; omnes justi in hoc mundo esuriunt et sitiunt justitiam: avari vero usurarii nec salutem nec justitiam, divitias solum et

bona temporalia, tanquam felicitatis suæ summam et perfectionem ardentissime sitiunt, magnoque affectu desiderant. *Si quis sitiit*, inquit Christus, *veniat ad me*: o paternam invitationem, qua durissima quævis flecti deberent corda! o vocem suavissimam, quam cuncti penitus audire debent homines! tanta vero hominis usurarii est malitia, tanta ejus obstinatio, ut Christi vocem audire, eique obtemperare recuset. Non enim ad Christum, sed ad aurum et ad divitias currit, ut sitim suam extinguere valeat; sequè felicem auspicatur, si marsupium implere, magnamque auri et argenti copiam coacervare queat. Errant sane, stolidè fallantur usurarii, qui in temporaneis rebus suam statuunt felicitatem: felices e contra pauperes spiritu, quorum cor a terrenorum affectu vacuum est; *beati pauperes spiritu*. Hi vere felices sunt; non autem usurarii, qui et in hoc, et in alio mundo infelices sunt, ut jam vildimus. *Ace*.

Divites usurarios in vita, in morte et post mortem felices esse arbitrantur multi. Heu! inquit, cum usurarium bonis omnibus affluentem vident, heu quam feliciter vivit ille homo! divitiis abundat, deliciis superalluit, florentissimam dedit ei Deus familiam; omnes ei applaudunt, omnia ei prospere cedunt, et nulla adversa; ac proinde quis illo felicior reperitur? Non solum in vita, verum et in morte usurarium felicem censent multi: ac tunc maxime cum eum res suas temporales recte disponentem vident. Heu, ajunt, quam feliciter moritur ille homo! Testamentum prudenter composuit, pinguem instituit hæredem, filias suas copiose dotavit, filii et domesticis bona multa legavit, ac proinde quis illo felicis moritur? Eum tandem post mortem felicem esse credunt plurimi, eo quod antequam efflaret animam, externa quadam penitentiæ et pietatis signa ediderit. Ecce, dicunt, quam pie mortuus est ille homo! fieri nequit, quin coelesti potiatur beatitudine: antequam enim moreretur, omnibus pepercit inimicis, pauperibus multa testamento reliquit, actusque doloris et pietatis ita sincerus elicit, ut omnes adstantes ad lacrymas moveret et ideo in celo cum aliis sanctis haud dubie

beatur. En hominem semper felicem ad mentem illorum, qui de rebus secundam faciem et speciem externam solummodo judicant: at revera usurarius, qui artificiosis suis contractibus ditatus est, infelix censendus est tam in vita, quam in morte et post mortem. *Est infelix in vita*: quia licet terrenis bonis affluat, iis nunquam satiatur, nec satiari potest: *est infelix in morte*: quia licet externa quedam pietatis signa edat, revera tamen tunc nec sanctificatur, nec sanctificari potest: *est infelix post mortem*: quia licet aliqua future salutis indicia dederit, non ideo tamen salvatus est, nec salvari potuit. Hæc clarius patebunt, cum evicerimus, quod avarus usurarius 1. *in vita* non potest satiari: 2. *in morte* non potest sanctificari: 3. *post mortem* non potest salvari.

I PARS.

Avarus usurarius in vita non potest satiari.

Omnia quidem iudicio infelicissimus censoretur homo ille, qui continua siti laboraret, quique semper sitiret et esuriret, nec unquam satiari et impleri posset. Eadem de causa infelices dicendi sunt avari usurarii, qui continua cupidine divitias appetunt, nec iis unquam satiuntur: ut enim ait Sapiens, avarus impleri et satiari nequit pecuniis, quas acquirit: *avarus non implebitur pecunia*. Et ut ait D. Augustinus, avari famæ insatiabilis nullum unquam terminum habet: quo avaritia, abyssus insatiabilis, quæ nunquam dicit, sufficit; semper famelicis, semper doles, semper tristaris in cunctis. O pestis interminabilis! o famelica rabies! nam omnia suis terminis clauduntur, sola avaritia nullo clauditur fine: terra suis finibus limitatur, aër suo fine clauditur, cælum suis terminis arctatur, sola avaritia terminam nescit (Serm. 48 ad fr. in erem. int. op. Aug.) ». A mundi primordiis omnia flumina intrant in mare, nec tamen iis repletur; undique accurrentes aquas facillime deglutit, et ad alias semper quasi

anhelat. Idem plane de avaro usurario dicendum est: divitiis enim undique affluentibus non satiatur; novas semper et ampliores peroptat: *nec multitudino fluminum mare, nec divitiarum copia avari animus expletur: pecuniam duplicavit, et eam rursus studet duplicare; nec a duplicandi, augendi que studio desistit* (S. Nilus or. 3 de avar). Os patens et ventrem capacissimum habet infernus: a mundi enim principio damnatorum animas suscipit, nec tamen iis repletur: quanto plures suscipit, tanto plures desiderat. Inferno autem assimilatur avarus usurarius, quia divitiis quas recipit, nunquam satiatur: alias et alias in infinitum semper concupiscit. *Avarus, inquit divus Augustinus, inferno est similis: infernus enim quantoscumque decoraverit, nunquam dicit, satis est: sic etsi omnes thesauri confluerint in acrum, nunquam satiabitur* (de salut. doc. 30). Et eminentissimus cardinalis Hugo ait: *Fenerator comparatur inferno: unde de eo Habacuc. (c. 2), dicitur: dilatavit quasi infernus animam suam, et ipse non adimplebitur*. Amor divitiarum semper crescit: desideratis opibus non extinguitur, imo augetur; et quanto plures ab avaris obtinentur, tanto ampliores ultra desiderantur: *creciscit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*. Unde avari usurarii, qui ad divitias anhelant, merito comparantur igni: sicut enim ignis, iactis in eum lignis, non extinguitur, sed magis accenditur, ac tanto magis inardescit et augetur, quanto plura in eum ligna jaciuntur: ita avarus satiari nequit, quia avaritia, quasi ignis, magis augetur divitiis, quam extinguitur. Ad rem sanctus Ambrosius, *inflammatur, inquit, lucro avaritia, non restringitur*. Et ut habet S. Gregorius: *Avaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur; nam more ignis cum ligna quæ consumat acceperit, accrescit, et unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulo post ceritur dilatari* (Mor. 15, 2). Sancti Augustinus et Joannes Chrysostomus avarum usurarium, divitias ambientem et sitientem comparant hydropticum, dicentes, quod sicut hydropticus nunquam satiatur aqua, ac quo plus bibit, eo ardentius sitit: sic etiam dives avarus nunquam satiatur

pecunia, et quanto plus lucratur, tanto amplius lucrari desiderat. Avarus, inquit divus Augustinus, recte comparatur hydrophico, sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto ardentius sitit: sic iste quanto est copiosior divitiis, quibus non bene utitur, tanto magis talia concupiscit (Qu. Evang. 2, 29). Et sanctus Joannes Chrysostomus ait, recte quidem dicitur avarus esse hydrophicus: quomodo enim illi nullam aquam ferentes in corpore, magis uruntur; ita etiam avari, multas circumferentes pecunias plures concupiscunt (ho. 15 in 1 ad Cor.). Refert Pierius, quod in littore Africano, inter Lybiam et Egyptum, olim videbatur columna, in qua vir erat cæcatus, cui serpens dno morsu sitim, que nulla aqua extinguí poterat, afferebat. Adeant quidem fœmine, que indesinenter aquam propinabant sitiienti; at ejus sitis nunquam exstinguēbatur. En avari hominis imaginem: serpentina enim avaritiæ morsu exulceratus ita sitit, ut expleri sitis non valeat: quo magis potat, eo magis potare appetat, et quo plures acquirit divitias, eo plures acquirere cupiat. Moralem miror philosophum, qui divitem avarum ad divitias anhelantem cani famelicò comparat. Cum cani fame presso projicitur aliquid panis frustum, statim illud deglutit, et quasi nihil comederit, ad projicientem attendit, a quo aliud quidquam sibi dari eodem ardore appetit: quidquid excipit, protinus integrum devorat, et semper ad spem futuri hiat (Sen. ep. 75). Simili fame premi videtur avarus: cum occasio aliquid rapiendi se offert, mox oblata rapit, statimque ad alia auferenda aspirat: si hodie usuris suis centum nummos ab aliquo auferat, his minime satius ad alias pecunias concervandas anhelat: hodie unius pauperis exsorbet vineam; et quasi nil acquisierit, ad agros et domos devorandas inhiet; ac ut loquitur Boetius, nihil jam parva videntur, sed quesita vorans seiva rapacitas, altos parviti hiatus. Numquam satiatur avarus, semper aliena rapit, ac semper plura rapere et acquirere concupiscit. De balæna ait Spiritus Sanctus, quod faciem ejus præcedit egestas (Job. 41). Faciem quidem ejus præcedit egestas, quia circumstantes pisces ita glutit, ut nullus circum-

quoque remaneat. Eodem prorsus modo avarus domos, agros et vineas sibi confines devorat: hodie istius vineam, et cras illius agrum rapit; hodie viduam facultatibus suis spoliat, et cras orphanum ad extremam pauperiem redigit; nec tamen unquam satiatur, nec satiari potest: center autem impiorum insaturabilis (Prov. 13, 25). Videte, quomodo se gesserit Achab, Samariæ rex, cum Naboth. Achab rex erat, ac proinde divitiis omnibus affluēbat nec ei quidquam deesse videbatur; vineam tamen Naboth concupivit et rapuit, quia sibi expediebat eo quod juxta palatium suum sita esset. Naboth vinea sua contentus erat, nec ad aliena rapienda anhelabat; Achab vero summis opibus, quas possidebat, non satiabatur; adhuc pauperis vineam desiderabat; Naboth suo contentus erat palmitē: Achab regali fulchro dicituram proditus, inexplēbilis, insatiabilisque opibus suis, exiguam pauperis vineam desideravit (S. Amb. l. 3, ep. 10). Ecce quomodo se gerere soleant divites avari erga pauperes: licet ampla palatia, licet vineas, domos et prædia innumera possideant, his tamen non expletur: adhuc unius ex vicinis vineam, alterius pratium concupiscunt; quibus acquisitis, aliis quoque acquirendis inhiant; nec unquam tot acquirunt, quin plura acquirere optent, quia insatiabiles sunt: non est finis acquisitionis eorum. Quanvis totum terrarum orbem sibi compararent, nondum satiarentur; instar Alexandri ad alia acquirenda anhelarent: astuat infelix angustio limine mundi. Ratio autem cur avarus usurarius divitiis satiari nequeat, ejusque concupiscentiam extinguí non valeat, hæc est, quod scilicet cor humanum solo Deo repleri et satiari potest, ut ait divus Augustinus. Aliam rationem adducit S. Bernardinus, dicens, quod potus pecunie non ibi ponitur, nec ibi est, ubi sitis avari. Unde sicut vinum in dolio remanens, non sedat corporalem sitim; sic pecunia in arca sitim mentis sedare non potest. Aliam adhuc afferam rationem, cur avarus usurarius divitiis satiari non possit, quam desumo ex justitia Dei; qui ut puniat eos, qui nimio affectu divitias appetunt, permittit ut in sui delicti poenam perpetua divitiarum fame et siti continue agi-

tenentur: *judicium enim est, ut in eo quo quis deliquit, puniatur; ut semper indigeat, qui semper indigentiam timet* (S. Pet. Crysol. serm. 48). O quam infelices in hoc mundo sunt avari, qui ipsis pauperibus pauperiores sunt, quia semper indigent; et cum insatiabiles sint, ad alia acquirenda semper aspirant, perpetuamque famem patiuntur ut canes. Hi sane similes videntur infelici illi homini, quem poëta in inferno aquis circumdaturum, et aquas semper appetentem fingunt: avari enim divitiis multis circumdantur et affluunt; semper tamen sitiunt, aliasque divitiis comparare ambiunt. O magnam infelicitatem! Dum autem avarus usurarius tristitia tabescit in vita, eo quod satiari nequeat, *infelix est etiam in morte, qua instante, non potest sanctificari.*

II PARS.

Avarus usurarius in morte non potest sanctificari.

Instante mortis periculo desperatissimi quique peccatores de salute sua solliciti esse solent. Tunc quisque sanctificari curat. et vix ullus ita obcecatus et obduratus, qui in ultimis vite sue momentis, a quibus pendet æternitas, aliquomodo a peccatis resurgere, et sanctitatem adipisci nolit. Usurarii vero, qui a multo tempore aliena per usuras rapere instanti morte, ita infelices et miseri esse solent, ut licet physice et absolute loquendo tunc justificari possint; moraliter tamen loquendo, tunc aut vix, aut nullo modo justificationem consequantur. Eo namque discrimine aut non habent penitentii tempus, aut justo Dei judicio obduratores fiunt, aut ita a demone in peccatis suis detinentur, ut a viis suis pessimis declinare, et ad statum sanctificationis transire difficillimum sit opus, quod perficere non valent. Usurarii, sicut et alii multi peccatores, ad vite terminum penitentiam differunt, et quilibet usurarius sibimetipsi

dicit, cum insenuero, vel cum instabit mors, peccatorum me penitebit, sua cuique restituum, et sacramentis, quae tunc religiose recipiam, justificabor, animaeque saluti consulam. Sibi pollicetur usurarius, quod tunc dabit ei Deus et tempus, et gratiam penitendi; sed fallitur miser: qui enim tempore a Deo sibi ad penitentiam dato, uti noluit, justo Dei judicio flet, ut in vite sine tempus penitendi non habeat: usurarius, inquit S. Bernardinus, credit se penitere in fine et restituere aliena; et ignorat miser, quod Dominus comminatus est, dicens: *qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet, auferetur ab eo* (Matt. 13). Habet nempe thesaurum magnum, qui tempus sibi concessum virtuose expendit; et ideo multa merita cumulat; huic quidem dabitur, scilicet in vite extremis tempus ipsi supererit se etiam melius disponeudi et preparandi, unde tunc majori gratia abundabit. *Qui autem non habet*, scilicet in præterito tempore merita cumulata, quia semper male vixit; id quod videtur habere, scilicet penitentiae tempus, in fine, justo Dei judicio, auferetur ab eo, eo quod in illo presumptuose confusus est. Quod evenisse dicitur cuidam usurario, qui in puncto mortis clamavit alte, dicens: *O penitentia, ubi es?* Quo verbo dicto, spiritum exhalavit; ut ex ejus verbo aperte claresceret, quod quia quando penitentiam reperire poterat, illam non quaesivit, merito eam reperire non potuit cum voluit, eo quod non debito modo velle. Si autem usurarius in fine gratiam et tempus penitentiae non habeat, omnino fieri nequit ut sanctificetur. Justo quidem Dei judicio, in vite sine non justificatur usurarius, quia ei saepe deest penitentiae tempus; nec etiam sanctificari et justus fieri potest, quia justo Dei judicio in fine vita usurarii obduratores esse solent; eoque obduratores sunt, quo et seniores. In extremis enim, inquit S. Bernardinus, cum usurarius considerat, se ad statum salutis non posse pervenire, nisi pro posse suo restituat aliena; consequenter nisi se, et filios, et filias, et alios haeredes in multa paupertate et dedecore relinquat, a tanto infortunio abhorrens, neque per fidem intelligens statum suum periculosum, potius deliberat

in peccato suo perseverare, quam debita ratione animæ bene consulere, et sic diu perseverando, induratur cor ejus. Quantumvis autem hoc vitium a prædicatoribus sugillari aliquando audiat; licet eum aliquis timens Deum ad poenitentiam inducat; licet etiam exhortationes ad poenitendum et oburgationes de sua nequitia frequenter intus sentiat, nihilominus semper cor ejus amplius induratur, sicut de eo (Job. 41, 11) dicitur: *cor ejus indurabitur tanquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus*, que quanto plus malleo fertur, tanto durior fit. Cum ergo usurarius semper magis et magis induretur, moraliter loquendo impossibile est, ut in fine vite convertatur et sanctificetur. Aliam rationem huic similem adducit S. Bernardinus, quam desumit ex obstinatione usurariorum, que tanta sæpius est, instante eorum morte, ut eam obstinatione proditoris Judæ majorem fieri dicat. « Mira, inquit, est obstinatio usurarii et quodammodo excedere videtur obstinationem Judæ. *Primo* enim Judam poenitit de scelere perpetrato, licet non debito modo; ideo ait: peccavi. *Secundo*, peccatum suum confessus est, dicens: peccavi tradens sanguinem justum. *Tertio*, satisfecit, seu restituit pretium quod acceperat pro Christi prodicione; vnam tamen non meruit, quia illam non requisivit. Verum quid dicere possemus de usurario obstinato? quem *primo*, non poenitet de avara, nisi forte quod modicum lucratus sit. *Secundo*, si poenitet aequaliter, non confitetur, ne a confessore ad satisfactionem cogatur. *Tertio* quoque, si confitetur, querit aliquem confessorem, qui non habet conscientiam, neque scientiam; ne per cautionem debitam satisfacere cogatur; sed simpliciter verbo promittit confessori ignaro restituere aliena. *Quarto* etiamsi hoc in confessione promittat, promissum non servat; et tamen ut dicitur (*de reg. jur.* l. 9), *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum* ». Quomodo ergo sanctificabitur usurarius imminente mortis articulo, cum tunc ipso Judæ obstinatio esse soleat? certe moraliter loquendo, tunc justificari nequit.

Esto autem quod usurarii illi, qui usuras diu exercuerunt, instante morte, de conversione cogitent; et quod, inspirante Pa-

tre luminum, miserum animæ suæ statum ac periculum damnationis in quo versantur, agnoscant: tunc tamen non convertentur ad Dominum; tunc non sanctificabuntur, nec sanctificari poterunt, quia a demonis retibus se extricare non valebunt. Cum usurarius vacare usuris incipit, in diaboli retia cadit; sic enim ait D. Paulus: *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli*. Et ut experientia constat, quo magis usuris vacat, eo magis his retibus se intricat. Unde D. Bernardinus usurarium avi comparat, quæ in venatorum retibus capitur. « Cum avis, inquit, volando in rete ceciderit, tanto amplius se intricat, quanto amplius se extricare contendit, sic usurario sæpe contingit, quod dum per aliquod tempus, ut dicitur, intendit vacare usuris et demum cessare ab ois: omni die, mense, et anno amplius se reparit intricatum, atque a proposito cessandi ab usuris magis elongatum. Hinc dicitur (Prov. 5, 22): *iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur*. Unde (Jer. 50), ad animam usurarii a diabolo fictum est: *illaqueavit te, et capta es Babylon, et nesciebas* ». Si ergo usurarius magis et magis laqueis diaboli intricetur, ab eis in morte se extricare non valet, et per consequens nec sanctificari poterit, ac misere peribit, iuxta illud (Job. 6, 18), *Involute sunt semitæ gressuum eorum: ambulabunt in vacuum et peribunt*. His omnibus rationibus superaddamus, quod ut convertantur usurarii, magna Dei indigent gratia. Et ideo hi similes dicuntur navibus Tharsis, quæ auro onustæ erant, et que cœteri non poterant, nisi validis ventis agitentur: *in spiritu vehementi conteres nares Tharsis*; usurarii similiter qui auro et aliis bonis temporalibus onerantur, moveri, ad Deum converti, et sanctificari nequeunt, nisi validis efficacioris gratiæ ventis cœantur. Quis autem credat, Deum usurariis, extrema agentibus, gratias extraordinarias daturum? Quis censeat, Deum tunc efficacioris gratias concessurum usurariis, qui pauperum facultates rapuerunt, qui tam gravia peccata perpetrarunt, ac qui divini gratiæ dona toties contempserunt et abjecerunt? Certe timendum quod tunc eas non dabit Dominus: ac ideo

ipsorum conversio et salus veluti desperata lugenda (1). Infelicissimi ergo sunt usurarii in morte, cum tunc sanctificari nequeant; *infelicissimi post mortem, cum tunc salvari non valeant.*

III PARS.

Acarius usurarius post mortem salvari non potest.

Usurarius qui ante mortem gratiam sanctificantem non est consecutus, certo certius neque post mortem salutem assequitur quam nullus consequi potest, quin prius in hac vita sanctificatus fuerit. Ut autem latius et fortius probetur hominem usurarium, qui diu in vitis suis pessimis perseveravit, salvari non posse, graves adducam rationes, quarum aliquas desumam ex sancto Bernardino, qui plurimis huiusque fortissimis rationibus et prædicationibus usurarios impugnat, eorumque damnationem quasi inevitabilem esse probat. Ut autem adversus usurarios ratiocinari incipiam, eosque non salvandos probem, dico, quod Deus eadem mensura eos metietur, qua alios mensi sunt. Nosfis usurariorum mensuram hanc esse, quod semper plus exigant, quam dent: cum dant v. g. centum nummos, centum et quinque exigunt, Deus autem eadem eos mensura remetietur; illisque paradysum dare nolet, quin aliquid paradiso melius ipsi reddant; unde cum nihil paradiso melius dare possint, paradysum a Deo obtinere nequibunt. Hanc rationem affert sanctus Bernardinus, dicens: Dominus ait (Lucæ 6), *eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*; cum vero usurarius non det aliquid nisi

(1) Cavendum tamen ne hæc doctrina quantumvis S. Scripturæ et SS. Patrum dictis localem comprobata, nimis quoque tribi experientia confirmata, nimis prædicit in publicum profertur, ne dum conscientias excoctere conamur atque ad celerem conversionem adducere, in desperationis discrimen et laqueum infamia corda dejiciamus, neve divina gratia et misericordie fines ponentes plerumq. fiduciam coarctantes, genitus processus restringamus, quorum meritis multorum sæpe desperatorum animas Deus donat, et salvat. N. E.

recipiat amplius, ex hoc certificat semetipsum de damnatione æterna. Quia si vellet acquirere paradysum a justo iudice, qui præscriptam constituit legem, non dabitur ei, nisi det aliquid amplius et melius paradiso. Quod cum nunquam possis servare, necessario sequitur, quod nunquam poterit acquirere gloriam sempiternam. Usurarium non obtenturum gloriam æternam, neque salvandum, alia ratione probat sanctus Bern. nardinus: quia scilicet in fine vite suæ a Deo et omnibus sanctis derelinquetur. « Cum, inquit, usurario lucra non cessent in quolibet sacro die; non diei Paschæ parcat, non diei dominico, non diei sanctissimæ Christi passionis. In qualibet solemnitate sacratissimæ Virginis non cessat a tali lucro, nec in diebus apostolorum, nec in diebus martyrum et confessorum, virginum et angelorum. Insuper non eximit a lucro usuræ diem omnium sanctorum; merito ergo non solum a Deo, verum et a beata Virgine, ab angelis universis, et ab omni multitudine beatorum, justo Dei iudicio, in ultimo fine vite suæ ita derelinqui meretur, quod nec Deum habeat donatorem gratiæ, nec aliquem beatum inveniat gratiæ a Deo impetratorem, sed etiam pro illo misero aliquem sanctum de celo supplicatorem. Unde (Mich. 3) de talibus scriptum est: *Abcondet faciem suam ab eis in tempore illo*: scilicet extremo ». Cum ergo usurarii in fine vite suæ, a Deo et ab omnibus sanctis derelinquantur, moraliter loquendo fieri nequit, ut post mortem salventur. Usurarios post mortem salvari non posse jam satis constat; hoc autem mihi magis adhuc suadet defectus restitutionis, quia scilicet ante mortem inique ablati non restitunt. Certum est, usurarios sub damnationis æternæ poena teneri ad restituenda ea omnia, quæ per usuras extorserunt: cum ea restituere possint. In hoc consentiant omnes canonistæ et theologi; et in sacro canone excommunicantur docentes, quod lucrum usurarium restitui non debeat; *quicumque deinceps scribere, dicere, vel iudicare presumpserint, quod usura solvantur, aut non plene restituantur, sententiam excommunicationis incurrant* (Clem. tit. de usur. c. Statuit). Usurarii restituere debent id quod per usuram extorserunt, atque etiam fructus

ex tali re perceptos; cum scilicet hujusmodi res est ager, domus, vel aliud aliquid de se frugiferum: tunc enim non solum rem frugiferam, quam inique abstulerunt, verum et fructus inde perceptos restituere tenentur, ut probat et explicat Doctor Angelicus (2, 2, q. 78, a. 3). Qui etiam docet, quod usurarius resarcire debeat damna, quæ solventi usuras causavit; quando scilicet illa per se directe et efficaciter causavit per lucrum usurarium quod ab aliquo accepit. Ubi autem sunt usurarii, qui ablata restituant? Ubi sunt, qui fructus ex re ablata perceptos propriis dominis reddant? ubi qui damna illata resarciant? Ubi, qui dicant cum Zachæo: *si quid defraudavi, reddo quadruplum?* (Luc. 19, 8). Certe nullus fore usurarius ablata restituit. Quamdiu enim usurarii bene se habent, de restitutione ne cogitant quidem, et instante morte aut nihil, aut parum restitunt, suoque debito satisfacisse credunt, si aliqua pia legata faciant, ut ab hominibus pii videantur. Deficiente ergo restitutione debita, ad æternam quietem omnino præcluditur accessus.

Re quidem vera quomodo salutem consequentur usurarii aliena hæc restituentes, cum Christus in die iudicii durissimam mortis æternæ sententiam in illos feret, qui de propriis bonis necessitatibus pauperum non subvenerunt? quam minacem sententiam proferet adversus usurarios, qui postquam aliena abstulerunt restituere voluerunt? Si in die iudicii, inquit Sanctus Bernardinus, ut dicitur Matthæi 24, Christus his qui pauperum necessitatibus non occurrerunt, dicturus est: *discedite a me maledicti in ignem æternum. Esuriis enim, et non dedistis mihi manducare; sitiis, et non dedistis mihi potum; hospes eram, et non collegistis me; nudus, et non cooperastis me*, quid obsecro usurarius dicturus est, qui tam impia pietate et simulata nequitia rapuerunt aliena? Is certe non dicet: *venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, sed eos ad æterna supplicia condemnabit (serm. 44 de usu a. 4). Quod ita certum censet D. Bernardinus ut asserat, ex omnibus peccatoribus nullos ita evidenter laturos literas sue damnationis, ut usurarios: *nullum crimen est, quod tam palenter et aperte deferat literas æternæ mortis, sicut*

facit usura. Et revera quilibet contractus usurarius ab usurario factus est quasi litera et instrumentum publicum damnationis ejus. Usurarius contractum mutui init cum aliquo, ligantem eum ad reddendum sibi supra decem vel duodecim pro centum: *ecce literam sue damnationis*. Cum alio paciscitur, quod pro auctario pecunie mutuata dabit ipsi aliquos tritici, vel frumenti modios: *ecce literas damnationis*. Alteri vendit oves, boves, equos, vel alias merces, et quia mutuo vendit, pro his retributionem nimiam et immoderatam exigit: *ecce literas damnationis*. Unde cum usurarii, dum in hoc mundo vivunt, hæc omnia instrumenta non conscindant, et quæ talibus contractibus inique acquisierunt, non restituant; hæc erunt literæ damnationis illorum, quibus visis, ad æternas penas condemnabuntur, et nequaquam beatam spem adipiscantur. O quam infelices ergo usurarii in vita, in morte, et post mortem! O miseri, quid proderit vobis multas coacervasse divitias si iis relictis, æternis suppliciis sitis adjudicandi? Estis o usurarie, quod neminem occideris, blasphemias nullas protuleris, nullumque aliud scelus perpetraveris; esto etiam, quod virtutibus plurimis acquirendis studiose incuberis; nil, aut parum tibi proderunt hæc omnia, si per usuras acquisita non restituas, quid proderit non occidere, non moereri, non rapere, non denique perjurare, immo neminem te prosum a cunctis criminibus custodire, si a te avaritia non expellitur? Certe hæc omnia parum proderunt, quia propter sola usuraria lucra quæ accepisti, et non restituisti, in æternum damnaberis. Propterea frater, si pecuniam mutuo dederis fratri tuo, ne accipias usuras ab eo, non amplius quam dedisti (Lev. 25, 36). Si per usuras multa comparaveris, agros, vineas, frumentum, vinum, oleum, ea omnia quæ inique lucratus es, propriis dominis restitue: imo ex propriis, quantum status et conditio tua patitur, pauperibus eroga. Hoc si feceris, felix eris in hoc sæculo, et æternam felicitatem post mortem obtinebis in celo. Amen.

FERIA III POST DOMINICAM PASSIONIS.

DE FESTIS DIEBUS RITE CELEBRANDIS.

Vos ascendite ad diem festum hunc (Joan. 7).

Tanta dæmonum est nequitia, tanta perversitas, ut in christiane religionis opprobrium, et in salutis humanæ detrimentum corrumpere cõnenter quidquid ad Dei gloriam, hominumque salutem fuit institutum. Quod cum in multis rerum pateat, precipue usu venit in festis diebus sacrisque solemnitatibus, quæ in ecclesia celebrari consueverant. Institute enim sunt, ut his diebus majore cum sollicitudine a vitis abstineamus, vacemus ab operibus servilibus, et divinis incumbamus. Insidiante tamen generis humani inimico, quod ad Dei gloriam, hominumque salutem institutum fuerat, jam multis in locis ad Dei ignominiam, plurimorumque damnationem conversum est, quia homines multi, perversis satanæ suggestionibus illecti, festis diebus iniqua gerunt, multaque in Dei contemptum et christiane religionis detrimentum operantur. Quod ita Deo displicet, ut evangelici vatis ore declaret se hominum solemnitates, et festa odio habere: *solemnitates vestras odicit anima mea* (Isa. 1, 14). Non odit Deus quod ipse instituit, non odit festa, quæ ipse celebrari præcepit; odit modum quo a plurimis celebrantur, qui ita ridiculus et a Dei mente alienus est, ut ipsis dæmonibus sabbata et festa nostra irridendi præbeant occasionem: *deriserunt sabbata ejus*. Ut tanto malo occurramus, dies festos celebrandi modum jam docebimus. Ave.

Festis diebus nonnulli vitis indulgent, operibus servilibus incumbunt multi, et cultum divinum plerique negligunt. Vitio festis diebus nonnulli indulgent, ac spreto Dei præcepto, quo festa sanctificari jubentur, comessionibus, ebrietatibus, fœdis libidinis, aliisque infandis vitis ea polluunt: *Dominus man-*

dat sanctificari sabbatum, et illi polluant sabbatum (D. Bon. in *dieta salutis*, 3, 2). Operibus servilibus alii multi diebus festivis incumbunt, et precipue plebei et rustici, qui cum spiritualia vix capiant, de temporaneis tantum curant, ac labori non solum profestis, verum et festis diebus totos se dedunt. Et istos dæmonibus et damnatis comparat Doctor Seraphicus: quia sicut qui ad tartara damnatur semper laborat, et *laborabit in æternum*; ita et isti in hoc mundo omnibus diebus tam festivis, quam non festivis laborant, et in inferno æternum laborant; *sunt similes diabolo, et damnatis, qui nunquam requiescant, sed semper laborant, et laborant in inferno*. Plerique tandem Dei cultum festis diebus negligunt, et ac licet sceleribus et servilibus operibus non vacent, ita tamen segnes sunt et desides, atque in Dei obsequio negligentes, ut vix augustissimo missæ sacrificio assistant, et isti, ut ait S. Bonaventura, *in die festo dant animam suam diabolo*. En tres in diebus festis contra Dei et Ecclesiæ leges in solitos abusos, quibus ut occurramus, et ut festa rite celebrandi modum doceamus, ob oculos ponere curabo dies festos esse dies sanctificationis, requiæ et devotionis: *in his autem sanctificationis diebus abstinendum a vitis; in his requiæ diebus cessandum ab operibus servilibus; in his diebus devotionis insistendum pietatis operibus*. Festis igitur diebus 1. abstinendum a vitis; 2. cessandum ab operibus servilibus; 3. insistendum pietatis operibus. Ecce quomodo celebrandi sint dies festi.

I PARS.

Festis diebus abstinendum a peccatis. ®

Sicut in omni loco, ita et in omni tempore a peccatis abstinendum, cum enim omne peccatum Deo injuriam irroget, nullum inveniri potest temporis instans, in quo peccare liceat, ac in quo quisque a peccatis abstinere non teneatur. Minime quidem omni tempore quisque jejunare, orare, et alia

bona opera fecere tenetur; omni tamen tempore quisque a peccatis abstinere debet, et eo præcipue tempore, quo festa celebrantur, quia peccata quæ festis diebus perpetrantur, graviora sunt ratione temporis. Imo juxta Alexandri Alensis sententiam circumstantia temporis sacri facit novum peccatum, ac ut ipse loquitur, *qui fornicatur die dominico, duobus peccatis peccat*. Eadem fuit Lirani et Tostati sententia dicentium, omnino peccatum die festo perpetratum esse sacrilegium ratione circumstantiæ temporis sacri, quod profanatur. De tempore ratiocinantur hi doctores, sicut de loco, dicentes, quod sicut furari et occidere in loco sacro sunt sacrilegia ratione loci sacri, in quo furta et homicidia patrantur; ita furari et occidere die festo sunt sacrilegia ratione diei festi, in quo homicidia et furta perpetrantur, ac proinde in unico furto patrato die festo duplicem esse malitiam, duplexque peccatum, furti scilicet et sacrilegii. Aliter sentit Doctor Angelicus, docetque magnam esse differentiam inter circumstantiam temporis, et circumstantiam loci; nec circumstantiam temporis inducere malitiam sacrilegii, sicut circumstantiam loci. Tempus, inquit, non est quid permanens, sicut locus, ac proinde cum tempus non sit quid permanens, aptum non est ad recipiendam specialem consecrationem sicut locus; quare cum tempus specialem consecrationem non recipiat, tempus diei festi non potest proprie dici tempus sacrum, nec peccata die festo perpetrata dici possunt sacrilegia ratione diei festi, et quodlibet peccatum die festo commissum præter propriam malitiam non habet malitiam sacrilegii, ratione temporis. Et revera si quodlibet peccatum, die festo factum, præter propriam malitiam haberet et sacrilegii malitiam, maximum hoc onus esset fidelibus; et cum Ecclesia festos dies multiplicaret, onus importabile fidelibus imponeret, ac eorum saluti quasi insidias pararet. Quamquam vero circumstantia temporis non mutet speciem peccati in die festo expleti, majorem tamen gravitatem ei tribuit. Hæc circumstantia non addit novum peccatum, tantummodo aggravat, ut asserit Bel-larminus (*de cultu SS.* 10); *circumstantia temporis semper*

aggravat peccatum. Quod multis rationibus evincitur, quarum prima, quæ menti meæ occurrit, sumitur ex divo Bernardino Senensi, qui docet, festis diebus quemque de peccatis mortalibus debere conteri ac propositum elicere loco et tempore opportunis confitendi et Deo satisfaciendi; ideo si peccet quis his diebus, in quibus specialiter ad peccata sua delenda tenetur, laud dubie peccata ratione hujus circumstantiæ aggravantur; atque graviora sunt ratione injuriæ quæ fit diei festo. Hanc rationem adducit sanctus Chrysostomus dicens, quod multi festos dies vocant illos, in quibus abdomini et libidini indulgent; nec festum aliquid vere festum esse credunt, nisi his vitis se dedant: *nonnulli festivos esse dubitant, nisi gula, nisi centri, nisi luxuriæ satisfecerint* (serm. 8, *de resurr.*). Ritus celebrandi festa apud hujusmodi homines non est orare, missæ sacrificio interesse, peccata confiteri, concionem audire, et aliis piis operibus vacare; sed ludere, choreizare, epulari, gulæ et libidini frenâ laxare: hi profecto, inquit Chrysostomus, festa a Deo insitata non colunt, sed coinquinant: *non est hoc, fratres, festivitatem colere Dei, sed coinquinare*. Hanc diei festi profanationem quæ per peccatum fit optime suo more explicat S. Thomas, dicens: « Quia homo magis impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum quamvis sit corporale, ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit » (2, 2, q. 122, a. 4).

Alia quoque ratione graviora mihi videntur peccata diebus festis patrata; ratione scilicet scandali, quod per ea causatur. Quid enim dicere, quid sentire possunt qui hos vident homines christianos sua celebrantes festa eo prorsus modo, quo Bacchi, Cereris, Veneris, et aliorum deorum festa gentiles celebrare consueverant? Quid cogitare et sentire possunt, qui diebus festis vident christianos non in templis, ut orent, sed in caupona, ut vino se ingurgitent? non in loco sacro, ut cum Deo et sanctis conversentur, sed in platea vel in loco profano, ut cum licentioris vite personis licentiosius vivant; non in sacro penitentiæ tribunali, ut peccata sua deleant,

sed in locis suspectis et exilitosis, ut ea multiplicent? certe qui talia vident, haud bene sentire possunt de his personis: atque hujuscemodi actiones malas diebus festis factæ sunt aliis in malum exemplum et scandalum; ex quo patet quod peccata, diebus festis perfectiora sint habenda ratione mali exempli quod per ea datur, et scandali quod per ea causatur. Hæ rationes satis superque suadere videntur, ut majore cura ac studio diebus festis quisque a peccatis abstinere debeat: nampe quia peccata his diebus perpetrata Deum maxime irritant. Ut enim ait divus Chrysostomus, licet festivitates a Deo, et Ecclesia ad Deum placandum sint institutæ: licet his diebus Deus se magis placabilem exhibere soleat, qui tamen diebus festis se criminibus fœdant, non placent Deum, sed exacerbant. Peccata quidem his diebus perpetrata ita Deum irritant, ut protestetur, se hujuscemodi festivitates in quibus homines peccatis se coinquant, odio habere et projicere: *odi, et projeci festivitates vestras*. Ita etiam Deum irritant, ut eos qui in diebus festis se peccatis dedunt, graviter puniat, et festivitates eorum in luctum convertat: *convertam festivitates vestras in luctum, et omnia cantica vestra in planctum* (Amos 8, 10). Itaque cum peccata diebus festis perpetrata Deum magis irritant, his precipue diebus a peccatis abstinendum. Antequam primæ hujus concionis parti finem faciam, aliam quæ nunc menti meæ occurrit, rationem adducam, qua non parum excitari debent homines ad declinandam a peccatis diebus festis. Quæ ratio sumitur ex Dei bonitate et liberalitate, qui se opponunt et quasi terminum præficiunt peccata his diebus perpetrata. Deus enim, qui se omni tempore in homines liberalem exhibet, in eos liberalior esse solet diebus festis; tum quia dies festi sunt dies gratiarum; tum quia Sancti, quorum festa celebrantur, Deum suis orationibus ad majora hominibus beneficia impendenda inclinant; jam vero peccata quæ his diebus committuntur, liberalitati divinæ obstant et impediunt, ne in homines Deus se liberalem præbeat. Sancti quorum his diebus sollemnia colimus, precibus suis Deum nobis propitium et in nos liberalem reddere conantur; si vero his

diebus in Deum peccemus, ipsa peccata bonitati et liberalitati ejus sese opponunt, eum a beneficiis nobis impendendis averunt, nec non ad omnem nobis gratiam denegandam compellunt. Unde his diebus ad Deum clamant sancti; clamant et peccata nostra, sed diversimoda. Clamant ad Deum sancti, ut hominibus gratiam salutis, aliaque iis necessaria beneficia largiatur; peccata vero his diebus perpetrata ad Deum clamant, ut talia eis beneficia non impertiant. Sanctorum clamor Deum ad hominibus beneficiendum flectit, et peccatorum clamor ita Deum a beneficiis hominibus impendendis averit, ut Sancti vix aliquid ab eo impetrare queant in gratiam eorum qui diebus festis se peccatorum labe inquinant. Et ideo dixit divus Augustinus, quod *tunc pro nobis sanctus Joannes quidquid petierimus, poterit obtinere, si nos festivitatem suam sobrios, castos, absque ullo turpiloquio cognoverit celebrare* (serm. 2 de S. Jo. Bapt.). Econtra si sancti Joannis et aliorum Sanctorum festa peccatis nostris polluamus, Sancti nullum nobis a Deo beneficium impetrabunt, quia peccata hæc diebus patrata. Dei liberalitati se opponunt, ejusque beneficiis nos privant. Igitur festis præsertim diebus quisque summa sollicitudine vigilet, ut a peccatis caveat. Adveniente die dominica, vel alio quolibet festo summa cura suam quisque scrutetur conscientiam, eamque ab omnibus peccatis mundare satagat, ac præsertim sedulo curet, ne in nova peccata his diebus incidat, et a quibusque peccatis, quantum fas erit, abstinat; tum quia peccata festis diebus sunt graviora; tum quia Deum magis irritant: tum quia ejus in nos liberalitati obstant. Diebus festis non solum abstinendum a peccatis, sed etiam cessandum ab operibus servilibus.

II PARS.

Festis diebus cessandum ab operibus servilibus.

Festis diebus forsensibus negotiis vacare non licet: hoc enim expresse prohibet Matiscenense Concilium (c. 1), dicens: *nullus*

vestrum festis diebus litium fomitibus vacet, nullas causarum actiones exercent. Hoc idem alia nonnulla votant Concilia: et in sacro canone habetur, quod *debet judicialis strepitus diebus conquirere feriatis, qui ob Dei recreantiam noseuntur esse statuti* (Extr. de fer. c. ult.). Cum jure canonico concordat civile, in quo dicitur: *ferias dare vacationem a forensibus negotiis.* Et non sine ratione hæc ita statuta sunt; quid enim equitati et rationi magis consonum, quam quod diebus a Deo et Ecclesia ad pietatis operibus vacandum statutis christiani litibus non vacent, quæ contentiones multas generare et a pietatis spiritu avertere solent? Quod de fori, hoc et de commercii negotiis dicendum est; dies enim festi sunt instituti, non ut homines ad mercatores et mundanas negotiationis causa se conferant: verum ut *ab omni negotio sequestrati, soli divino cultui vacent.* Et ut in sacro Canone legitur: *festis diebus, neque negotiationi, neque litibus vacare licet: in eis mercatum minime fiat, neque placitum* (S. Aug. serm. 251). Prefata quidem opera festis diebus prohibentur: strictius adhuc prohibentur opera servilia. Si enim in veteri lege nullum opus servile diebus sabbati facere liceat: *nullumque servile opus facietis in eo*, quanto minus diebus dominicis et aliis novæ legis festis diebus, operibus servilibus incumbere licet? Hoc quidem nefas est, cum pluribus in Conciliis id prohibeatur, cumque universali sanctæ romanæ Ecclesiæ præcepto id vitium sit; dum enim præcipit sancta Ecclesia, ut dies festi sanctificentur, præcipit identidem, ut his diebus nullus servilibus operibus vacet. Et ideo qui sine legitima causa diebus festis arat terram, domos ædificat, fabrilibus et aliis servilibus operibus incumbit, Ecclesiæ præceptum violat, mortaliter peccat, et in hoc mundo infernum inchoat. Multos reperire est, inquit sanctus Bernardinus, quos in tantam insaniam avaritiæ diabolus dementavit, ut quasi nullum æstiment lucrum, nisi quod in festivitibus cumulant; imo ad pauperiem extremam devenire se credunt, nisi luceantur diebus festis. Sæpe enim videbis hominem jam decrepitum, jamque nutantem grossu, et capite tremulum, divitiis plenum, filiis et consanguineis carentem,

pene in habitaculo suo solum et tamen in his diebus festis tanta anxietate, tantaque sollicitudine laborare, quasi videretur sibi deficere mundus. De tali homine dicitur: *unus est, et secundum non habet; non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat: nec satiantur oculi ejus dicitis: nec recogitat, dicens: cui laboro, et fraudo animam meam bonis* (Ecol. 4, 8)? Hujusmodi quidem homines, qui diebus festis operibus servilibus vacant, animas suas plurimis et æternis privant bonis, ac, ut ait S. Bernardinus, *in præsentem vitam infernum inchoant.* Scio, quod mortaliter non peccant, nec æterna pœna digni habeantur, qui festis diebus modico tempore laborant, nec etiam qui operibus servilibus pietatis causa vacant; qua ratione qui his diebus in xenodochiis, in ecclesiis et in aliis locis ex solo pietatis et misericordiæ motivo laborant, non peccant, quis ut habetur in sacro canone, *in operibus misericordiæ dierum distinctio non est habenda.* Non etiam peccant qui ex gravi aliqua necessitate ad laborandum coguntur, ut nonnumquam tempore vindemiarum et segetum accidit; quum tamen fieri potest, exponenda pastoribus suis urgens illa necessitas, petenda ab iis laborandi licentia, et eorum judicio adherendum. Qui exceptis his casibus, servili labore diebus festis multo tempore vacant, peccant mortaliter, et æterna plectuntur pœna, nisi in hoc mundo peccata sua sacro penitentiæ lavacro abluerint. Timete avari formidanda tartari supplicia, et ut iis non adjudicemini, festis diebus a servilibus abstinete operibus, a quibus insuper vobis est abstinendum, ut gravia vitetis supplicia, quibus in hoc etiam mundo Deus plectit eos qui festis diebus laborant. Scitis, quid acciderit misero illi homini quem filii Israel invenerunt colligentem ligna in die sabbati. Nostis, quomodo carceri mancipatus, et ex Dei ordinatione ad mortem damnatus fuerit. Qua sententia audita, eduxerunt eum foras, *obruerunt lapidibus, et mortuus est, sicut præceperat Dominus.* Facile crediderim, Deum multos simili pœna plectere; seu celeri morte punire, quia festos dies vilibus et servilibus operibus violant. Aliis quoque penis multos hujus farinae viros Deus plectit; cumque plerique diebus festis laborant, ut laboribus

suis ditentur, sepe Deus in avaritiæ eorum penam bonis temporalibus illos privat. Unde quo laboribus prohibitis ditiores fieri conantur, eo pauperiores fieri solent. Familiare est exemplum de duobus sutoribus; quorum unus, licet plurimos haberet filios, et nunquam diebus festis laboraret, semper tamen magis et magis ditescerat: alter vero, licet nullum haberet filium, et festis etiam diebus laboraret, pauper tamen semper et egenus erat. Attonitis istè, et mysterium ignorans, ab illo sutore petiit, qui fieri posset, quod temporalibus afflueret, ipse vero egestate premeretur? respondit ille, si mecum venire velis, docebo te unde mee veniant divitiæ, et quomodo dives fieri possis? Annui istè et secutus est alium suturem, a quo ductus est in ecclesiam, ubi, audita missa, dixit ei; vade jam ad laborem tuum. Ad illum secundo et tertio rediit iste, qui semper ab eo ad ecclesiam ductus est, eique audita missa, semper dixit; ut rediret ad laborem suum. Cui tandem iste; charissime, si vellem ire ad ecclesiam, non ignoro viam, qua ad illam itur; hoc a te non peto; supplex postulo, ut doceas me modum, quo ditari possim, sicut tu. Tunc ille dixit; scito, quod modus quo ditari potes, est, quod festis diebus non labores, quod facias quæ Deus precipit, et potissimum incumbas iis quæ Dei sunt, qui enim spiritualibus sedulo vacat, temporalia etiam obtinet, juxta hæc Christi verba: *quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (Matt. 6, 33). His auditis, ille ad se reversus, tactus dolore cordis intrinsecus, diebus festis laborare destitit, pietatis operibus sedulo vacavit, et dives factus est. O vos omnes, qui diebus festis laboratis, ut ditiores efficiamini, timete, ne inde pauperiores evadatis; timete, ne in avaritiæ vestre penam spiritualibus et temporalibus bonis Deus vos privet. *Permittit* sepe Deus, ut hi, qui Ecclesie præceptum contemnescentes festis diebus laborant, a feribus, a raptoribus, ab iniquis judicibus, vel ab inimicis facultatibus suis spolientur; *permittit* etiam nonnunquam Deus, ut boves, equi, et alia eorum pecora lædantur, vel moriantur; *permittit* aliquando, ut domus, et facultates eorum comburantur; *permittit*, ut hi vel eorum filii diu infirmentur, et diuturnis infirmitatibus bona

laboribus prohibitis comparata consumentur: propterea timete, ne laboribus festivo tempore susceptis, pauperiores, miseriores, et infeliciores efficiamini. Hac ratione quisque festis diebus a servilibus operibus abstinere deberet: ac potiore ratione ab iis abstinendum ne aliis fiat in scandalum; pie enim animæ plurimum scandalizantur, cum vident, vel sciunt sartores, suttores, aratores, fabros, et alios hujusmodi officios festis diebus laborare; ut igitur aliis occasione scandali non præbeatur, a prefatis operibus cessandum. Videte, quomodo se habuerit Christus, cum die sabbati sanare voluit hominem habentem manum aridam? perspicuum erat et evidens, curam ægri non esse contra legem sabbati? ne tamen Judæis scandalum qualicumque modo præberet, antequam hunc hominem curaret, Judæis probavit, non esse prohibitum sanare infirmum et benefacere in sabbato, dicens: *quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in faciem, nonne tenebit et levabit eam? Quanto magis melior est homo oves? Itaque licet sabbatis benefacere* (Math. 12). Tali discite exemplo, nulla diebus festis facere opera, quæ non sint evidenter licita. Quæ si licita non sunt, vel dubitari possit, an liceant, ab iis abstinete ne aliis occasionem admirationis et scandali præbeatis. At diebus festis non solum abstinendum ab operibus servilibus; *etiam pietatis operibus sedulo vacandum.*

III PARS.

Festis diebus insistendum pietatis operibus.

Dixit Christus discipulis: *vos ascendite ad diem festum hunc.* Omnes similiter christiani diebus festis ascendere debent non descendere: descendunt hi, qui illis diebus vanitati, lascivie, gulæ et aliis peccatis indulgent: ascendunt vero, qui hisce diebus orationi, meditationi, poenitentiae, aliisque piis operibus vacant. Non est autem his diebus descendendum et de-

clinandum ad peccata; verum ad Deum per hæc et alia pietatis opera ascendendum; *Dominico die ab omni peccato et a labore terreno cessandum, atque omni modo orationibus, aliisque piis operibus insistendum. Et si quid negligentia per sex dies agitur, die dominico, precibus, aliisque piis operibus capietur* (S. Greg. Mor. 11, 3). Multi tota hebdomada a Deo et rebus salutis quasi peregrinantur; multi omnibus diebus non festis ad aliena a salute vagantur, ac cum filio prodigo vadunt in regionem longinquam, vadunt ad vanitates, ad curiositates, ad iniquitates; uno verbo, longe a rebus salutis aberrant. Multi, profectus diebus, totos se dedunt luero, daleiis, curis, sollicitudinibus, filiis, conjugi, carni, mundo; sequimur est ut saltem diebus festis ad se redire studeant, et cogitare uli sint, quam longe a Deo recesserint; a quo, et in quem finem creati sint; quantum ab eo deviarerint, et quomodo in gratiam a Deo Patre suo recipi possint: saltem festis diebus, ut ad Deum redeant, peccata sua detestari, augustissimo missæ sacrificio interesse, et aliis piis operibus vacare debent. Jacob, cum servisset socio suo Laban annis quatuordecim, facultatem adeundi sua ab eo petit his verbis: *Tu nosti, quomodo servierim tibi; justum est igitur, ut aliquando provideam domui mee* (Gen. 30, 10). Cui, queso, plerique serviunt profectis diebus? mundo sane, ac etiam carni et ipsi demoni. Nonne ergo justum est, ut saltem die septimo, vel quocumque alio festivo die ad sua, seu ad ea quæ anime sue sunt, redeant? nonne equitati consonum, ut istis saltem diebus totos se pietatis operibus dedant? Mulierem inclinatum, quam sursum aspiciere nullo modo poterat, erexit Christus die sabbati. Præclare adnotavit S. Gregorius (hom. 1 in Ev.), hanc mulierem inclinatum esse figuram hominum peccatorum, qui dum desideria inferiora sequuntur, a mentis suæ rectitudine curvantur. Hujusmodi homines curis et negotiis secularibus gravati, eoque pondere quasi incurvati, tota hebdomada terram dumtaxat aspiciunt, et terrena pro victu, vestitu, familia, conjuge, ac liberis sollicitè quaerunt: ideo sabbati nostri die, seu die dominica, aliisque diebus festis se erigere conentur, cælum et divina

his diebus sedulo contemplantur, pietatisque operibus toto nisu incumbant. Ad hæc quidem adstringuntur homines secularibus negotiis fore semper dediti, sed et omnes penitus christiani tenentur ad sanctificanda festa, et sicut in veteri lege cuilibet Judæo dicebatur: *memento, ut diem sabbati sanctifices* (Exod. 20), ita et in nova cuilibet christiano dicitur: *memento, ut diem dominicam et alia festa ab Ecclesia instituta sanctifices*. Quomodo autem sanctificantur festa, nisi per pia opera quæ in iis fiunt? hic est modus quo sanctificantur festa, quia, ut ait Doctor Angelicus: *in lege Domini ea dicuntur sanctificari, quæ cultui dicino mancipantur*. Unde in jure canonico habetur, quod *die dominico nihil aliud agendum, nisi Deo vacandum*. Quod autem ibi de die dominico dicitur, de omnibus festis ab Ecclesia institutis, est etiam intelligendum: in iis enim sicut in die dominico, soli Deo vacandum et bonis operibus incumbendum. Opera autem pia, quibus his diebus insistendum est, multa sunt, quorum aliqua hic recensere. *Primum, est augustissimum missæ sacrificium (de consec. d. 3, c. jejun.)*, cui ex Ecclesie præcepto et sub mortali adesse tenentur fideles, ita ut si quis vel semel in die festo Missam non audierit, peccet mortaliter, nisi necessitas vel alia legitima causa excuset. Et in hoc plerumque peccant rustici, qui negotia in profectis diebus advenientia in proximam dominicam vel in immediate sequens festum differunt: quo die non ad ecclesiam, ut missam audiant, sed ad temporalia sua negotia properant. In hoc etiam peccant multi ex pigritia, ex negligentia; vel quia tarde e cubili surgunt, vel quia ad ecclesiam aliquantum distantem ire conantur. In hoc tandem peccant patres familias, qui filios et domesticos ad ecclesiam non mittunt, ut sanctissimo missæ sacrificio festis diebus intersint. Primum ergo pietatis opus, cui diebus festis vacandum, est missæ auditio. *Secundum est dolor de peccatis*, quem quisque singulis diebus elicere quidem debet, at præcipue diebus festis: in iis enim quisque accuratius suam lustrare debet conscientiam adnotare peccata, quibus inquinatur et de iis dolere. Judæis præceptum erat, ut diebus sabbati suas per dolorem de

peccatis affligerent animas: *Sabbatum requietionis est, et affligetis animas vestras* (Levit. 16, 31); cur idem non præstabunt festis diebus christiani? cur tunc actum doloris de peccatis non elicient? certe ad id tenentur christiani (1). Imo si sapiant, sua his diebus peccata per poenitentiam delebant, et sanctissimo Eucharistie sacramento reficiuntur. Hoc regulariter serviant nonnulli christiani; idque moris quantum fas erit, ab omnibus servari oportere, ut horum sacramentorum receptione sanctificentur, et celestis gratie thesauros colligant. *Tertium est meditatio*; his enim præcipue diebus meditationi insistere debent, qui meditationis calient regulas. His diebus mente revolvenda Dei in nos beneficia, formidanda ejus judicia, terribilia inferni supplicia, desideranda paradisi gaudia, et alia mysteria, quorum meditatio ad rectius vivendum adducere solet. His igitur diebus

*Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gloria cæli,
Et dolor inferni sunt meditanda tibi.*

Sicut in veteri lege animalia, quæ non ruminabant, censebantur immunda; ita in nova, qui ferventi meditatione religionis christiane mysteria non ruminant, in horrendas criminum immunditias facile labuntur: ideo saltem festis diebus meditationi est vacandum. *Quartum est oratio vocalis*. Ut enim ait S. Bernardinus senensis, « talibus diebus communiter ad aliquas orationes vocales fundendas adstricti sumus per præceptum de sabbato sanctificando, et per præceptum de Deo

(1) Intellige: tenentur non ex præcepto sanctificandi dies festos, sed ex vi præcepti charitatis erga Deum et seipsum, quo quisque lethali labe inquinatus cavere debet ne dies in hoc modo faciat, cum id fieri nequeat sine gravi in Deum injuria, cujus amicitia perpenditur, et sine magno animæ detrimento, quæ pluribus bonis privatur, ac majori quotidie patet ruitus. Quamquam vero non consentiant theologî circa tempus quo sub gravi tenetur peccator elicere contritionis actum, ad plures tamen menses ille protrahere non licet, ne se exponat probabili discrimini relabendi; ideoque consultissime mandetur ut fiat singulis diebus dominicis, pro quorum sanctificatione nil apertius, quam hujusmodi contritio de peccatis.

colendo et honorando, quia sine tali oratione non potest debite Deo mens festare, nec ipsum debite colere, debitasque ei gratias agere. Proinde debet populus convenire ad ecclesiam, quæ proprie locus orationis est, et ibi orare sine omni strepitu, etiam labiorum, quantum fas est; ne vox vicinorum orantem vel presbyterum celebrantem lædat, quia Deus plus affectu, quam voce pulsandus est. His diebus non audiendi cantus vani et theatrales; sed *hymnis, psalmis, et spiritualibus canticis est insistendum* (De consec. d. 3, c. jejunium). *Quintum, est auditio verbi Dei*. Illic est panis, quo pascuntur animæ, saltem sumendus diebus festis, in quibus a pastoribus distribui solet. Certum est, quod ignari his diebus verbum Dei audire, et prædicationi assistere debent, ut de credendis, agendis et sperandis erudiantur. Verum et assistere debent alii, ut excitentur ad declinandum a peccatis, ad recte vivendum, et ad salutem invigilandum, atque ut celesti hoc pabulo roborati beatitudinem æternam obtineant, quia *beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*. Ecce quibus operibus insistendum diebus festis. Non vacandum pompis et vanitatibus, non conviviis et commensationibus, non choreis et saltationibus, non cupidis et libidinibus, non contentioni et litibus, non temporalium rerum commercio, nec aliis sæculi vitis et negotiis; his diebus altissimo altaris sacrificio reverenter assistendum; his diebus dolor de peccatis est eliciendus; his diebus divinorum meditationi est ferventer adherendum, vocali oratione cœlum est pulsandum, verbum Dei humiliter audiendum, panepores cibandi, visitandi qui in carceribus clausi detinentur, afflicti consolandi, et alia pietatis et charitatis opera peragenda. Hæc sunt opera, quibus incumbere consueverant primi nascentis Ecclesie christiani, ut docet Origenes; hæc sunt opera, quibus electi quidam hujusce temporis christiani omni tempore vacant, et hæc sunt opera, quibus omnes penitus christiani saltem festis diebus incumbere debent. Hæc! tamen his diebus sanctificationis plerique operibus non sanctis se dedunt. Dicite, quæso, quid agere solent homines his diebus? nonne plus vino indulgent, quam aliis diebus? nonne tunc frequentius caupo-

nam adeunt? nonne in his magis effrenatus est gula, vindicta, et libidinis affectus? certe in his sanctitatis et sanctificationis diebus majori conatu ad illicita properant. Quid in his diebus agere solent mulieres? Tunc incedunt ornate, ut similitudo templi, vel potius ut similitudo Veneris. Tunc altera alteram in vanitatibus superare contendit; tunc profana sumunt vestimenta, et ampliori cultu adversus Christum insurgunt: tunc choreis, saltationibus et vanis, malisque hominum concentibus intersunt; tunc videre et videri, amare et amari querunt; tunc tandem non piis, imo vanis, iniquis et sæpe pessimis rebus vacant. O viri, o mulieres, sicine festos dies sanctificatis? sicine cultum Deo debitum exhibetis? Timete, ne irascatur furor illius: timete, ne temporalibus et spiritalibus bonis vos privet: timete, ne temporanea et aeterna poena vos plectat. Et tot malis occurratis, festa sanctificate; festis diebus a peccatis abstinete, ab opere servili cessate, bonis operibus insistite; dabunt Deus vobis gratiam in hoc mundo, et gloriam in alio. Amen.

FERIA IV POST DOMINICAM PASSIONIS.

DE DETRACTIONE.

De bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia
(Joan. 10).

Præsenti sæculo nequam, ita hominibus placere solet detractio, ut plebisque urbanitas et verborum lepor videatur. Tanta hoc ævo mentis humane est perversitas, ut plorumque stolidi et stupidi censcantur viri illi pii, qui in hominum conversatione silere malunt, quam proximi famam dilaniare; illi vero eleganti,

peracuto, et quasi divino pollere dicantur ingenio, qui verbis selectis et exquisitis, quidquid mali et sinistri in regnis, in provinciis, in urbibus, in familiis, imo et in ipsis cordibus hominum reperitur, aperire, delineare et aggravare sciunt: ac etiam qui actiones sanctissimas lingue veneno inficere, et ibi malum fingere norunt, ubi nulla mali ratio, quinimo omnis virtutis species elucet. Exitiosum hunc de aliis detrahendi morem damnavit Christus, non extirpavit, cum etiam adversus illum linguae suas hodie solvant nonnulli maledici, detractores, et calumniatores, qui eum blasphemiam accusant: *de bono opere non lapidamus te; sed de blasphemia*. O quantum malum detractio, quæ Christum, qui de nullo argui potest peccato, hodie temere aggreditur! quam ideo necessarium de ea palam disserere, ac vitii hujus malitiam propalare, ut quisque lingue suæ frenum, et ori suo custodiam ponere discat, ne declinet in verba proximi famam denigrantia. O Domine, aperi os meum, ignita da mihi verba, ut utilem de detractioe sermonem instituum. Ave.

Non immorabor in explicanda detractiois natura: norunt omnes, quod detractio nil aliud sit, quam alienæ famæ injusta imminutio. Unde ille detrabere dicitur, qui alterius famam quomodocumque minuit, sive hoc faciat imponendo ei crimen falsum; sive exaggerando crimen verum, vel falsum; sive manifestando crimen occultum; sive opus rectum sinistre interpretando, sive alterius dotes extenuando, sive etiam frigide et simulate laudando: quia, ut præclare dixit Gellius, *turpius est exigue atque frigide laudari, quam insectanter et graviter vituperari*. Nec semper lingua et verbis opus est, ut alteri detrahamus, ejusque famam imminuamus et auferamus, quia detractor sæpe proximum plus denigrat maligno suo silentio, uno capitis nutu, ictu uno oculi, unico gestu malignose elaborato, levi risu, vel etiam sola scapularum elevatione, quam si aspera multorum verborum insectatione illius famam minuere contenderet. Quocumque autem modo fiat detractio, sive verbis, sive nutibus, sive clam, sive clam, est semper peccatum; et ut ait sanctus Laurentius Justinianus, *est peccatum*

commune, grande, et exitiosum. Detractio est peccatum commune, cum vix reperiat qui a detractioe sit liber: est peccatum grande, cum ex natura sua sit mortale, et inter mortalia grave: est peccatum perniciosum, cum ex eo innumera mala oriantur. Placet hujusmodi sancti episcopi oraculum, ejusque verbis ad recte distribuendam hujus concionis materiam utar; ac dicam detractioem esse 1. peccatum commune: 2. peccatum grande: 3. peccatum perniciosum. Detractio est peccatum commune, grande et perniciosum. En tres hujus concionis partes.

I PARS.

Detractio est peccatum commune.

Sicut loqui est homini naturale, ita et homini de aliis loqui dulce et jucundum est: *nihil dulcius, quam de aliis loqui* (S. Greg. Nazian.). Nescio, an maligna et quasi innata nobis hæc de aliorum vitijis loquendi voluptas a superbia, vel ab invidia originem ducat: a superbia, quæ nos tunc sublimari suadet, cum deprinuntur alii; vel ab invidia, quæ ex ingenua sua indole aliorum felicitati insidias parare delectatur. Quocumque ex capite oriatur illa de aliorum vitijis loquendi libido et voluptas, eam omnibus fere hominibus quasi innatam esse constat; omnesque ex nativa propensione ad detrahendum proclives esse certum est; cui nature propensione cum difficulter resistatur, ea omnes fere homines ad detrahendum allicuntur. Quod et in nobis sæpe experimur: innata enim hac propensione ducti, modo cum impetu et in sermonis fervore innumera proferimus verba, quorum malignitatem tunc solummodo percipimus, cum prælata sunt, et damna irreparabilia intulerunt: modo cum spiritus imperio, ac magna cum cordis malitia et arte venena suaviter infundimus, et prius laudamus, quorum deinde vitia manifestamus. Atque ut nos sine ratione loqui non credatur, prætextus et specio-

sas adducimus rationes sumptas ex zelo salutis, ex justitie amore, ex mera compassione, vel ex dolore quo angimur, ob crimen in Deum perpetratum; nunquam desunt rationes apparenter piæ et justæ, quæ innata nostræ faveant propensione. Harum rationum impulsu et naturali inclinatione ducti, omnes fere homines detractioe se dedunt, hocque vitium ita inter homines inolecit ut, teste Angelico doctore, hoc unico vitio totum genus humanum in magno ruine et damnationis periculo versetur: *hoc specialiter vitio periclitatur totum genus humanum.* Non solum ex innata nobis propensione et speciosis rationibus, quibus detractioem nostrarum apologiam facimus, ad detrahendum ducimur; verum et ex maxima facilitate, qua detractio fieri solet. Non facila occiditur inimicus, inquit S. Chrysostomus; tum quia sæpe is longe distat; tum quia opportunum non adest tempus; tum quia omnia loca ad tantum facinus perpetrandum non sunt apta; tum quia cautiones sunt adhibenda; tum quia omnia arma ad mortem inferendam non sunt idonea; tum quia omnia vulnera non sunt lethalia. Ad auferendam autem proximi famam unicum proferendum est verbum, quo nihil facilius; quantumvis enim distet is de quo detrahis, fama ejus est ubicumque sunt personæ, quæ illum noverunt; et ideo nullus fere reperitur locus, in quo eam facile dilanare non valeas. Ad illud faciendum diuturno non eges tempore, unum momentum sufficit, et mox ut de aliquo detrahere voluntas nostra decrevit, ejus decretum lingua executioni mandat; modum etiam non serrat lingua, quin sæpe sæpius plura dicit quam velimus, et a nimia loquendi et de aliis detrahendi facilitate quam habet, nemini parcit, omnes denigrat, ac omnium famam verbis iniquis minuit, et sæpe penitus aufert. Itaque cum omnibus fere hominibus innata quædam sit ad detrahendam propensio, tantaque sit detrahendi facilitas, hinc fit, quod detractio evadat peccatum maxime commune, quodque plerique hominum detractioe vacent, et in salutis periculum veniant: *hoc specialiter vitio periclitatur totum genus humanum.* Alia mihi occurrit ratio, qua detractioem apud homines esse commu-

nem quisque fatobitur, eamque desumo ex benigno auditu, qui detractoribus præberi solet. Procul dubio detractionibus jucundius nihil auditur, non solum ab impiis, qui cum aliorum aperivint vitia, sua quodammodo fulciri, et aliorum exemplo minus pudenda fieri credunt: sæpe etiam a viris aliunde bonis, qui, cum de aliis detrahitur, probitatis suæ elogium fieri arbitrantur. Cum igitur detractor certo sciat, quod detractionibus suis facilis et benignus præbebitur auditus, facile etiam in verba prorumpit, ac aliena quævis crimina quamvis occulta facile revelat. Et ob hæc causam, inquit S. Paulinus in quadam ex præclaris, quas conscripsit epistolis, detractio est peccatum apud homines maxime commune: *hoc ideo malum celebre: idcirco in multis ferret hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur*. Si censorer detractores, se ægre audiendos, se oburgandos, vel charitative ab adstantibus corripiendos, paucissimi de proximo detraherent; at quia noscunt verba detractionis benigne et jucunde audienda; quia experientia norunt, quod eo ipso quo aliquid proximi fama noxium narratur, excitantur omnes a somno, plausum dant plerique et arriident, multi ideo facillime aliis detrahunt; et ideo detractionis peccatum fit maxime commune: *hoc ideo malum celebre: idcirco in multis ferret hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur*. Dici posset, pravum hunc detrahendi morem a malo etiam detractorum oriri exemplo; quo ad detrahendum trahuntur et ipsi viri justi: unde quæque oriatur, certum est, nil in mundo detractione communius. Quæ enim urbs a qua exulet? seu potius quæ urbs, quæ domus, quæ societas in qua non regnet? nonne omnes urbes replentur viris turpi otio indulgentibus, quibus maledicere vivere est; et qui vicos et domos circumneant, ut detrahendi materiam colligant, et mala quæ didicerant, disseminent? nonne in qualibet domo et societate reperitur aliquis homo mordax, cui semper aliquid sinistri enarrandum in promptu est? nonne in societatibus hi soli adstantium captant benevolentiam, qui acute de aliorum defectibus loquuntur; certe hæc omnia fere hominum sunt hodie colloquia: unde in

hominum conversatione aut tacere, aut proximi famam lædenda quasi necesse est. Hinc fit, quod viri etiam pii, cum detractoribus nonnumquam detrahant, et detractionibus linguas suas solvant. Non loquor de hypocritis, qui pietatis speciem habent, rem non habent: non loquor de viris illis, qui simulata pietate detractionum suarum malitiam contegunt; et qui, ut ait S. Bernardus, cum de aliis maledicere volunt, alta præmittunt suspiria, ac demissis superciliis, vel voce plangenti suam emittunt detractionem, dicentes: *doleo vehementer, eo quod diligo eum satis, et nunquam potui hæc de re corrigere eum. Et alias mihi quidem bene compertum fuerat istud, sed per me nunquam innotuisset: et quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, revera ita est* (serm. 31 in Cant.). Non loquor, inquam, de viris illis, pietate ficta micantibus; verum de illis, qui verè et solide pietati operam dare profitentur: detractionis enim peccatum ita commune factum est, ut ad istos etiam pervenerit, qui licet de aliis vitiis, non tamen de isto triumpharunt: *tanta detrahendi libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum dinboli laqueum incidant* (S. Hieron. ep. 14 ad Celant.).

Crediderim quod viri qui pietatem christianam profitentur, nolint aliorum virtutes in vitia convertere, nec crimina falsa viris innocentibus affingere. Isti, si quomodocumque pii sint, gravioribus detractionibus non se dedant, ac verentur similes effici pessimis his detractoribus, qui, ut ait S. Basilus, a fortitudine audaciam appellant; modestum vero, sine sensu hominem justum imitem et nimium severum; prudentem, astutum; magnificum, vastum, liberalem, ut prodigum taxant; domesticæ frugolem, avarum dicant; denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina convertunt, nusquam calumnia rebus laudatis deficiente. Etsi vero homines pii graves hujusmodi detractiones et calumnias non proferant, tot tamen sunt varii detractionum modi, ut difficillimum sit, viros etiam aliunde vere pios de aliis non detrudere. *Detrahimus enim, cum crimen alicujus, quod rumore dubio et incerto didicimus,*

tamquam certum referimus; *detrāhimus*, cum crimē aliquod secretum revelamus; *detrāhimus*, cum aliis manifestamus, quod nobis revelatum est; *detrāhimus*, cum notorium facimus crimen, quod a paucis sciebatur; *detrāhimus*, cum occultum aliqujus crimen, vel uni ex intimis familiaribus cum fiducia aperimus; *detrāhimus*, cum alienjus scelus, quantumvis notorium, aliqua cum exaggeratione referimus, vel eum aliquam gravem circumstantiam scelus minuentem reticemus (1); *detrāhimus*, cum aliorum dotes, virtutes et præclara gesta quibusdam in adjunctis tacemus, minimus, vel ita tepide laudamus, ut occasionem minus faciendi præcāmus; tot tandem ac varii sunt detrahendi modi, ut vix fieri possit, homines etiam pie et spiritualis vitæ sectatores, aliquo ex his modis non detrahero et proximi famam non minuo, *tanta detrahendi libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis cõtiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* O quam commune est detractionis peccatum! ad quod ex nativa propensione trahimur, quod facillime et aliqua cum voluptate perpetramus; quod in omni loco, omni tempore et in omni casu committi potest; et quod non solum a viris destitosis, ab iracundis et ab invidis; verum et a persolis christianam pietatem profitentibus sæpe patrat. Maxime quidem in hoc sæculo communis est detractio; et ideo

(1) An vera hic libeatur detractio, valde incertum est; quia contra eorum fidem quod, revelato crimine, brevi etiam omnia ejus adjuncta innotescunt, adeo ut nullas habeatur detractio loci vel materia. Ceterum que hoc loco dicitur auctor magis oratorie, quam ad theologie moralis transitus exacta videtur, ideo tanto avulgata; nec optima sane est methodus homines a peccatis arceudi, hæc exaggerare vel multiplicare. Quoad hæc peccatorum speciem, omnes norunt, « detractionem esse occulti criminis injustam revelationem ». Quoties ergo crimen quopiam occultum non est, occultum, vel revelatio non est injusta, detractio ne intelligi quidem potest. Juste autem causa revelandi occultum crimen sunt: 1. Ad vitandum damnum grave injustum, sive publicum, sive privatum, tuum vel alterius, quoties et quoties necessitas exigit; 2. Ad vitandum damnum spirituale ipsius delinquentis; 3. Si quis consilii petendi, imo dolores leniendi causa occultum alterius peccatum prodat vix probe et tacentino.

summo studio quisque vigilare debet, ut in hunc diaboli laqueum non incidat. Heu! quid prodesset, te avaritiæ esse expertem; a gulæ spiritu liberum; de superbia, de acedia et de aliis vitiis triumphasse; si ultimo suo laqueo te caperet diabolus, et ad tartara traheret? cave ab hoc laqueo: summa cura et sollicitudine vigila, ne in detractiois verba lingua tua declinet. Non tibi sufficiat, toto quadragesimali tempore accurate jejunsare, quia innumeris homines diabolus captus, sedulo devota: cave, ne de aliis detrahas. Ut enim ait sanctus Chrysostomus: quid tibi prodesset vigilare, jejunare, et alia pia opera facere, si lingua tua fratrum tuorum sanguine inebriaretur, et si eorum carnibus vescereris, eos detractioibus tuis dilaniando? certe hoc parum tibi prodesset. Fuge ergo a detractiois peccato, quod commune est, *et quod etiam grande est.*

II PARS.

Detractio est peccatum grande.

Quamvis Dei odium, hæresis, blasphemia, et alia nonnulla crimina sint detractioe graviora, detractio tamen est peccatum ex natura sua mortale: esique semper peccatum inter mortalia grave, nisi materia levitas, inadvertentia, aut nimia mentis et ipsius lingue præcipitatio excuset, illudque leve efficiat. Ut detractiois gravitatem aliqui expriment, eam cum homicidio conferunt, quia ille de quo detrahitur, in mente illius qui detractioem audit, occiditur, in qua prius vivebat per bonam famam. Nonnulli dicunt, detractioe perpetrari homicidium, quod aliquando corporali est gravis: quia homines aliquando reperire est, qui vitam corporalem perdidisse mallent, quam famam, quæ detractioe ipsis ablata est; et hujusmodi erat D. Paulus, qui mori malebat, quam famam perdere, dicens:

bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet (1. Cor. 9, 15). Dicunt alii, detractio fieri homicidia corporalibus graviora et periculosiora, quia unius detractio, multorum animæ nonnunquam interficiuntur; unus est detractor qui loquitur, et unum verbum tantum loquitur; et tamen unum verbum in eodem momento multitudinis audientium dum aures transfigit, animas interficit (S. Ber. in Epist. S. Joan.). Non ausim asserere detractioem, per se loquendo, esse malum homicidio corporali gravius; certum tamen est eam esse ex genere suo peccatum mortale, furto gravius. Ut enim ait S. Ambrosius: *tolerabiliores sunt fures qui vestes et alia bona diripiunt, quam fures qui famam nostram bonam dilaniant*. Cujus rei rationem affert Salomon dicens: *melius est nomen bonum, quam dititie multe* (Prov. 22, 1); ideo qui nomen bonum alicui aufert, magis ei nocet, quam si multas ei divitias furaratur. Vel, ut ratiocinatur Doctor Angelicus, tanto peccatum majus est, quanto majore bono injuste privat; detractio autem majore bono privat, quam furtum: quia detractio privat famam, quæ majus est bonum, quam divitiæ temporales, quibus privat furtum; fatendum ergo detractioem ex genere suo esse malum furto gravius. Quod autem fama sit majus bonum, quam divitiæ temporales, constat ex libro Ecclesiastici, ubi (41, 15) dicitur: *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni*. Ex hoc infert S. Bernardinus, quod detractio, per se loquendo, est mortalissimum peccatum. Ex jam dictis constat, detractioem esse grande peccatum, cum privat illa fama, quæ tanti fit ab hominibus, et quam deperditam multi non solum divitiis suis, verum et pretio sanguinis sui redimere ambirent. Detractionis gravitas magis adhuc elucebit, si inspiciamus personas quas aggreditur: ut enim docet D. Thomas, *ex personæ ejus contra quem aliquis loquitur, aggravatur peccatum*; detractores autem vanis suis linguis aggrediuntur et dilaniant famam non solum rusticorum, verum etiam magistratum, nobilium, principum et regum; linguas suas acunt et laxant

adversus sacerdotes, religiosos, episcopos et viros quosque pietate insignes. Quid dico episcopos et reges? Ipsum etiam Christum, Deum simul et hominem, denigrare conatur (1). Quis enim nesciat, eum a Judæis inique fuisse columniatum, velut vini potatorem, peccatorem, samaritanum et diemoniacum? Nec solum in Christum adhuc mortalem et cum hominibus in terra versantem ignitas detractiois sagittas vibrarunt, sed et illum in celo jam immortalem calumnias et detractioem persecuntur: *iniquitatem in excelso locuti sunt. Posuerunt in calum os suum* (Psal. 72, 8). O quantum malum est detractio, qua tot et tante personæ feriuntur! Ejus autem malitia mihi adhuc maxima videtur ex hoc, quod directe opponi videatur charitati.

Nostris, charitatis ingenium et characterem hunc esse, quod aliorum crimina operat: *universa delicta aperit charitas* (Prov. 10, 2). Charitas peccata operit eorum, quos amat; et quia omnes amat, omnium peccata operire conatur: cum autem ea operire nequit, illa excusat, vel minuit; et si actionem excusare nequeat, excusat saltem intentionem. Huic caritati totaliter opponitur detractio; illa aliorum peccata operit, ista aperit; illa excusat, ista accusat; illa minuit, altera auget ac omnibus ea nota facere contendit; quandoque verbis communibus, ut ait S. Bernardinus; quandoque verbis apertis, quandoque derisionibus, quandoque nocturnis sibilis; quandoque simulatis atque mutatis vocibus et loquelis; quandoque nutibus et signis; quandoque libellis famosis et scriptis, hinc inde dispersis; quandoque cantilenis, quandoque libris aut epistolis; et sicut charitas omnibus modis sibi possibilibus aliorum peccata occultat; ita detractio omnibus modis ea manifestare per tentat. O quantum grave detractiois peccatum cum charitati omnium virtutum regina tam opponatur!

(1) Hæ autem impia verba, quæ contra Deum et Christum probata fuere et hodie dum pro dolor! profertur, vere blasphemias sunt, quæ speo differant a peccato detractioem, iniquisque malitiam valde superant. N. E.

Charitatis hoc proprium est, quod non iudicet quemquam, quod nullius detegat vel adnotet vitia, quodque nullus ei proponatur ita malus, de quo aliquid boni non dicat, et cuius peccata non excuset. Detractores vero sunt homines perversi, similes Phariseis, qui de omni quod vident male iudicant, qui omnia sinistra interpretantur; qui de omnibus viris, quantumvis piis, aliqui mali dicunt, et virtutes in vitia convertunt. Quod præclare adnotavit S. Chrysostomus: dicens, « detractores de omni quod vident, malum iudicant; si quis vacat humilitati, hypocrita est; si recreationi, gulosus est; si patientiæ, timidus est; si iustitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, flegmaticus est, seu fastidiosus; si iucunditati, dissolutus est; si religioni, singularis est; si societati, secularis est; si silentio et paci, dissimulatio est; si aliorum correptioni, præsumptuosus est; si vigilis, et orationibus, indiscretus est; si communi dormitioni, somnolentus est; si prævaricationi et aliorum salutem, appetitor laudis est; si desistat, negligens et remissus est; si habeat gratiam hominum, adulator est; si adulari recusat, superbus est ». O quam grande detractiois vitium! supra modum grande cum tantopere opponatur charitati, sine qua omnis alia virtus est inutilis et sine qua nullus salvari potest. Demum huius peccati gravitatem maximam quisque dignoscere poterit ex speciali poena, qua punitur in inferno. Dives epulo ultra poenam damni, qua summe affigitur, et ultra poenam ignis, qua gravissime cruciatur, specialem in lingua sua poenam patitur, quia lingua specialiter in Lazaro peccaverat: *In lingua majus sentit incendium, que male dixit pauperi, misericordiam contulit* (Grysol. serm. 66). Avaro diviti similis detractor, tripli poena plectitur in inferno: ibi poenam damni sustinet, quia Dei visionem in æternam privabitur; ibi poenam sensus patitur simul cum aliis reprobis: ibi vero specialiter in lingua cruciatur, nam *per quo peccat quis, per hæc et torquetur* (Sap. 11, 17); et ideo cum lingua detractor peccaverit, in lingua gravius torquetur. De quodam viro detractioibus summe dedito narratur, quod ante mortem in furias incidit, et

propriam linguam dentibus dilaniaverit, palmisque dilaceraverit. Horrebant et tredebant omnes stantes, ac dicebant, hoc iusto Dei iudicio fieri, quia hic lingua sua peccaverat. O quam majorem in lingua sua poenam ille et alii detractores patientur in inferno! Si enim detractioem suarum penitentiam non egerint, et proximo, cuius famam læserunt, in hoc mundo non satisfecerint, non solum communibus omnium damnatorum, etiam speciali in lingua sua plectentur poena. Itaque, fratres, a detractioe *parcite lingue* (Sap. 1): cavete a detractioibus, vestras sedulo frenate linguas, ne detractioibus se dedant, ac summo a detractiois peccato declinate, *tum* quia mortale est ex sua natura: *tum* quia est contra iustitiam et furto gravius: *tum* quia charitati maxime adversatur; *tum* quia gravissime in inferno punitur. Vitanda ergo detractio, quia grande peccatum est; vitanda etiam *quia peccatum est exitiosum*.

III PARS.

Detractio est peccatum perniciosum.

Detractio non solum est malum ex se et in se grave, est etiam malum exitiosum quoad alios eo quod proximo infert 1. damna multa; 2. damna irreparabilia.

1. Quis dinumerare valeat damna que ab initio mundi intulit, et que quotidie infert detractio? quis dicat, quot illam audientes animæ cum complacentia ad tartara traxit? quot insontes denigravit? quot familias perturbavit? quot discordias seminavit? quot lites, quot jurgia, quot bella, quot homicidia causavit? Quis enarrat, quot mala atque damna mundo inferat? certe qui hæc omnia enarrare susciperet, nunquam dicendi finem attingeret. Aliqua tamen ex innumeris damnis que infert detractor, recenset S. Bernardinus his verbis: « Omnia mundi scelera, omnes iniquitates, et quasi omnes hereses, schismata et impietates ex lingua tetra habent originem.

O igitur lingua nequam, lingua tetra detractoris! o feritas infernalis! o impia odii et invidiæ proles! o pestifera lepra! Tu es quæ discordias seminas, tu sola conculcas bonos, diffamas justos, paris scandala, perjuriam et falsa testimonia; tu accusationes iniquas multiplicare non cessas; tu lingua sæva, punitis insontes, inter conjuges scandala ponis, infamas viduas, fallis et defloras virgines, tu piæ et sacras religiones confundis, simplices conscientias turbas, tu rancores, tu jurgia, tu livores, iras et contentiones, rixas, contumelias et seissuras suscitare non cessas; tu divisiones et partialitates nutris et lactas; tu sola proditioes generas, incendia foves, homicidia patras; tu fratricidia, parricidia, matricidia, et cæteras crudelitates virulenta impietate committis; tu sola federa fragris in conjurationibus occuparis, separas amicos, multiplicas inimicos; tu sola dissipas civitates, et destruis regna; tu confoves tyrannos, tu charitatem extinguis, deprimis justos, magnificas impios, fidem destruis, spem quoque confringis, cæteras virtutes impia crudelitate persequeris, tu omnia scelera vivificas et extollis. Quid plura? tu angelos in dæmones convertisti; tu primos parentes nostros, ac cum eis totum genus humanum de paradiso deliciarum ad temporalia et æternas miseras destinasti. Demum Dei Filium tu sola in crucis patibulo confixisti (sermo de detrac.) ». O Domine Deus, quot et quanta mala parturit detractoris lingua! Sane ut loquitur S. Chrysostomus, *quodnam mali genus est, quod non a detractioe oriatur? ex ea odia pullulant, ex ea dissidia ortum trahunt; suspiciones male hinc procreantur, que innumeris malis causam præbent. Denique quæcumque mala quisquam cogitatione complere possit, omnia ea a detractioe proficisci reperit* (hom. 3 ad pop.). O quam perniciosa est detractio, que tot damna causat! ac simul *damna causat irreparabilia*.

2. Omnibus Christianis, si sui numeris penitas ignari non sint, notum est, detractores qui alterius famam minuerunt, ad illius reparandum teneri, nec criminis sui veniam obtinere posse, nisi ablatam aliorum famam, quantum fas erit, resti-

tuant, quia *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum* (Aug. ep. 54 ad Maced). Non sufficit, quod quis confessorio fateatur, se dixisse hanc adolescentulam non esse ita castam ut æstimatur, hunc mercatorem esse fraudulentum, hunc advocatum esse ignarum, hunc concionatorem esse dissolutum, insuper resarcienda damna, quæ huic adolescentulæ, huic mercatori, huic patrono, et huic concionatori intulit. Nec aliquis confessorius, quantalibet auctoritate polleat, ne quidem summus pontifex detractorem a restitutione famæ dispensare valet. Quomodo vero deperditam famam quis restituet? *hoc opus, hic labor est*. Difficile et quasi impossibile est, ablatam alterius famam totaliter reparare; lingua enim vulnera facit, quæ difficillime sanantur, et licet sanentur, remanet tamen cicatrix: quia semel deperdita nunquam ita reparatur fama, quin aliquid fulgoris sui perdat. Quod ut indicarent antiqui, apologum seu fabellam afferre soliti erant, dicentes: aquam ignem, et famam longum iter aliquando simul suscepisse; cumque timerent ne errantes ab invicem separarentur, aquam et ignem dedisse signa indicantia ubi essent, et ubi inveniri possent. Dixit enim aqua: ibi me semper invenietis, ubi juncos videbitis. Dixit ignis: ibi semper ero, ubi apparebit fumus. Fama autem igni et aquæ dixit, summa cura invigilate, ne a vobis discipulam, quia si semel me amiseritis, nusquam amplius a vobis inveniat; qui enim famam suam perdidit, nunquam illam totaliter invenit et recuperat. Esto quod ablatam alterius famam summo affectu reparare satagas, quomodo, queso in mente eorum, qui te detrahentem audierunt, destrues fidem quam verbis tuis alliberunt? quomodo in cordibus eorum totaliter delebis opinionem malam, quam de eo quem infamasti, conceperunt? excusationibus et laudibus quibuscumque eam non penitus delebis; nam ut ait S. Bernardinus, *amplius lingua detrahentis nocet, quam excusatoria, seu laudatoria possit proficere; maxime cum homines promiores sint ad credendum, et ad memorie commendandum mala, quam bona*. Est etiam quod a mentibus eorum qui te audierunt, totaliter deleveris quicquid de proximi fama detraxeris, nondum tamen opus tuum consumma-

si, nondum ablatam alterius famam totaliter reparasti; detractio enim tua longum perficit iter, in regiones abiit longinquas, ab iis, qui te audierant, ad eorum propinquos, ad amicos, et ad alienigenas transit: quomodo autem iis omnibus innocentiam læsi demonstrabis? Esto ut illos omnes adeas, cunctisque te calumniatorem, aut imprudentem fatearis, incertum est, an qui detractioibus tuis fidem adhibuerunt, ablatam famam reparare cupienti tibi credant, aut si credant, aliqua in mentibus eorum male suspensio opinio semper remanebit. Ut enim præclare dixit jam laudatus S. Bernardinus: *remedium nunquam tantum proficit, quantum detractiois malitia officit* (1). O quam difficile est ablatam alterius famam restituere: ad hæc quomodo reparabit detractor aliena damna quæ causavit? quomodo reparabit damna quæ in bonis fortune huic mercatori, huic patrono et aliis intulit, quos infamia adpersit? quomodo resarciat damnum, quod attulit vite spirituali tot audientium, quorum animas gladio lingue interemit? quomodo reparabit damnum, quod intulit vite civili eorum, quos diffamavit? quomodo præteritis, futuris, longe distantibus, et omnibus, apud quos vita quadam honoris et gloriæ antea vixerant illi, innocuos probabit et suadebit? certe damna a detractioe illata totaliter resarcire, quasi impossibile est; attamen detractor ea reparare debet quantum et quomodo poterit, adhibito prudentis confessarii consilio.

Hoc quidem agere lænetur detractor. Ubi vero sunt, qui damna detractioibus suis causata resarcire conentur? quotidie detractores audimus famam proximi dilanantes; et nullum videmus, qui damna illata reparare curet. Tantus labor, totque difficultates in reparatione damni per detractioes illati reperciuntur, ut vix inveniatur qui de tali damno resarciendo curet: et

(1) Ut nequissimum ita verissimum illud est impietatis coryphæi (Voltaire) effatum; *Calumniare, semper aliquid hæret*; quo satis sæpeperit utuntur Catholice religionis hostes: cavendum igitur quam maxime, ne libidem societur ad aliorum famam lædendam, ac pacem charitatemque dissolvendam inter fratres.

ideo quamplurimi ob peccatum detractiois damnantur. O quam perniciosum ergo detractiois peccatum! cum damna irreparabilia causet! Igitur a sermonibus proximi famam vel minimum lædentibus summa sollicitudine caveo. Non sufficit vitare sermones quibus violatur justitia, et lethaliter proximi fama læditur; abstinendum etiam a verbis, et ab omnibus colloquiis, quæ vel in minimo charitati adversantur. Quicunque libenter de minimis aliorum defectibus loquitur, tandem aliquando graves aperiet, et magnis detractioibus proximum lædet. Statuat, quantum voluerit, frenare linguam et illam a gravibus detractioibus cohibere: si tandem levibus sese dedat, a levibus et minimis in graves paulatim incidet. Adde difficillimum esse, quod inter detractioes leve, gravis aliqua aut ex ignorantia, aut ex inadvertentia non miscetur; quæ licet non sit peccatum mortale ob defectum considerationis et advertentiæ, detrahenti tamen restitutionis obligationem relinquit. Sequimini consilium ab hominum sapientissimo datum, dicente, in ore seram et in manu stateram semper esse habendam; *ori tuo*, inquit, *facito ostia et seras; verbis tuis facito stateram* (Eccli. 28, 29). Prudentia et circumspectio, quasi janne et seræ esse debent, quibus ora nostra omnibus verbis detractioem tantillum redolentibus claudantur; recta ratio debet esse stateram, qua omnia ponderentur verba, antequam ex ore exeant, ne aliquod proferatur, quod proximi famam minuat, et quod apud Deum debiti ponderis non inveniatur. Ponite hanc seram ori vestro, hancque stateram in manibus semper habete; summa cura vigilate, ut nullus ex ore vestro exeat sermo, qui vel in minimo proximi famæ officiat; firmiter statuta, aut tacere, aut nihil contra Deum et proximum dicere. *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis.* *Non declines cor meum in verba malitiæ* (Ps. 149, 3). O Domine, quia tanta mea est infirmitas, ut mihi difficillimum, ac etiam impossibile sit cavere ab omnibus detractioibus, si tuo non fovear auxilio, pone custodiam et ostium circumstantiæ labiis meis, ut nunquam in detractiois verba declinet.

O Domine, linguam mihi dedisti, ut laudaret te, benediceret tibi, aliosque ad tibi benedicendum adduceret; da ut lingua mea te laudet, tibi que benedicat nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

FERIA V POST DOMINICAM PASSIONIS.

DE MAGDALENA PECCATRICE.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix (Luc. 7, 37).

Concionatores, qui sanctorum peccata dissimulant et propalare renuunt, profanis similes videntur oratoribus, qui tunc magnates denigrasse credunt, cum vel minimos eorum defectus detexerint. At longe aliter se habet rethorica christiana, quæ cum ab omni adulationis næro sit aliena, non minus peccata a sanctis perpetrata, quam virtutes ab iis acquisitas pandit. Nec ideo aliquam his Dei amicis injuriam irrogat; quin contra tanto eorum augeat gloriam, quanto peccata ab iis quondam perpetrata et per penitentiam deinde deleta clarius manifestat. Nunquam procul dubio apertius patebunt crimina sanctorum, qui aliquando peccatis onoxii fuerunt, quam in die iudicii, in quo omnibus videntia exhibebuntur; nec tamen ideo tunc sancti aliqua confusione operiantur. Quinimo tanto majore fulgebunt gloria, quanto notiora et evidentiora erunt peccata, de quibus tandem generose triumpharunt, et quæ per penitentiam salutarem penitus extirparunt. Non ergo devotioni, et pio nostro erga Magdalenam affectui repugnabit, si crimina ejus expendamus et propalemus; hoc in ejus potius honorem redundabit. Imo hoc ipsum in majorem cedit gloriam Dei, qui tanto clementior et benignior apparet, quanto graviora sunt crimina, a quibus hanc mulierem, mediantebus divinæ gratiæ suæ auxiliis, liberavit. Magdalene ergo manifeste-

mus peccata, et cum Evangelista dicamus, quod hæc fuerit *mulier in civitate peccatrix. Act.*

Vidistis nonnumquam apes in horto variis floribus consito volitantes; quæ nunc in uno, nunc in altero flore aliquantulum conquiescunt; quæ nunc istum, nunc illum florem sugunt; et quæ sive dulces, sive amarum sit quod in floribus inveniunt, ex eo semper mel suavissimum conficiunt, quo nil dulcius in rerum natura invenitur. Illas apes imitantur qui sanctorum acta debito modo inspicunt et scrutantur: hi enim vitam illorum, tamquam hortum, variarum virtutum floribus consortam contemplantur; atque modo humilitatem, modo patientiam, modo charitatem illorum considerando quiescunt, ut ex iis mel suum conficiant; seu ut ad easdem virtutes, quas in iis vident, sectandas excitentur. Immo si aliquid turpe et amarum in sanctorum vita adnotent; seu, si advertant, eos aliqua perpetrasse peccata, quæ per penitentiam deleverunt, inde etiam mel suum conficiunt, quia inde magna penitentiam suscipiendi motiva sumunt. Si totam Magdalene vitam hodie lustrare liceret, in ea quisque arduæ penitentiae, humilitatis profundæ, et charitatis ardentissimæ videret exempla, quibus ad easdem virtutes sectandas non parum excitaretur. Quia vero de iis alibi, vos nunc solum advoce ad perpendenda peccata quæ perpetravit, et quæ per penitentiam delevit: quorum contemplatione quisque ad mel suum conficiendum, seu ad bene agendum non parum allici poterit. Videamus ergo peccatorum Magdalene naturam, causas et remedia; videamus 1. *eorum naturam*, et speremus; 2. *eorum causas*, et timeamus; 3. *eorum remedia*, et iisdem utamur.

I PARS.

Peccatorum beate Magdalene natura.

Sicut in damnatis peccata, quæ per penitentiam non abstulerunt, sunt maculae perpetuæ, quibus fœdantur et denigrantur, ita in beatis peccata, quæ salutatis penitentiae lavacro

O Domine, linguam mihi dedisti, ut laudaret te, benediceret tibi, aliosque ad tibi benedicendum adduceret; da ut lingua mea te laudet, tibi que benedicat nunc et in sæcula sæculorum. Amen.

FERIA V POST DOMINICAM PASSIONIS.

DE MAGDALENA PECCATRICE.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix (Luc. 7. 37).

Concionatores, qui sanctorum peccata dissimulant et propalare renuunt, profanis similes videntur oratoribus, qui tunc magnates denigrasse credunt, cum vel minimos eorum defectus detexerint. At longe aliter se habet rethorica christiana, quæ cum ab omni adulationis næro sit aliena, non minus peccata a sanctis perpetrata, quam virtutes ab iis acquisitas pandit. Nec ideo aliquam his Dei amicis injuriam irrogat; quin contra tanto eorum augeat gloriam, quanto peccata ab iis quondam perpetrata et per penitentiam deinde deleta clarius manifestat. Nunquam procul dubio apertius patebunt crimina sanctorum, qui aliquando peccatis onoxii fuerunt, quam in die iudicii, in quo omnibus videntia exhibebuntur; nec tamen ideo tunc sancti aliqua confusione operiantur. Quinimo tanto majore fulgebunt gloria, quanto notiora et evidentiora erunt peccata, de quibus tandem generose triumpharunt, et quæ per penitentiam salutarem penitus extirparunt. Non ergo devotioni, et pio nostro erga Magdalenam affectui repugnabit, si crimina ejus expendamus et propalemus; hoc in ejus potius honorem redundabit. Imo hoc ipsum in majorem cedit gloriam Dei, qui tanto clementior et benignior apparet, quanto graviora sunt crimina, a quibus hanc mulierem, mediantebus divinæ gratiæ suæ auxiliis, liberavit. Magdalene ergo manifeste-

mus peccata, et cum Evangelista dicamus, quod hæc fuerit *mulier in civitate peccatrix*. Act.

Vidistis nonnumquam apes in horto variis floribus consito volitantes; quæ nunc in uno, nunc in altero flore aliquantulum conquiescunt; quæ nunc istum, nunc illum florem sugunt; et quæ sive dulces, sive amarum sit quod in floribus inveniunt, ex eo semper mel suavissimum conficiunt, quo nil dulcius in rerum natura invenitur. Illas apes imitantur qui sanctorum acta debito modo inspicunt et scrutantur: hi enim vitam illorum, tamquam hortum, variarum virtutum floribus consortam contemplantur; atque modo humilitatem, modo patientiam, modo charitatem illorum considerando quiescunt, ut ex iis mel suum conficiant; seu ut ad easdem virtutes, quas in iis vident, sectandas excitentur. Immo si aliquid turpe et amarum in sanctorum vita adnotent; seu, si advertant, eos aliqua perpetrasse peccata, quæ per penitentiam deleverunt, inde etiam mel suum conficiunt, quia inde magna penitentiam suscipiendi motiva sumunt. Si totam Magdalene vitam hodie lustrare liceret, in ea quisque arduæ penitentiae, humilitatis profundæ, et charitatis ardentissimæ videret exempla, quibus ad easdem virtutes sectandas non parum excitaretur. Quia vero de iis alibi, vos nunc solum advoce ad perpendenda peccata quæ perpetravit, et quæ per penitentiam delevit: quorum contemplatione quisque ad mel suum conficiendum, seu ad bene agendum non parum allici poterit. Videamus ergo peccatorum Magdalene naturam, causas et remedia; videamus 1. *eorum naturam*, et speremus; 2. *eorum causas*, et timeamus; 3. *eorum remedia*, et iisdem utamur.

I PARS.

Peccatorum beate Magdalene natura.

Sicut in damnatis peccata, quæ per penitentiam non abstulerunt, sunt maculae perpetuæ, quibus fœdantur et denigrantur, ita in beatis peccata, quæ salutatis penitentiae lavacro

expiantur, sunt velut ornata, quibus in perpetuum deco-
rantur et nobilitantur. Et ideo peccatorum Magdalensium naturam
et malitiam aperire non verebor, dicamque, quod peccatrici
illius crimina fuerint 1. gravia: 2. pudenda: 3. scandalosa.

1. Magdalena, *peccatrix* dicitur non a verbis otiosis, men-
daciis jocosis et aliis levibus, in quæ incidit peccatis, sed a
multis et gravibus delictis, quæ perpetravit et quibus assueve-
rat. Sicut enim Isaias propheta, ut uno verbo explicet multi-
tudinem et gravitatem peccatorum, quibus obnoxia erat Sina-
goga, vocat eam peccatricem: *peccatrici* (Isa. 1, 4):
ita et Magdalena a sancto Luca Evangelista vocatur *peccatrix*,
quasi dicitur peccatricem primiceria, et criminum habitacu-
lum; quæ non in unum solum crimen, sed in multorum etiam
gravissimorum peccatorum abyssum corruerat et misere voluta-
batur. De famosa et notoria illa peccatrice, teste sancto Marco
Evangelista, Christus *septem egerat demonia*, seu omnis
generis vitia, ut exponit sanctus Gregorius: *Quid per se-
ptem demonia, nisi universa vitia designantur? quia enim
septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septe-
nario numero universitas figuratur; septem ergo demonia
Maria habuit, quæ universis vitis plena fuit.* Sicut septem
habentur peccata capitalia, ita septem sunt demoniorum species,
quæ nos ad illa peccata instigant et provocant. Quidam enim
dæmones ad superbiam alliciunt, et hi vocantur *spiritus su-
perbiae*. Quidam ad fraudes et dolos homines excitant, et hi
dicuntur *spiritus mendaces*. Alii ad luxuriam et impudicitiam
trahunt, et appellantur *spiritus fornicationis, vel spiritus
immundi*. Alii ad gulam impellunt, et nominantur *spiritus
gostriargie*. Alii ad acediam, et alii ad avaritiam homines
moverent; et isti nuncupantur *spiritus acedia: et spiritus avar-
ritie*. Magdalena autem his omnibus malignis agitabatur spi-
ritibus, his omnibus replebatur demoniis, quæ ad omnia vitium
illam trahebant, atque illam gravibus quibusque vitis alliga-
tam detinebant. O quam gravia perpetravit peccata infelix
illa mulier! ac insuper *quam pudenda et turpissima!*

2. Licet Magdalena omnibus fuerit obnoxia peccatis, quibus

aliqua mulier inquinari potest, iis tamen præcipue incubuit,
quæ luxuriam spectant; horrendis, pudendis, et infamibus illis
adhasit criminibus, quæ nec nominari debent in nobis. Equi-
dem illa nominare non audebam, nisi sanctorum Patrum ver-
bis uterer, qui Magdalenam vocare non verentur mulierem
lascivam, impudicam, adulteram et meretricem. Rupertus Ab-
bas illam cognominat *famosam peccatricem*, figuratam in illa,
quam Oseas propheta vocitat, *uxorem fornicationum*: id est,
mulierem venditam, ut luxurie vacaret. Divus Ephrem Syrus
eam vocat mulierem *fornicationibus pollutam*. Divus Hiero-
nymus, in prologo super Oseam, illam *meretricem et adul-
teram* appellare non erubescit. Et sanctus Chrysostomus eam
dicit fuisse *lascivam, impudicam, et meretricem prostitutam
in lupanari*. Quod quidem non stricte intelligendum est, ut
sonat: cum enim dives esset Magdalena, haud crediderim,
quod pretio temporali corporis venderet elegantiam: cum etiam
esset nobilis simul et dives, vix credi potest, quod publica adiret
lupanaria. Ideo vero eam sic vocat Chrysostomus, ut eam in
multa horrenda et pudenda incidisse peccata doceat. Hoc et
docuit S. Cyprianus, qui Magdalenam vocat *peccatam ca-
stilitatis*, non quod honestatem et pudicitiam suam Deo sacrifi-
casset, sed quia pudendis multis addicta criminibus, suam
pudicitiam dæmoni quasi in sacrificium obtulerat (1).

Dæmonibus et non Deo olim sacrificabant gentiles: iis vitu-
los, arietes, oves, aves, Immo et nonnumquam proprios filios
immolabant. Verum ut perpendit S. Augustinus, omnium sacri-
ficiorum supremum et dæmoni gratissimum fuit sacrificium

(1) Vix cunctari licet quid spiritalis utilitatis afferat huiusmodi enarratio
scelerum Magdalensium, præsertim cum turpium peccatorum recitatibus nimis
mentibus inhæreat, tam penitentia memoria facile oblietur. Consultius
videatur, discernendo de Magdalena, strictum morem tenere sancti Evangelii,
ubi brevissime memoratis ipsius vita sequitur, postea eisdem de penitentia,
amore erga Resumptorem ac gestis tempore passionis fusc disceritur. Si quid
autem minus utilitatis reperitur in hac condensa parte, peritiles sunt alii
partes ac magnè cum auditum profectu exponuntur a concionatore.

pudoris; quod tunc a mulieribus offerebatur, eum impudicitia vocabant, quodque, inquit Augustinus, offerri solebat *Dea Flora*, quæ vitam omnium impudicissimam duxerat. Turpe autem et infandum hoc sacrificium obtulit Magdalena, quæ ita lascivie indulgit, ut non solum mulier impudica, lasciva, et luxuriæ dedita dicatur; sed etiam *victimam honestatis* vocetur: quia se totam peccatis horrendis, et inhonestis consecraverat. Quod autem Magdalena scelorum gravitatem valde adauget, ex eo fit quod *totius civitatis scandalo patebat*.

3. Erat quippe petra scandali, quæ aliis delinquendi et peccandi occasionem præbebat: ipsa impudica, alios etiam ad impudicitiam traherebat; sordescens ipsa immunditia et luxuria et alios ad immunditiam et luxuriam alliciebat. *Fuit*, inquit S. Ephrem Syrus, *fornicationibus polluta, et alios ad eandem immunditiam alliciens et inescans*. Unde S. Bonaventura Magdalenam vocat laqueum et sagenam: *illa mulier laqueus venatorum est, et sagena cor ejus*. Sicut enim aves capiuntur laqueo, et pisces sagena, ita et Magdalena erat quasi laqueus et sagena, quæ homines capiebantur, ad impudicam inducebantur. Immo verba, monilia, pulchritudo, vestes pretiosæ, et omnia corporis sui ornamenta fiebant quasi laquei, quibus homines decipiebat, nec non ad nefanda et infanda traherebat. Quod præclare docuit sanctus Evangelista, cum de Magdalena dixit, non solum quod fuerit *peccatrix*, sed etiam quod fuerit *peccatrix in civitate*. Non in pago, vel in solitario quodam loco fuit peccatrix; *in civitate*, et civitate multitudine referta, ubi juvenes multi, plures nobiles, pluresque primarii optimates; *in civitate*, ubi opulenti mercatores, et magnates plurimi obscenis voluptatibus inhiantes; *in civitate* tandem, in qua frequentes erant recreationes, epula, choreæ, et etiâ incentiva peccatorum. In hac civitate Magdalena fuit mulier *peccatrix*; et ita peccatrix, ut ab omnibus magna illius civitatis incolis ut talis agnosceretur. Sciebant omnes, Magdalenam esse juvenem, pulchram, divitem, et obscenis libidinibus deditam; propterea ejus pulchritudine, ejusque illecebris, tanquam laqueis, innumeri capiebantur et ad peccandum al-

licebantur. Et ideo dixit Doctor Seraphicus, quod mulier illa *totam læserat civitatem*. Et sanctus Petrus Chrysologus ait, quod *a Magdalena ipsa civitas dicta erat peccatrix*; quia scilicet Magdalena multos ad lasciviam inducebat, innumeros ad prava desideria provocabat, omnibus fere hujus civitatis incolis erat in scandalum, et ab hac peccatrice omnes peccatores fiebant. Cum ergo tot, tanta et tam scandalosa fuerint Magdalene peccata, laudandus Deus, qui per suam clementiam et misericordiam hanc peccatricem a sceleribus liberavit. Extolenda etiam et laudanda hæc mulier, quæ de tot peccatis, et de tot animæ suæ hostibus gloriose triumphavit. Cum insuper sicut Magdalena a tantis peccatis liberata sit, ita et peccatores quique debent vires resumere, arduum adversus vitia sua certamen inire et sperare, quod mediante divina gratia, quæ nulli doct, vincula peccatorum suorum solvere et in libertatem filiorum Dei redire poterunt, modo instar Magdalene poenitentiam agant. Hæc mulier, quæ se totam voluptatibus sacrificaverat, postmodum Deo obtulit sacrificium justitiæ; corpus enim suum, animam suam, ac se totam poenitentia durioris operibus consecravit; et mediante justo hoc sacrificio, in Deo speravit, Deum placavit, et salva facta est. O peccatores, quantumvis gravia et enormia sint vestra crimina, ne diffidatis, ne desperetis de Dei bonitate et misericordia; *sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino* (Ps. 4, 6); offerte Deo justum poenitentia, bonorumque operum sacrificium. Quo oblato, sperate in eo; et ipse per suam piissimam misericordiam ab hominibus vos peccatis liberabit, sicut Magdalenam a peccatis, in quæ incederat, liberavit. Sed postquam peccatorum Magdalene naturam expendimus, *eorum principia et causas inquiremus*.

II PARS.

Peccatorum beate Magdalene causa.

Unica peccatorum Magdalene physica et immediata causa fuit prava ejusdem voluntas; peccavit, quia voluit, et peccata ejus vera peccata non fuissent, si voluntaria non extitissent. Jam autem de prava hac Magdalene voluntate, a qua ejus peccata immediate processerunt, non loquimur; de aliis causis inquirere oportet, quæ voluntati hujus mulieris peccandi ansam præbuerunt. Et hæc cause, meo quidem judicio, tres fuerunt: 1. Juventus otio dedita; 2. pulchritudo arte elaborata; 3. libertas occasionebus exposita.

1. Juventus, quæ gratiæ abundantioris et efficacioris auxiliis est destituta, in multa et magna facile incidit peccata. Et ideo doctorum aquila, D. Augustinus, juventatem vocat *florem ætatis*. Sicut enim flores calore nimbo exsiccantur, citius conteruntur grandine, auferuntur sæpe a nebulonibus, et ex sua natura cito transiunt, decidunt et arcesunt: ita juvenus, levissima tentationis impulsu, improvise male occasionebus occursu, interarum passionum motu, ac etiam propria inclinatione ad peccatum et ad ruinam facile trahitur. Quæ omnia mirabiliter explicat novus quidam sacre Scripturæ interpres, cum juventatem *Havam ætatum* vocat. Sicut enim Hæva, unica veteris serpentis suggestionem, levique demonis tentationem in peccatum lapsa est, ita juvenus, quæ a potenti Dei manu speciali quodam modo non sustentatur, in peccatum facillime ruit, et in malorum omnium barathrum se precipitat. Et hoc præcipue accidit, cum juvenus est otio dedita: otium etenim, teste Spiritu Sancto, est quasi doctor et pædagogus multam docens iniquitatem: *multam malitiam, docuit otiositas*. Unde si mulieres sint simul juvenes et otiosæ, in multa haud dubie peccata incident. Ecce primam peccatorum Magdalene causam: peccavit et in gravia peccata cecidit, quia juvenis simul et otiosa fuit.

Magdalena etenim erat juvenis quædam mulier, quæ cum divitiis afflueret, laboribus non adstringebatur; omneque ejus studium erat, non orationi et meditationi vacare, non librorum spiritualium lectioni incumbere, non pauperes alere, non visitare infirmos, vel nudos operire et vestire: verum postquam monilibus, pigmentis, sericis, bysso et omni mundo muliebri se ornaverat, videri et videre, amari et amare quærebat: vel turpi indulgens otio, divariculis terendo temporis aptissimis incubebat. Juventus igitur et otiositas, farentibus divitiis et adulatoribus, initium fomitemque præbuerunt tot peccatis, ut nuncupari meruerit satis infanda nota: *mulier in civitate peccatrice*. Nec una hæc fuit peccatorum ejus causa: accessit et alia, nempe *pulchritudo arte elaborata*.

2. Nihil mulieres ita optare solent, ut corporis pulchritudinem et vultus elegantiam. Cum enim non sint creatæ in doces, ut exercitiis presint; nec in prelatos, ut mitris præfulgeant; nec in doctores, ut humerale circumferant; ad talia non aspirant; quam alimde hominum æstimationem et amorem sibi conciliare contendunt, per corporis pulchritudinem id assequi student, et ideo eam maxime expetunt, et in ea plurimum confidunt, *habens fiduciam in pulchritudine sua* (Ezech. 16). At si serio ponderetur, quæ et qualis sit illa pulchritudo, eam labilem et fallacem esse quisque fatebitur, *fallax gratia et vana est pulchritudo* (Prov. 31, 30). Fallax quidem est, quia homines illam spectantes decipit, et ad peccandum inducit: fallax quoque, quia ipsas mulieres, quæ pulchræ sunt, superbas, audaces, loquaces et ad plurima peccata præclives efficere solet. Ex hoc potissimum accidit pulchris his mulieribus, quæ studiosè suam excolunt pulchritudinem, et quæ ornata incedunt, ut similitudo templi. Hæc enim pulchritudo arte elaborata similis esse videtur materiæ primæ, quia sicut ex materiæ prima sunt leones, Jupi, serpentes, bufones, et omnis generis animalia, ita et per pulchritudinem plus quam par est arte excultam, mulieres sunt superbas, libidinosas, et ad omnia vitia propenses. Quod præcipue verum fuisse comprobatur in Magdalena, quæ erat mulier juvenis et pulchra nimis, et quæ na-

tivam pulchritudinem cerussa, nardo, aromatibus, unguentis pretiosis, exquisitis vestibus, et omni quo poterat artificio, excolere satagebat. Hæc enim pulchritudo a natura Magdalene indita, arteque ejus elaborata, peccatorum illius origo fuit et causa. Hæc pulchritudine multos sibi amasios et servos faciebat: et seipsam identidem multorum criminum servam efficiebat. Elaborata hæc pulchritudine capiebat et capiebatur; homines capiebat, quos ad peccata multa trahebat: et a peccatis capiebatur, quibus se illaqueabat. Regina Jezabel, quæ pulchritudinis et fornicitatis erat exemplar, spectans ad fenestram, cerussa depicta, mundoque muliebri composita, solis instar rutilans, cunctos intuentium recreabat oculos, cumque alios contagiosa sua pulchritudine ad peccatum traheret, ipsa prior ad illud trahebatur; unde de illa dici poterat, quod pulchritudo illam deceperat: *species decipit te*. Sic beata Magdalena mirabili pulchritudine sua alios decipiebat, et ad peccatum alliciebat: ac ipsa etiam pulchritudine sua decipiebatur, quia per illam ad peccata multa alliciebatur, et per illam facta est *mulier in civitate peccatrice*. Adhuc et alia extitit peccatorum Magdalene causa: *nimia scilicet libertas occasionibus exposita*.

3. Nimia discurrendi et licentioso vivendi libertas, est quidam puellis evidens ruina et peccati causa: et ideo omnes respublicæ, in quibus verè prudentiæ leges viguerunt, hæc a mulieribus libertatem ad honestatis earum conservationem, sustulerunt. Cur enim Romani tam arcte conclusas virginæ Vestales detinuerunt? Cur sancta romana Ecclesia virginæ suas Deo sacræ, votoque castitatis alligatas, tot clavibus, tot ferris cratibus, totque muris et propugnaculis detineri jubet? cur tandem matres, quibus vel tantillum prudentiæ et pietatis inest, filias suas ita custodiunt, ut nec uno momento ab ipsis eas discedere sinant? hoc sane, quia probe sciunt, nimiram libertatem esse filias peccatorum multorum occasionem et causam. Quod tunc maxime accidit, cum talis earum libertas pravis occasionibus est exposita. Ipse etenim peccandi occasiones homines quosque, etiam fortiores et sanctiores, persepe

deiciunt: quanto magis puellam juvenem et formosam, quæ omni timore seposito, libere usquequaque divagatur; quæ libere per fora, plateasque discurret; quæ ab hoc et ab illo litteras recipit; quæ cum lascivientibus viris conversatur; quæ aridit illi, blanditur isti; quæ ab uno recreationes postulat, et ab illo ad epulas invitatur. Talis sane libertas, simul cum peccandi occasionibus, puellam indubie in multa trahet peccata, et in apertissimum merget naufragium. Quod revera Magdalene accidit; quæ cum esset ætate juvenis, opibus dives, et parentibus orphana, ita facta est sui juris, ut adepta malam libertatem, nec sororem natam majorem sequeretur, nec Lazarum audiret, nec monitorem quemquam habere vellet; sic Dei, propriæ conscientiæ propriæque honoris oblita, fræna totaliter laxavit vitæ licentiori. Per domos discurrebat, per plateas vagabatur: tantumque abest quod peccandi occasiones vitaret; quin illas *frontose quærebat* (S. Ephrem). Igitur nimia ejus libertas, nimiraque vivendi licentia, occasionibus exposita, eam in criminum omnium abyssum pertraxit. Presentibus parentibus modestæ plerumque sunt filiæ, et a peccatis abstinere solent: *inter parentum lumina, non possunt delicta spectari*, inquit D. Hieronymus, Magdalena caretat patre et matre a quibus spectaretur, et a peccatis cohiberetur: suisque domina, quo ferebat eam voluntas, progrediebatur; iniquorum societati se facile adjungebat, peccandi occasiones quærebat et amplectebatur. Ex quo factum est, quod tot tantisque se immererit peccatis, ut facta et dicta sit *mulier in civitate peccatrice*. Ecce quales fuerint causa peccatorum Magdalene.

Prima, fuit juvenis otio dedita. O patres, o matres, mentote, quod ipsa juvenis impudicos ex se motus germinet, ignemque ellet impurum; unde si talis juvenis otio languescat, fortiores fient hujusmodi motus, talisque ignis ardentior evadet. Ut puellæ vestræ his non cieantur motibus, talique igne non exardescant, curate, ut otium nesciant, et continuis occupationibus exerceantur. Illustris illa femina, quam Spiritus Sanctus a fortitudine plurimum commendat, otio mis-

quam vacabat; *panem otiosa non comedit* (Prov. 31). Vultis filias vestras fortes fieri ad vitanda quævis peccata? satagate, ut intra domos vestras operibus statui earum congruentibus sedulo incumbant; nec omnino sinatis, ut otiosæ huc et illuc vagentur.

Secunda peccatorum Magdalene causa fuit pulchritudo arte elaborata. O parentes, si pulchras et speciosas vobis Deus puellas dederit, laudate Deum qui aliquantulum pulchritudinis sue radium in iis depingere voluit. Ast cavete, ne superfluis, vanis, pretiosis et profanis ornamentis hanc a Deo datam pulchritudinem, scandalosam, veneream et impudicam faciatis. Scitote, quod elaborata hæc pulchritudo, sit *invitatorium libidinis* (Tert. *de cull.*); qua nempe viri ad libidinem invitantur et provocantur. Imo et hanc pulchritudinem studiosè excultam, *peritura virginitalis argumentum* vocat S. Hieronymus: quia cum puella innatam pulchritudinem nimio studio excollit, ex hoc inferri potest, quod in luxuriam et alia peccata facile decidet. Ideo si in puellis vestris a Deo efformata quedam effulgeat pulchritudo, ars non deturpet, nec malum et pestiferum reddat quod supremus artifex sancte efformavit et delineavit.

Tertia peccatorum Magdalene causa fuit nimia libertas occasionibus exposita. O quam grande malum est in puellis illa discutendi per plateas, vagandi per domos et cum hominibus frequenter discurrendi libertas! Hinc etenim oriuntur nimia curiositas, mollis otiositas, in loquendo et agendo inverecundia, religionis contemptus, virtutum neglectus, amoris profani exercitium et omnium peccatorum abyssus. Quapropter, o parentes, si recta sapitis, hanc a filiabus vestris auferte libertatem, ab his peccandi occasionibus eas amovete; intra domos vestras, quantum fas erit, eas detinete. De Juditha dicitur, quod *in superioribus domus sue fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, et habens super lumbos suos cithicium, jejunabat omnibus diebus vite sue præter sabbata*. O matres, sanctam hanc imitamini mulierem: simul cum filiabus vestris intra proprias domos clausæ remanete. Ibi

jejunis et orationibus vacate: ibi labori manuum et pietatis exercitiis incumbite, et hoc modo vos, et filias vestras non declinabit in peccata, in qua propter nimiam vagandi licentiam incidit Magdalena. Perspectis modo peccatis et causis peccatorum Magdalene, inquiramus, *quæ remedia ad delenda peccata sua adhibuerit*.

III PARS.

Peccatorum beate Magdalene remedia.

Si Magdalena in peccatis perseverasset, a cælo in æternum exilasset, et sempiternis inferni supplicii adjudicata fuisset. Jamvero, inspirante Patre luminum, ad se reversa, tria ad destructionem suorum criminum efficacissima adhibuit remedia: lacrymas scilicet, amorem et poenitentiam: 1. *lacrymas* contritionis; 2. *amorem* Creatoris; 3. *poenitentiam* et mortificationem corporis.

1. Primum remedium, quo Magdalena peccata sua lavit, et sanavit, fuerunt lacrymæ doloris et compunctionis, quibus pedes Christi simul et animam suam lavit: *lacrymis cepit rigare pedes ejus*. Hæ lacrymæ fuerunt quasi sacer baptismus, quo ab omnibus criminibus lota et sanata fuit ejus anima: *flotibus se abluit*, inquit S. Cyprianus, *lacrymis se baptizavit*. Olim populus Israeliticus, mare transiens, in Moysè baptizatus est, et in nube. Oculi pariter Magdalene fuerunt quasi mare et nubes, ex quibus inundantes fluxerunt lacrymarum aquæ, quibus, tanquam baptismo salutari, ab omnibus suis lota est criminibus. Duplex fuit lacrymarum Magdalene effectus: exterior unus, et alter interior. Effectus exterior lacrymarum ejus fuit, erga pedes Christi, quos irrigavit, *lacrymis cepit rigare pedes ejus*. Effectus interior lacrymarum Magdalene attigit animam hujus peccatricis, quam ab omnibus peccatorum sordibus abluerunt. Sicut enim, cum ministratur baptismi sacramentum, aqua lustralis quæ corpus

taugit, animam ab originali et actuali labe abluit, ita Magdalena lachrymæ, dum supra Christi corpus cadunt, sunt quasi aquæ lustrales, quæ peccatrici illius animam ab omni criminum labe abluant. Has tu peccator funde lacrymas, hoc baptismo tua dele crimina instar Magdalene, quæ, ut ait Sanctus Cyprianus, *usa est capillis pro linteis, oculis pro catino, lacrymis pro baptismo.*

2. Secundum remedium, quo usa est Magdalena ad delenda peccata sua, fuit amor Christi. Dilectio, seu sacer amor est in rebus spiritualibus, sicut ignis in corporalibus; nam sicut ignis habet virtutem rubiginis abstersivam et deletivam, ita dilectio, velut animarum ignis, dum in animam agit, omnem culpam rubiginem ab ea abstergit et delet: *quid esse dilectionem credimus, inquit S. Gregorius, nisi ignem? quid culpam, nisi rubiginem? ergo tanto amplius culpe rubigo consumitur, quanto peccator charitatis igne concrematur* (hom. 13 in Ev.). Magna quidem fuit rubigo peccatorum Magdalene, cum multa et magna patravertit crimina; at igne charitatis quo exarsit, ea penitus absumpsit et delevit. Ut enim Christus palam testatus est, amor sacer quo succendebatur Magdalena, fuit ignis quo consumpta, et remedia a quo sanata et deleta sunt ejus crimina; remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum (Luc. 4, 47). Sicut martyrium est actus perfectissimæ charitatis, a quo omnia Martyrum delentur peccata, sic Magdalena ita pie et perfecte Christum dilexit, ut sacer amor, quo exarsit, haberit virtutem martyrii, omniaque hujus peccatrici crimina penitus deleverit.

3. Tertium remedium, quod ad delenda peccata adhibuit Magdalena, fuit penitentia; que ita dura et acerbæ extitit, ut eam recogitare non posset S. Gregorius, quin in fletu exiret: *consideranti, inquit, mihi de Magdalene penitentia, flere magis libet, quam aliquid dicere.* Et revera, sicut horrenda Magdalene fuerant crimina, ita et portentosa extitit ejus penitentia. Heu! quis non miretur penitentiam hujus mulieris, quæ cum esset nobilis, dives, et illicitis voluptatibus addicta, subito, sacro penitentia spiritu excitata, quasi impudens, publico ir-

ruit convivio, humi se abiecit, alta imo de pectore promi spiritalia, rivos lacrymarum supra Christi pedes profundit; capillis olim crispantibus, sordes eorum tergit; crebra eis oscula figit; ac deinde triginta annis in deserto austeram jugibus lacrymis, orationibus et jejuniis agit vitam, sequæ totam ad ultimum usque vite terminum gravius penitentia operibus consecrat. O quam mirabilis fuit hæc penitentia! O quam salubris fuit hæc medicina, qua Magdalena peccatorum suorum plagas sanavit! Vere quidem Magdalena lacrymis, amore et penitentia in coenaculo sua laverat crimina; hæc autem penitentiam tunc inceptam usque ad ultimum vite terminum prorogavit: ut criminum reliquias, seu penas peccatis debitas, si quæ essent, penitus exolveret, Deoque toto vite suæ tempore pro commissis peccatis satisfaceret. Ecce mulierem, quæ vere peccatrix fuerat, quæ etiam salutaria et efficacia adhibuit remedia ad sananda criminum suorum vulnera; flevit enim, amavit et penituit. Heu! quam multæ mulieres cum Magdalena sunt peccatrices! verum o quam pauca apta delendis criminibus remedia adhibent! Magdalena in remedium lacrymas adhibet, quæ, ut ait S. Petrus Chrysologus, *rigant cælum, diluunt terram, extingunt gehennam, et delent in omne facinus latam diæna promulgatione sententiam.* Ubi aliæ invenientur mulieres peccatrices, quæ peccatorum suorum sordes uberrimo lacrymarum suarum imbre expurgent? inveniantur potius, quæ in vano ornatu, in luxu, in conviviis et deliciis usque ad vite suæ finem perseverant. Quam pauca sunt etiam, quæ ut propriis delcant peccata, Deum toto corde diligant. Peccant sicut Magdalena, sed charitatis igne peccatorum rubiginem e cordibus suis non auferunt. Quemadmodum de Magdalena dicitur, quod dilexit multum, ita et de pluribus peccatricibus dici potest, quod diligant multum, et nimium; inutilis tamen, vanus et exitiosus est earum amor, quia non Christum amore sacro, sed mundum et amicos suos amore profano et impudico prosequuntur. Ubi tandem peccatrices, quæ duris penitentia operibus vacent? Ubi, quæ vigillis, jejuniis et orationibus sedulo incumbant? ubi, quæ

suam flagellis, ciliciis et aliis mortificationibus carnem affligant? paucas quidem tales reperire est: ac paucae etiam sunt, quæ cum Magdalena audire mereantur hæc verba: *remittuntur ei peccata multa*; et paucae, quæ cum illa æternam beatitudinem consequantur. O mulieres! o viri! o vos cujuscumque status et conditionis, si tartarei veteratoris fraudibus a Dei gratia defecistis, et in grave aliquod peccatum cecidistis, sperate in Domino, qui erga omnes benignus et misericors est; vestrisque peccatis apta adhibete remedia. Exitus aquarum deducant oculi vestri, corda vestra amoris sacri ardeant incendio, vestra mortificationibus et penitentis corpora affligantur. Hæc si faciatis, in caelo coronam gloriæ cum Magdalena obtinebitis. Amen.

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

DE MAGDALENA PENITENTE.

Lacrymis cepit rigare pedes ejus (Luc. 7).

Magdalena, quæ, naturæ suæ infirmitate et maligna dæmonis suggestionem allecta, in varia et gravia inciderat peccata, divino favente auxilio, arduæ se accinxit penitentiae, et speculum facta est, in quod peccatores omnes aspiciere debent, ut peccata sua delendi et penitentiam agendi modum addiscant: *Magdalena est speculum peccatorum*. Sicut in speculo aliquid est a tergo opacum, cui splendidissima superponitur crystallus, ita Magdalena fuit quasi hominum peccatorum speculum, habens in se aliquid atrum et opacum, videlicet nigra et horrenda quæ perpetravit crimina: obscuro huic vitæ suæ primordio superponitur crystallus splendidissima, nimirum sacra ejus penitentia. Quæ tanta et ita eximia extitit, ut sicut sanctus Petrus dicitur Apostolorum

princeps, sicut divus Paulus vocatur sol Doctorum, et beatus Stephanus martyr primus appellatur: ita Magdalena penitentium speculum proclamanda sit. En, peccatores, speculum, quod vobis hodie auscultandum propono. Si peccastis, penitentiam agite; utque discatis, quæ et qualis vestra debeat esse penitentia, mirandam Magdalena penitentiam sedulo inspicite. Hanc ejus penitentiam in tota hac concione delineare conabor: ut autem digne de Maria penitente loqui valeamus, ad innocentis Mariæ patrocinium confugiamus, et mediante ejus intercessionem, Spiritus sancti gratiam supplices postulemus. Ave.

Cum probe cognoscant peccatores, penitentiam ipsis ad salutem esse omnino necessariam, vix eorum est unus, qui aliquam penitendi voluntatem non habeat. Penitere quidem velent omnes; attamen penitentiam ut quid asperrimum et importabile inspicientes, alii penitere volunt non modo sed in futuro; alii penitere volunt non vere et sincere, sed fite et apparenter; alii penitere volunt non constanter et usque ad extremum vitæ suæ terminum, sed solum ad aliquod breve tempus. Qui in futuro tantummodo penitere volunt, insipientes sunt et stulti, quia futuri temporis se dominos et arbitros esse arbitrantur. Qui fite solum penitere volunt, censendi hypocritæ, quia non ut Deum placare valeant, potius ut eorum hominibus justis videantur, penitentiam suscipiunt. Qui solum ad aliquod tempus penitere volunt, dicendi viri inconstantes eo quod penitentiam assumant, ut cito ab illa desiscant et ad pristina peccata relabuntur. O quam infelices omnes hujusmodi penitentes! Econtra quam felix et admirabilis est Magdalena, quæ non tarde, fite et ad aliquod solum tempus, verum prompte, sincere et constanter penitentiam egit. Penitentia enim illius fuit prompta, sincera et constans; fuit 1. *prompta* sine dilatione; 2. *sincera* sine fictione; 3. *constans* sine ulla mutatione.

I PARS.

Magdalena pœnitentiâ fuit prompta.

Cum quis in grave aliquod incidit peccatum, suam procrastinare et in futurum tempus differre non debet pœnitentiâ; tanta celeritate ad pœnitentiâ festinare debet, quanta naufragus tabulam arripit, qua salvari possit; *pœnitentiâ* in peccator invade, ita amplectare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem (Tertul. de pon.). Talis autem fuit celeritas et promptitudo, qua Magdalena pœnitentiâ suscepit, pœnitentiâ enim ejus fuit promptissima; quia eam amplectata est 1. mox et audivit Christum predicantem; 2. mox ut sensit Christum intus sibi loquentem; 3. mox ut cognovit Christum in domo Pharisei morantem.

1. Cum concionum et miraculorum Christi fama undique volaret, uni ex ejus concionibus interesse voluit Magdalena, non ut inde conversionis suæ occasionem sumeret, sed ut Salvatoris miraretur pulchritudinem, utque verborum ejus dulcedinem, leporem et elegantiam audiret. Christus autem qui errantem et perditam hanc ovem salvare constituerat, efficacissimum sermonem habuit, in quo de ineffabili Dei in peccatores misericordia, de mortalis peccati gravitate, de paradisi gaudiis, et de inferni supplicii mirabiliter disseruit. Eo autem audito, confestim et absque ulla mora præteritam vitam detestata est Magdalena; ex tunc arctam suscepit pœnitentiâ, et ad Deum totaliter conversa est: *sermone completo*, inquit Sanctus Bernardus Senensis, *mutato proposito, tota alienata revertitur domum; quæ audierat menter evolvens, ac de præterita vita sua dolens et plorans* (ser. 5 post Dom. Pass.). Non dixit Magdalena, tunc pœnitentiâ agam, cum juventutis flos emarcuerit, cum faciei pulchritudo evanuerit, vel cum propinquas mortis tempus adveniret; statim ut completa fuit Christi concio, eo ipso quo Christum predicantem audivit, in amaras pœnitentiâ prorupit

lacrymas, et ad Deum penitus conversa est. O peccator, quoties audivisti Christum per predicatores suos tua redarguentem vitia, ad morum conversionem te vocantem, et misericordiæ suæ beneficia tibi offerentem? quoties a Christo missi concionatores dixerunt tibi, Deum esse paratûm ad tibi indulgendum, si ad eum in corde contrito revertaris, et si criminibus tuis penitus abrenuntiare velis; quoties dixerunt, quod hora esset jam de somno surgere, quodque si in futurum conversionem differas, evidenti te damnationis periculo exponas? et tamen Christo per predicatores momenti, teque ad conversionem vocanti nondum obtemperasti. Erubescere, o peccator, quod conversionem tuam usque ad præsens tempus distuleris; erubescere, quod nondum ad Christum conversus sis, et saltem nunc ad eum convertere. Ne amplius tardes converti ad Dominum, jam ad ipsum convertere; jam imitare Magdalenam, cujus pœnitentiâ fuit promptissima, quia ad Deum conversa est mox ut audivit Christum predicantem: *ac etiam mox ut sensit illum intus sibi loquentem.*

2. Dum Christus palam concionabatur, intus ad eam Magdalene per gratiam suam loquebatur. Intus ei dicebat: o dilecta mea quid tibi et huic vano et labili mundo? cur tot delictis dissolvaris? cur es et linguam tuam in tot Creatoris tui offensiones inquinas, cur tam vano capillorum ornatu deciperis? cur tot animas, a Deo tuo pro cœlesti regno creatas, oculorum tuorum jaculis interficis? cur tanto fastu et pompa corporum tuum vermibus corrodendum Deo tuo infinite bono præponis? cur tu misera et miserabilis valde, ex nobili prosapia nata, corpore tam formosa, naturali sapientia illustrata, in tantam turpitudinem demergeris et tanquam sus in volutabro luti in omnem carnis spurcitiâ absque rubore dilaberis? quid frustra deciperis, reputans has tuas delicias atque lascivias sine termino possidere? Bona quæ negligis, sunt æterna; bona quæ diligis, sunt transitoria; hæc habes communia bestiis, illa vero sunt communia angelis; illa sunt terrena, ista vero divina; illa sunt molesta, ista vero tranquilla; illa sunt parva, ista vero magna; illa dubia, ista sunt certa; illa

ad æternam damnationem conducunt, ista ad æternam felicitatem perducunt. Revertere igitur, dilecta mea: revertere, quia jam longissimo tempore te expecto, dulcissime te invito, ulcisci dissimulo, a multis periculis te præservo: revertere, et te amplector: cum gaudio, omnesque tibi offensas dimitto. Sic, inquit sanctus Bernardinus, in corde Magdalene per gratiam suam locutus est Christus: sic intus affatus est illam peccatricem, qua mox ut Christi intus loquentis vocem audivit, absque ulla mora corde contrita est, amare flevit et asperam penitentiam strenue suscepit. Miror, quanta patientia, quanta benignitate, et quibus artibus usus sit Deus ad convertendum Pharaoem. Quid non egit Deus, ut illum a peccato averteret! Quot vocibus, quot nominis, quot flagellis, quot vulneribus eum Deus a peccati somno excitare non est conatus? Jamvero obduratum penitus permansit cor illius impii, et ut ait divus Augustinus, Pharao maledictus erat corvus, qui habebat vocem corvianam. Cum ad conversionem et ad meliorem vite frugem eum Deus vocabat, voce corvina respondebat ille: *cras, cras*. Cum Moyses Dei nomine illum ad dimittendum populum sollicitabat, respondebat ille: *cras, cras* dimittam. Sic respondebat Pharao, et sic respondere solent peccatores. Cum illos Deus intus monet, et ad penitentiam vocat respondent: *cras, cras*. Cum inspirat et intus suadere conatur Deus, ut aliena restituant; respondent: *cras, cras*. Cum ad prociam inhonestam dimittendam, ad pravos habitus eradicandos, et ad pia vivendum illos Deus internis inspirationibus sollicitat, semper respondent: *cras, cras*, vel intra aliquod tempus hæc omnia fient. O maledicti corvi, qui cum sua voce corvina æternam sibi parant ruinam: *cum facis vocem corvianam, occurrit tibi ruina* (Aug. ser. 16 de tem.). Hanc sane vocem non fecit Magdalena; hæc non dixit: *cras, cras* converterat ad Dominum: non dixit: intra aliquod tempus mea desine peccata; statim ac audivit Christum prædicantem, eumque intus loquentem sensit, mox ingenuit et corde contrito penitentiam egit. Miramini promptam Magdalene penitentiam, atque intusmihi qua alacritate Christum quaesivit, mox ut illum in Pharisæi domo recubentem cognovit.

3. Magdalena, cujus publica et scandalosa fuerant peccata, publicam et solemnem prompte suscepit penitentiam. Parum ei visum est, quod, audito Christo, statim ingenuerit et intra domesticos parietes de peccatis doluerit: voluit insuper palam doloris et penitentiae suae signa exhibere. Et ideo sciens, quod Christus in Simonis Pharisæi domo accumberet, illum festina adivit, ad pedes illius humiliter se inclinavit, inundantibus eos lacrymis lavit, pretiosis capitis sui criminibus tersit, unguento unxit, aliaque penitentiae suae signa palam edidit: *ut cognovit, quod accubisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti; et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cepit rigare pedes ejus, et unguento ungebat*. Magdalena penitentiam non distulit usque ad mortem, nec usque ad senectutem, immo neque in crastinum: confestim, seu eo ipso quo scivit et cognovit ubi esset Christus, absque ulla mora illum adivit; ac in multorum adstantium conspectu præterita flevit peccata, et ardens penitentiae operibus incubuit: *ut cognovit, quod accubisset in domo Pharisæi*. Magdalenam a tam promptæ et extraordinariæ penitentiae proposito multa avertere poterant; multaque actioni tam arduæ et tam præclare se opponere videbantur; generis scilicet nobilitas; Pharisæorum illusiones, adstantium calumnie, honoris proprii factura, convivantium multitudo; ac etiam timor, ne a Christo sanctissimo et aequissimo iudice repulsam pateretur. Magdalenam nec hæc, nec alia quævis a publica penitentiae proposito deterrere potuerunt; absque ulla enim dilatione, mox ut cognovit ubi esset Christus, protinus ad illum se contulit, et quæ antea se palam peccatricem exhibuerat, illico se penitentem palam professæ est: *ut cognovit*.

Fortem hanc mulierem a sancto hoc proposito prociat dubio avertere conatus est satanas: intus certe illam allocuta est ipsè doli artifex, objiciens ei omnia, quæ illam a penitendi proposito amovere poterant. Intus dixit ei: o mulier, juvenis es, pulchra es, nobilis es et dives: ergo sectare mores, quos usque modo tenuisti, bonisque tibi a Deo et natura concessis pacifice fruere. Si vero penitentiam agere cogitas, ne festines: Deus enim

qui usque ad præsens tempus te expectavit, patientiam adhuc habebit in te; nec minus erga te bonus erit, elapsis aliquibus annis, quam nunc; ideo ne tam properes; satis enim erit, quod tunc poenitentia te accingas, cum ad proveciorem ætatem perveneris. Fortasse addebat et susurrabat satanas: o mulier, si scires, quam dura sit poenitentia, ad eam tam cito tamque ardentem non advoles; in tanti momenti negotio consilium adhibe; expecta, dum probe noveris quantus sit poenitentia rigor, et quantæ tuæ vires; quum autem hæc et alia aliquandiu probe cognoveris, tunc de suscipienda poenitentia cogitare poteris. His et aliis artibus demon Magdalenam a poenitentia prompte suscipienda avertere pertentavit, quæ tamen tentanti diabolo fortiter resistit; ac mox ut cognovit quod Christus esset in domo Pharisei, ad eum properavit, ut gravem et austeram palam amplecteretur poenitentiam: *ut cognovit*. Tanta hæc Magdalena fuit promptitudo et celeritas, ut Chrysologus eam ad Christum poenitentia causa non solum properasse, sed quasi advolasse dicat: *ipsum concivii percolat ad secretum, et domum lætitiæ facit domum lamentationis et planetus*. Ideoque laudanda Magdalene poenitentia, promptitudo, quæ ut audivit Christum predicantem, ut sensit illum intus loquentem; et ut cognovit illum in Pharisei domo accumbere, mox et absque ulla mora ad Deum conversa est. O peccatores, Magdalenam imitamini; ne tardetis converti ad Dominum, ne dicatis: convertat ad Dominum, cum mors appropinquabit, cum insenero, vel cum negotiis, quibus obruo, finem fecero; ne dicatis: intra aliquod tempus, vel paucis elapsis diebus totum me poenitentia operibus addicam: confestim ac modo, hæc ipsa die vestra abjicite crimina, et ex toto corde poenitentiam suscipite. *Hora est jam de somno surgere*: non in futuro, jam hora est a peccati somno surgendi, et poenitendi. Jam ergo prompte, et sine ulla mora poenitentiam suscipite instar Magdalena, cujus poenitentia fuit prompta sine dilatione: *ac etiam sincera sine ulla fitione*.

II PARS.

Magdalena poenitentia fuit sincera.

Poenitentiam Tertullianus moneta recte comparat. Sicut enim alia bona, et alia falsa esse moneta, ita poenitentia alia ficta, et alia sincera est. Ficta fuit Saulis, Antiochi, Judæ, et aliorum multorum poenitentia; Magdalena poenitentia vera fuit et sincera, quia non fide, sed vere, et sincere 1. de peccatis doluit: 2. peccata delevit: 3. pro peccatis satisfecit.

1. Poenitentia vera et sincera esse non potest, si homo poenitens de commissis peccatis intus et in corde non doleat. Ploret, pectus tundat, et externa quævis alia doloris signa edat, quantum voluerit, si externus ille dolor ab interno cordis dolore non procedat, ficta hæc et inutilis est poenitentia; nec quomodocumque vera et sincera esse potest, si de perpetratis criminibus cor vere non doleat. Sicut enim omne peccatum a cordis pravitate manat, ita et vera poenitentia a corde oriri debet; nec unquam ut sincera habenda, si cor commissa peccata non detestetur, ac de iis non doleat.

Magdalena que peccatrix fuerat, ut sua per poenitentiam deleret crimina, flevit, ingemuit, aliaque externa doloris signa edidit; externus autem ejus dolor ab interno procedebat. Magna et portentosa fuere externa doloris signa, quæ exhibuit Magdalena, at magnus etiam et inexplicabilis fuit dolor internus, quo cor illius conficiebatur. Quis enim dicat, quanto dolore cor ejus angebatur, cum coram Christo et convivis humi prostrata, uberrimas fudit lacrymas, suisque capillis pedes Salvatoris humiliter et studiosè tersit: *quo dolore ardet, quæ flere etiam inter cupulas non erubescit* (S. Greg.)? Tunc sane tantus ejus extitit dolor, ut quantus fuerit humano eloquio explicari nequeat, Magdalena ex peccatrice subito facta est contemplatrix: in medio animi convivii et convivarum, sua mente revolvebat crimina, utque ad ea detestanda excitaretur,

urgentissima doloris incentive meditabatur. Tunc, inquit sanctus Bernardinus, Magdalena recolat quæ fecerat, considerat cur fecerat: videbat peccatorum suorum multitudinem, cernebat turpitudinem, ponderabat magnitudinem, sentiebat ingratitudinem, et his omnibus considerationibus ad dolendum de peccatis ita alliciebatur, ut explicari et concipi non possit, quanto dolore tunc cor ejus affligeretur: quis, ait S. Bernardinus, *exprimere queat cordis sui dolorem?* Vera ergo et sincera fuit Magdalena penitentia, quia vero et sincere de peccatis doluit: *ac etiam quia peccata deleuit.*

2. Hoc distat inter fictam et veram penitentiam: quod penitentia ficta peccata numerum deleat; ea potius aggravet et multiplicet; penitentia autem vera et sincera peccata deleat. Unde Petrus Cellensis penitentiam appellat *nausfragium vitiorum*, quia, si vera sit, per illam omnia naufragantur ac tolluntur crimina. Ideo etiam sanctus Gregorius Nazianzenus penitentiam vocat *diluvium peccatorum*: quia scilicet sicut diluvium generale ad purganda omnia mundi inquinamenta factum est: ita penitentia, si vera et sincera sit, omnia anime penitentis peccata tollit et delet. O quam ficta, falsa et inutilis multorum penitentia! quam multi veram illam non habent penitentiam, cujus virtute omnia delentur crimina! At Magdalena penitentiam habuit non fictam, sterilem et inefficacem: verum adeo sincere et efficaciter penituit, ut omnia ejus deleta sint crimina; et ideo Christum audire meruit dicentem, remissa ejus esse peccata: *penituit et flevit Magdalena; ideo audire meruit: remittantur tibi peccata tua* (S. Leo ser. de pass.). Hæc est martyrii virtus, quod omnia penitus deleat crimina. Martyrium enim vocatur baptismus sanguinis, quia sicut per baptismum omnia hominis baptizati lavantur peccata, ita et per martyrium omnia Martyris delentur crimina. Magdalena autem penitentia fuit quasi martyrium; licet enim hæc mulier vere martyr non fuerit, cum revera sum pro Christo sanguinem non fuderit: per penitentiam tamen effecta est quasi martyr: *meretrix illa nora fudit sanguinem, sed fontes*

lacrymarum profudit, et diluit peccata (Chrysol. in Ps. 50). Multa et magna ipsius peccata penitentia, quam inivit, quasi baptismo, omnia deleta sunt: *a maximis peccatorum sordibus largissimo lacrymarum fonte purgata est* (Chrysol. serm. 93). Magdalene ergo penitentia extitit vera et sincera, quæ ad omnia ejus peccata delenda suffecerit: nec minus extitit sincera *ex eo quod per illam pro peccatis satisfecerit.*

3. Ut vera, integra et perfecta sit penitentia, Deo offenso satisfacere debet: quantumvis enim bonus et misericors sit Deus, ejus tamen justitie per penitentiam quodammodo satisfacere tenetur peccator: *in penitentia quoque causa justitia Deo præstanda est* (Tert. de penit. 3). Hæc quidem Deo exhibenda satisfactio; tuncque vero et perfecte Deo per penitentiam satisfaciunt peccatores, cum ad satisfaciendum eadem assumunt, quibus ad eum offendendum usi fuerant; ac faciunt servire justitie satisfactionem quæ prius iniquitati servire fecerat: *sicut exhibuistis membra vestra servire inmunditie, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitie in satisfactionem* (Rom. 6, 19). En quomodo per penitentiam Deo satisfacere debeat peccator: en itidem quomodo per penitentiam Deo Magdalena satisfecerit. En qualis sit oporteat satisfactio, ut vera sinceraque dicatur; en etiam qualis fuerit Magdalena satisfactio. Ipsa enim omnia criminum suorum instrumenta in virtutum et satisfactionum instrumenta convertit: atque, ut ait Sanctus Bernardinus Senensis, *in septem offenderat ista peccatrix, et septem oppositas adducit satisfactiones, ac quot in se habebat oblectamenta culparum, tot obtulit sacrificia satisfactionum.* Magdalena fuerat frontosa ad peccatum; in domo autem Pharisei nec palam se manifestare audeat, stat retro: *stans retro.* Magdalena fastu et superbia sua omnibus dominari ambiebat; in domo autem Pharisei Christi pedibus se provolvit: *secus pedes ejus.* Hæc oculis usa erat ad allicienda sibi juvenum corda, et in Pharisei domo iis utitur ad lavandos Christi pedes: *lacrymis cepit rigare pedes ejus.* Capillos ad vanum corporis

sui ornamentum exhibuerat, et in domo Pharisei eos ad abstergendos Christi pedes insumit; *et capillis capitis sui tergebat.* Ore impudica dederat oscula, et in Pharisei domo pedes Domini osculans, os in Redemptoris sui vestigia figit; *et osculabatur pedes ejus.* Unguentis pretiosis proprium corpus delinierat; et in domo Pharisei ea ad unguendos Christi pedes profudit: *et unguendo ungebatur.* Magdalena tandem, ut Deo per penitentiam perfecte satisfaciat, omnia quibus antea abusa erat ad malum, in bonum opus et in pietatis instrumenta convertit. Hæc ut ait S. Gregorius, *convertit ad vitium numerum, numerum criminum, ut totum Deo serviret in penitentia, quod ante servierat in culpa.* O mirabilem Magdalensæ satisfactionem. Quam ingenua et integra exiti ejus penitentia! cum vere de peccatis dolerit, peccata deleverit et pro peccatis satisfecerit. O fratres, si cum Magdalena peccastis, cum illa penitentiam agite, si illam peccantem imitati estis, imitamini et penitentem: *si te deliquisse meministi, suadeo, ut Maria Magdalene conversionis recorderis* (S. Aug. serm. I, de Ass.). Si peccastis, Magdalene recordamini, et penitentiam ejus imitamini; si penitentia vestra sincera et integra quæ a dolore interno oriatur, quæ cuncta vestra deleat peccata, et quæ Deo perfecte satisfaciat. *Penitentiam agite,* ut Deum iratum placare valeatis: *penitentiam agite,* ut vestra deleatis crimina: *penitentiam agite,* ut gratiam perditam recuperetis: *penitentiam agite,* ut inferni supplicia devitare et paradisi gaudia obtinere possitis. Demum instar Magdalene penitentiam agite prompte, sincere, *et etiam constanter.*

III PARS.

Magdalene penitentia fuit constans.

Magdalena non illos est imitata penitentes, qui continua instabilitate a peccato ad penitentiam, et a penitentia ad peccatum migrant: postquam duram assumpsit penitentiam, in ea constan-

ter perseveravit, adeoque constantiore penitentia excelluit ut comparari possit penitentia Davidis, Jobi et sancti Joannis Baptista: 1. *Davidis,* qui semper flevit; *Jobi,* qui cilicium super carnem suam consuit; 3. *sancti Joannis Baptista,* qui in arctiora penitentia operibus usque ad mortem perseveravit.

1. Peccavit quidem David; ut autem sua deleret crimina, amaras penitentia lacrymas fudit, nec penitentia terminos posuit, quin imo toto vite tempore flevit: unde lacrymas suas panes vocat, dicens: *lacryme mee fuerunt mihi panes die ac nocte* (Ps. 45). Panes erant ejus lacrymæ, quia sicut toto vite suæ tempore usus est pane ad victum: ita et toto vite tempore usus est lacrymis, ut Deo per penitentiam satisfaceret. Certum est, justificatum fuisse prophetam, cum tactus dolore cordis intrinsecus, suum confessus est peccatum, dicens: *peccavi:* jam vero qui justus confitendo fuerat effectus, voluit lacrymas fundendo semper esse penitens. Et ideo ita constanter penitentia adhesit, ut reliquo vite suæ tempore fleverit: est tandem lacrymis ad ponendum, quamdiu pane ad victum usus sit: *lacryme mee fuerunt mihi panes die ac nocte.* Prophetam penitentem perfectissime imitata est Magdalena. Peccaverat ille, et peccaverat ista; justificatus fuerat ille, et justificata fuerat ista; sicut autem propheta, licet jam justificatus, toto tamen vita tempore flevit, ita Magdalena, licet jam justificata, toto vite tempore penitentia adhesit, tamque firmiter penitentiam egit, ut usque ad mortem fleverit, suaque semper peccata detestata sit: *Magdalena semper dolebat, semper in vita sua flebat quæ fecerat* (serm. ad frat. iut. op. S. Aug.). De Magdalena refert sanetus Evangelista, quod aliquando flere cœperit: *lacrymas cepit rigare pedes ejus* (Luc. 7); non legimus autem quod illa plorare aliquando desierit, quæ usque ad mortem in fletu et lacrymis perseveravit: *mulier flebit, et in fletu perseveravit* (S. Aug. serm. 36). Lacrymas, quas ad lavanda crimina fundere cepit, pro margaritis habuit, quibus ad mortem usque se exornavit: *quidnam, inquit Chrysostomus, illis oculis formosius, perpetuo lacrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatis?* Ita ergo con-

stanti Magdalena penitentia enituit, ut similis fuerit penitentia Davidis, qui semper fleuit, pariterque similis fuerit penitentia Jobi, qui se cilicio semper induit.

2. Licet Job esset vir justus et sanctissimus, duram tamen et austeram suscepit penitentiam, quam ipse his verbis attingit: *saccum consui super cutem meam, et operui cinere carnem meam, facies mea intumuit a fletu, et palpebre meae caligaverunt* (Job. 16). Dura et acerba hæc Jobi penitentia, cum cilicio se induerit, cinere se operuerit, a fletu facies ejus intumuerit, et palpebre ejus caligaverint. Ad hæc ejusmodi penitentia fuit etiam diuturna et constans, quia saccum et cilicium non brevi solum aliquo tempore portavit; illud super cutem consuisse dicit, ut ostendat, quod toto vite tempore illo operas fuerit, quodque usque ad mortem penitentiam prorogavit: *saccum consui super cutem meam*. O vere asperam et constantem Jobi penitentiam! At non minus acerba, nec minus constans extitit Magdalena penitentia: ipsa etenim, abjecto omni muliebri ornatu, a delegatis cunctis mundi et carnis deliciis, in vastam solitudinem et horrendam recessit speluncam, ubi triginta annis, seu usque ad mortem corpus suum duris et variis penitentia exercitiis cruciavit. Ibi fletibus sæpe facies ejus intumuit, ibi arctioribus jejuniis carnem suam afflixit; ibique ita pertinaciter et constanti quasi asperissime vite methodo adherens, ut saccus, quem cuti quasi assenserat, totaliter pulnerit. Unde cum humano omni careret subsidio, alias vestes quibus operiretur non habuit: verum, ut ait D. Bernardinus, ope divina ita ejus iacereverunt capilli, ut iis solis totum corpus reliquo vite tempore operum et quasi indutum fuerit. O penitentiam vere constantem! Quid plura? Magdalene penitentia imitata est penitentiam S. Joannis Baptiste, qui in variis penitentia operibus usque ad mortem perseveravit.

3. Sicut sanctus Joannes Baptista vocatur exemplar penitentiam, ita Magdalena a sancto Bernardino dicitur penitentia forma. Sicut S. Joannes vivit in deserto, ut penitentia operibus vacaret, ita Magdalena in solitudinem recessit, ut portentosa penitentia corpus suum cruciaret. In deserto

Joannes erat brutorum socius, melote indutus, ac non manducans, neque bibens: et Magdalena, inquit sanctus Bernardinus, *in solitudine erat ferarum socia, vestibus humanis exuta, propriis capillis operata, et non habens cibum humanum*. In deserto Joannes sub dio dormiebat, ac nuda humus erat lectus, in quo decumbebat; Magdalena autem, ait idem S. Bernardinus, *thalamum habebat cælum, lectum habebat humum*. In deserto tandem ita constanter permansit Joannes ut ibi in arctioris vite exercitiis usque ad vitam finem perseveraverit: et Magdalena in similibus penitentia operibus usque ad mortem in solitudine constanter perseveravit. Cum discessissent nuntii, quos ad Christum miserat Joannes Baptista, de illo ad turbas dicere coepit Salvator: *quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam!* Perinde ac si dicat Christus: *credideratis forte, Joannem esse virum inconstantem iis similem arundinibus, que levissima quavis flante aura ab una in aliam partem facillime moventur? Arbitramini forsitan, transitoriam esse Joannis penitentiam, quodque ille instar arundinis mutaretur, ac a vita penitente ad vitam deliciis affluentem facile declinaret? At fallimini: Joannes enim non est arundo vento agitata: nulla in eo est inconstantia; penitentia ejus constantissima est et usque ad vitam illius finem perseverabit. Magdalena pariter non fuit arundini similis: penitentiam enim non ad tempus solum amplexata est; in spelunca sua usque ad mortem fletibus, jejuniis, aliisque mortificationibus constanter vacavit. O mulierem in durioris penitentia exercitiis vere constantissimam! Heu quam pauci eadem pollent constantia? quam pauci constanter penitentia adherent! plerique penitentes, ut luna mutantur, et tanquam arundines moventur: si hodie penitentiam suscipiant, cras, vel paucis elapsis diebus ab eo desescunt, et in priora peccata labuntur: si hodie penitentiam amplectantur, adventu levi tentationis vento tanquam arundines agitantur, et relicta penitentia ad gravia peccata declinant. O exitiosam hujusmodi hominum inconstantiam, o quam grave iis inest salutis periculum! Non enim visis illis inconstantibus, verum his qui usque ad mortem perse-*

veraverint, promittitur beatus: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Etiam si quis diu in deserto habitaverit, flagellis corpus milleis cruentaverit, crebris carnem suam jejuniis afflictaverit, et alia multa penitentiae opera fecerit, si humana fragilitate et inconstantia sua non perseveraverit, ac his relictis penitentiae exercitiis, in lethale aliquod peccatum infeliciter lapsus fuerit, salvus non erit; æternum damnabitur et æterna morte peribit, si saltem ante mortem penitentiam non agat: *cum acriterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur* (Ezech. 18). Itaque non solum prompte et sincere, constanter quoque cum Magdalena penitentiam agite: qua mediante, gratiam et gloriam a Deo obtinebitis. Amen.



DOMINICA PALMARUM.

DE AMBITIONE.

Eccc rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam
(Matth. 21. 5).

Licet ambitio sit vitium maxime detestandum, a piis tamen doctisque viris sancta quedam agnoscitur et commendatur ambitio, qua, non peritura hujus mundi, sed cœlestia et in sempiternum mansura bona appetuntur. Pia hac ambitione succedebatur cor divi Pauli, qui pictos fctosque sæculi non exquirebat honores; atque ad veras, solidas et æternas cœli dignitates anhelans, dicebat: *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brævium supernæ vocationis Dei* (ad Philip. 3. 23). Eadem laudabili et pia ambitione exarserunt plures alii viri sanctissimi, de quibus dici potest, quod præ omnibus aliis homi-

nibus fuerint ambitiosi, quia non parva, sed magna; non terrena, sed cœlestia; non humiles et vanas hujus mundi dignitates, sed prædixites et sublimes cœli sedes concupierunt. O utinam ad æternos illos honores omnium adspiraret ambitio! utinam cœlestes thronos cuncti spectarent, et summo affectu appetent! utinam hic esset scopus, ad quem homines cuncta sua desideria, veluti ignitas sagittas jacularent! Verum, prohi dolor! fœda hominum sæculi hujus ambitio in labilibus mundi sinit honoribus, easque ambitiosi solummodo appetunt dignitates, quas nihili pendere deberent. Eas contemnere et fugere docet hodie Christus, qui dum ab hominibus ut rex honoratur, non curru regio vehi, at humili vult sedere jumento: *Eccc rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Parvipendendas, aut saltem non ambiandas ecclesiasticas, aut sæculi dignitates hodie docebitis. Ave.

Ambitionum Ecclesie et sæculi dignitates, alii sunt indigni: alii digni, non vero digniores; et alii digni et digniores. *Indigni habendi*, qui scientia, vel pietate, vel prudentia ad exercendas dignitates sufficiente non pollent: *digni*, qui has qualitates in gradu mediocri possident: *digniores* vero reputandi non semper doctiores, qui aliquando omni dignitate indigni sunt: utique illi qui pensatis quibusque, et ponderatis simul eorum scientia, pietate et prudentia ad portandum onus dignitatum capaciores et magis idonei censentur. Ambitionis autem virus in omnes diffundi solet: spiritus superbie tam indignos, quam dignos communiter agitat; ac ad beneficia et ad dignitates appetitu inordinato omnes plerumque aspirant. Jamvero nec indigni, nec digni, nec digniores transitorias mundi dignitates ullo modo ambire debent. Ut enim mox videbimus beneficia et sæculi dignitates ambire non debent 1. indigni: 2. neque digni: 3. neque ipsi digniores.

veraverint, promittitur beatus: *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Etiam si quis diu in deserto habitaverit, flagellis corpus milleis cruentaverit, crebris carnem suam jejuniis afflictaverit, et alia multa penitentiae opera fecerit, si humana fragilitate et inconstantia sua non perseveraverit, ac his relictis penitentiae exercitiis, in lethale aliquod peccatum infeliciter lapsus fuerit, salvus non erit; æternum damnabitur et æterna morte peribit, si saltem ante mortem penitentiam non agat: *cum acriterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur* (Ezech. 18). Itaque non solum prompte et sincere, constanter quoque cum Magdalena penitentiam agite: qua mediante, gratiam et gloriam a Deo obtinebitis. Amen.



DOMINICA PALMARUM.

DE AMBITIONE.

Eccc rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam
(Matth. 21. 5).

Licet ambitio sit vitium maxime detestandum, a piis tamen doctisque viris sancta quedam agnoscitur et commendatur ambitio, qua, non peritura hujus mundi, sed cœlestia et in sempiternum mansura bona appetuntur. Pia hac ambitione succedebatur cor divi Pauli, qui pictos fctosque sæculi non exquirebat honores; atque ad veras, solidas et æternas cœli dignitates anhelans, dicebat: *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brævium supernæ vocationis Dei* (ad Philip. 3. 23). Eadem laudabili et pia ambitione exarserunt plures alii viri sanctissimi, de quibus dici potest, quod præ omnibus aliis homi-

nibus fuerint ambitiosi, quia non parva, sed magna; non terrena, sed cœlestia; non humiles et vanas hujus mundi dignitates, sed prædixites et sublimes cœli sedes concupierunt. O utinam ad æternos illos honores omnium adspiraret ambitio! utinam cœlestes thronos cuncti spectarent, et summo affectu appetrent! utinam hic esset scopus, ad quem homines cuncta sua desideria, veluti ignitas sagittas jacularent! Verum, prohi dolor! fœda hominum sæculi hujus ambitio in labilibus mundi sinit honoribus, easque ambitiosi solummodo appetunt dignitates, quas nihili pendere deberent. Eas contemnere et fugere docet hodie Christus, qui dum ab hominibus ut rex honoratur, non curru regio vehi, at humili vult sedere jumento: *Eccc rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Parvipendendas, aut saltem non ambiandas ecclesiasticas, aut sæculi dignitates hodie docebimus. Ave.

Ambitionum Ecclesie et sæculi dignitates, alii sunt indigni: alii digni, non vero digniores; et alii digni et digniores. *Indigni habendi*, qui scientia, vel pietate, vel prudentia ad exercendas dignitates sufficiente non pollent: *digni*, qui has qualitates in gradu mediocri possident: *digniores* vero reputandi non semper doctiores, qui aliquando omni dignitate indigni sunt: utique illi qui pensatis quibusque, et ponderatis simul eorum scientia, pietate et prudentia ad portandum onus dignitatum capaciores et magis idonei censentur. Ambitionis autem virus in omnes diffundi solet: spiritus superbie tam indignos, quam dignos communiter agitat; ac ad beneficia et ad dignitates appetitu inordinato omnes plerumque aspirant. Jamvero nec indigni, nec digni, nec digniores transitorias mundi dignitates ullo modo ambire debent. Ut enim mox videbimus beneficia et sæculi dignitates ambire non debent 1. indigni: 2. neque digni: 3. neque ipsi digniores.

I PARS.

Beneficia et sæculi dignitates ambire non debent indigni.

Omni gloria et honore indignos persæpe videmus homines, qui, veluti chamalacoetes, ambitionis infantur et nutriuntur vento; quorum os ad omnes dignitates, omniaque officia et beneficia apertum patet. his nonnumquam magis inhiant indigni, quam vel ipsi dignissimi, illaque potissimum ambire solent, quia in iis voluptatem, honorem et exaltationem aspiciunt. At falluntur miseri; quia in iis inveniunt 1. non voluptatem, sed laborem; 2. non honorem, sed dedecus; 3. non exaltationem, sed precipitium.

1. Quicumque ad mundi hujus dignitates erecti sunt, in iis nullam, aut solummodo fallacem aliquam, multisque laboribus permixtam degustant suavitatem: *fallax suavitas, infructuosus labor* (Laur. Just. *de ligno vitæ*, 3). Quod potissimum verum est de iis, qui tallium dignitatum indigni sunt; hi etenim in iis administrandis, laborem potius quam suavitatem inveniunt, ac dura patiuntur, *tum* a conscientia mordente; *tum* ab inferioribus superiores indignos contemnentibus; *tum* ab ipso onere dignitatum, quod gravius sit iis, qui minus habiles et minus idonei sunt ad illud portandum. Quod præclare demonstratur pulcherrimo illo apologo in libro Judicum descripto, ubi narratur vel fingitur, arbores et plantas regem sibi præfere cupientes, olivam adisse, ei sceptrum, coronam et regiam dignitatem obtulisse, quam accipere recusavit. Ab oliva transierit successive ad ficum et ad vitem, quæ oblatum sibi regium diadema accipere nonerunt. Dixerunt tandem omnes arbores rhamno: *Veni, et impera super nos* (Judic. 9, 14); rhamnus autem talem dignitatem non recusavit, ac respondit eis: *Si vere me regem vobis constituitis, venite, et sub umbra mea requiescite*. Miror quod oblatam regiam dignitatem omnes accipere recusent arbores, sola

rhamno excepta, quæ ita vilis et abjecta est, ut arboris nomen non mereatur. Cur sola rhamnus onus et officium regis in se suscipit? Ibi utile et grande latet mysterium: illa enim rhamnus, quæ regiam ambit dignitatem, figuram exhibet hominis ambitiosi, qui quo indignior, eo sæpe audacior est ad dignitates appetendas et postulandas. Jamvero sicut rhamnus nunquam caret spinis, ita homo ambitiosus, cum dignitates, quarum est indignus, obtinuit, nunquam sine spinis, ærumnis et laboribus vivit: propria enim conscientia eum intus pungit; Deus multifariam illum adligit; illi obedire renuunt subditi, illum despiciunt omnes, eumque velut minus habilem, dignitatum quas possidet, indignum indignitant, et ut ait Sapiens, *cavevi dies ejus doloribus, et ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit* (Ecc. 2, 23). Arbitratur imprudens, quod in dignitate quam ambiebat, omnia sibi forent dulcia, omnia delectabilia; et e converso non voluptates, sed spinas et laborem multum invenit. Viri ambitiosi, dignitatum ad quas anhelant, indigni, similes videntur libro illi de quo Ezechiel (2, 10) ait, quod in eo scripte erant lamentationes, et carmen, et væ. In hoc libro, ut perpendit divus Augustinus, tria scripta erant, duo tristia et unum delectabile: duo tristia sunt *lamentationes et væ*; delectabile est *carmen*. Notatu autem dignum est, illud delectabile in medio duorum tristium positum, ut intelligatur, viros ambitiosos querentes dignitates, quarum sunt indigni, in iis carmina et voluptates auspicari; at vana sua spe decipiuntur: quia cum ad dignitates sunt sublimati, lamentationibus et væ, seu calumniis, ærumnis et laboribus obsidentur et circumcinguntur. Hi in medio laborum et afflictionum vivunt: ac ubi omni voluptatum genere frui crederant, ibi pro voluptatibus eruces et labores inveniunt: *o ambitio ambientium crucis* (D. Bern. 3 *de consid.*). Qui ergo dignitatibus indigni sunt, eas ambire non debent, quia in iis non inveniunt commoda sed laborem; *ac etiam quia in iis non inveniunt honorem, sed dedecus*.

2. Hoc docet Salvianus, qui presbytero cuidam indigne ad dignitatem erecto ait: *Factus es eodem tempore, ut ita di-*

verim, in te major et in te minor; nosque et pene incauto genere, crescens simul et decrescens. Eodem quidem tempore, quo major factus fuerat, et croverat ratione acceptæ dignitatis, minor et decrescens factus erat ratione famæ et æstimationis hominum, et ideo in hac dignitate pro gloria, dedecus invenerat. Quod et de omnibus indignis dici potest: in dignitatibus enim ad quas sublimantur, non gloriam et honorem petius dedecus et infamiam reperiunt: mox namque ut ad eas fuerint erecti, omnium in eos convertuntur oculi; de eorum ignorantia et imperitia loquuntur omnes; illorum defectus et peccata pervulgant et reprehendunt plurimi; eorum tandem tunc multis nota fit indignitas quæ, dum latebant, a paucis agnoscebatur. Et ideo dum crescunt, decrescunt; cum ascendunt, descendunt; cum majores sunt ratione dignitatis ad quam sublimantur; minores evadunt in hominum æstimatione; cum tandem honore signam accipiunt et exercent dignitatem, contemnantur, ac veluti ea indigni despicuntur; nec plus aliquid humiliat ambiciosos, quam obtenta sublimitas (Euseb. lib. 9, ep. 3). Homo ambiciosus qui ad dignitates erechitur, ad quas est inhabilis, similis est statuae supra altam columnam erectæ; sicut enim statua eo omnium oculis minor apparet, quo altior est columna, cui superponitur, ita quo ad eminentiores dignitates homo indignus sublimatur, eo minor et contemptibilior ab omnibus existimatur. Cujus rei præclara habetur figura apud Ezechielem prophetam (c. 27), ubi qui ad defensionem turrium civitatis erant prepositi, vocantur pignæ: sed et pignæ, qui erant in turribus suis, pharetras suas suspenderunt. Hujus civitatis defensores vocantur pignæ non quod verè pignæ essent, verum quia ob eminentem altitudinem turrium quibus erant superpositi, hominibus infra stantibus pignæ et exigua stature homines videbantur. Eodem prorsus modo vici indigni honoribus aucti, his non majores, sed minores sunt: dignitates haud ipsis supra alios eminentiam comparant, quin potius eos magis depriment; illis vertuntur in delectans, eosque humiliant, et quasi annihilant: nec plus aliquid eos humiliat, quam obtenta sublimitas. Non

ergo dignitates ambient indigni, quas si assequantur, ipsis fient in dedecus et confusionem; ac insuper exaltationi proximum præcipitium inveniunt.

3. Cum Doctor mellifluus, Eugenium discipulum suum ad summum pontificatum cognovit erectum, gaudebat simul et timebat: exultati fateor, sed cum tremore (Ep. 271). Paterno affectu gaudebat Bernardus, cum charissimum discipulum ad infans sublimatum considerabat: gaudens timebat, quia sub supremæ illius dignitatis fastigio abyssum et barathrum aliquod intuebatur, in quod summum pontificem præcipitari formidabat: Considero gradum, et casum peccator; considero fastigium dignitatis, et intueor faciem abyssi jacentis deorsum, atterdo celsitudinem, et e vicino periculum reformido. Heu! si supremus ille pontifex in dignitate, qua erat dignissimus, periclitabatur, quanto magis viri indigni ad dignitates erecti reformidare debent precipitium, quod eorum exaltationem comitari solet? His sane timendum quia ut ait D. Gregorius, cum elewantur corruunt, et in peccata multa precipitantur: eo intrinsecus corruunt, quo magis extrinsecus surgunt. Cum Christus Dominus venisset Nazareth, et in synagoga explanasset hanc Isaiæ prophetiam: Spiritus Domini super me: propter quod uncti me, evangelizare pauperibus misit me, auditores illius mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. Verum qui prius Christum loquentem admirati erant, non multo post ira adversus illum conceitati, duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat edificata, ut precipitarent eum (Luc. 4, 20). O quam ingrati illi populi, qui Christum elevare volunt, ut eum precipitent! o qualem elevationem! cui quidem similis est exaltatio eorum, quos licet indignos ad dignitates quondam sublimat: elevat enim eos, ut precipitet; a mundo elewantur, non ad ipsorum gloriam et honorem, sed ad casum et ad precipitium: tolluntur in altum, ut lapsi graviore ruant. Stulta ambitione lucifer in cælum ascendere, et Deo similis fieri appetit: similis ero altissimo (Isa. 14, 14). Deo similis erat per participationem.

quia divinarum perfectionum particeps erat, easque possidebat « modo tamen limitato »: ipso cieca ambitione motus, eas modo illimitato habere et Deus esse voluit. Dum vero lucifer, aliique rebelles spiritus ad cælum, et ad esse divinum ascendere perentiarunt, in malorum barathrum et in infernum detrusi sunt: *Deus angelis peccantibus non peperit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos* (2. Petr. 2, 4). Idem occidere solet hominibus, qui licet indigni honores et præceminentias ambiunt: dum enim sursum erigi curant, deorsum cadunt; cum extolli appetunt, dejiciuntur: cum sublimari satagunt, a dignitatibus ad quas evehuntur, in vitiorum barathrum et in infernum cum lucifero precipitantur. Unde divus Bernardus, hominem huiuscemodi sic compellat: *quo progredieris miser? an ut ab altiori gradu sit casus gravior? neque enim sic paulatim decides, sed tanquam fulgur in spiritu vehementi, quasi alter Satanas subito dejiciaris*. Quare, o christiane, si Ecclesie et sæculi dignitatibus administrandis non sis idoneus, ne eas ambias nec ad eas sublimari permittas; cœlestes dignitates et supremos cœli thronos summo affectu contempisce: *si culmen veri honoris quaeritis, ad cœleste regnum tendite; si gloriam dignitatum diligitis, in illa angelorum curia adscribi festinate* (S. Greg. hom. 15 in Eran). Huc tende, huc vota tua dirige; non autem ad terrenas dignitates, quas ambire non debent digni; nec etiam digni.

II PARS.

Beneficia et sæculi dignitates ambire non debent digni.

Mihi audire videor virum ambitiosum dicentem: ego tali honore dignus sum; sufficienti enim literatura polleo; prudentia et virtute non careo; nec aliquid in me video, quod me tali beneficio vel tali dignitate reddat indignum; nil ergo ea ambire vetat. Hujusmodi viris sic ratiocinantibus respon-

deri posset cum doctissimo Tostato, virum ambitiosum nunquam dignum esse dignitate quam ambit; et eo ipso quo illam ambit, fieri indignum: *qui honorem desiderat, non est dignus honore, et qui desiderat statum excellentem, non potest eum convenienter sustinere* (q. 5 in 2 Reg. 15). Sit quidem vir ambitiosus dignus et capax dignitatum, quibus inhiat; eas tamen nullatenus sibi optandas sciat, siquidem ambitio 1. multas dissensiones causat; 2. peccata multa parturit; 3. ad tartara ducit.

1. Non litigant nec militant homines pro obtinendo ultimo loco; ad primum contendunt: *ad primum locum certamen omne contendit*, inquit Tertullianus. Videmus nonnumquam, quod humilitate vera, vel ficta aliqui pro obtinenda ultima sede certant; tamen plerumque primum locum homines ambiunt, ad illum anhelant, ac pro illo litigant, et inde oriuntur jurgia, discordiæ, dissensiones, inimicitie et certamina. Unde enim tot odia in veterata inter fratres, tot dissidia inter consanguineos, tot discordiæ inter proximos, tot invidiæ inter cives, tot divisiones, tot insidiæ, totque hostilitates inter aulicos et magnates? nonne hæc omnia communiter a feodo dominandi spiritu, et ab ambitione procedunt? *Unde bella et lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscentiis vestræ*? (Jac. 4). Quia duo vel plures idem beneficium, vel eandem dignitatem ambiunt, inde jurgia et dissensiones inter illos nascuntur; et sive propinqui, sive amici illi sint, feoda hæc ambitio dissensiones inter eos causat.

Si modo mente revolvere liceret quæ in mundo gesta sunt, et quæ jam in eo geruntur, omnium oculis pateret, maximas quasque discordias, et dissensiones ab hominum ambitione ortam ducere. Nonne enim ex ambitione Romulus Remum fratrem suum occidit, ut ipse solus regnaret? Nonne ambitionis spiritu concitatus Absalom patrem suum Davidem e solio dejicere pertentavit? Nonne Saul eundem regem et prophetam, a quo innumera perceperat beneficia, usque ad mortem persecutus est, eo quod illum prae se honorari et a populo astimari agro ferebat? Nonne Abimelech, dominationis cupidus, septuaginta fratres suos morti tradidit? Nonne Aristobolus Hircanum

patrem occidit, ut illi in regno succederet? Nonne rex Moabitum, regnandi cupiditate ductus, filium suum primogenitum mactavit? Nonne ambitio bella multa movit inter Julium Cæsarem et Pompejum, inter Marium et Syllam, inter Romanos et Cartaginenses? Notum est omnibus Alexandrum magnum ex ambitione omnia Orientis regna armis suis vexasse. Unde tandem tot bella in orbe terrarum ab ipso mundi origine? Unde tot dissensiones in familiis, in urbibus et regnis? Nonne ex ambitione? *Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris.* Quare cum ambitio dignitatum sit tot dissensionum causa, otiam digni ab iis ambiandis abstinere debent; imo et eas reformidare, quia ambitio peccata multa parturit.

2. Ambitionem D. Augustinus vocat *hæresum matrem*; siquidem ab ea, ut a maligna matre innumera prodire hæreses. Quod patet in *Ario*, qui impiissima hæresis auctor fuit quia episcopalem honorem consequi non potuit; in *Novato*, de quo refert Eusebius, quod tempore Corneli pape, episcopatus cupiditate in schisma et hæresim cociderit; in *Theobaldo*, de quo idem Eusebius narrat, quod Ecclesiam catholicam infestavit et plurimum turbaverit, eo quod ad episcopatum non fuerat erectus. Hoc patet et in aliis multis, quos ambitio ad hæresim traxit. At malignum illud ambitionis vitium non hæresim solum, alia quoque plurima peccata parturit. Ex ambitione enim prodeunt simoniae, sacrilegia, detractiones, invidia, vexationes, homicidia, rapinae, et innumera alia peccata. Et ideo D. Bernardus ambitionem vocat peccatorum fontem et originem: *ambitio, inquit, est tinea sanctitatis, criminum fomes, vitiorumque origo* (Ser. 6 in ps. *Qui habitat*). Et, quod mirum et portentosum est, videntur persæpe aliqui viri pii, justitiae et pietatis cultores, a luxuria, avaritia, aliisque vitis alieni quorum, progressu temperis, ambitio pervertit sensum, eosque a via justitiae avertit, et tandem ad crimina multa pertrahit: *sepe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosa* (S. Amb. in Luc., 4. 4). O quam fugienda

ergo et detestanda etiam a viris dignis ambitio dignitatum, cum hæc sit pessima parens, que viros etiam sanctos ad plurima peccata allicit. Hoc probe noverat Jacob, de quo testatur Scriptura, quod Joseph præ omnibus filiis dilexerit: *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos* (Gen. 37, 3). Et tamen sanctus patriarcha non Josephum, sed Judam regno honore insignivit; singulis enim moriturus benedicens filiis, Judæ non Joseph regnum auguratum est. Cur non honoravit præ aliis, quem præ aliis anavit? cur non transtulit regnum in dilectissimum Josephum? Respondet non ignobilis sacre scripture interpres, sanctum patriarcham hoc egisse, ne talis dignitas Josephum ad varia incitaret crimina. Et revera difficillime possidentur et administrantur regna, alieque dignitates sine ambitione, et ambitio non est sine crimine, cum sit mater pessima, que multa, imo omnia fere parit crimina: *ambitio est matrix in omne delictum, diffundens de suo fonte varias criminum cenas* (Tert. de pat. 5). Neque igitur ipsos dignos honores oportet inquiret, scientes ambitionem motorum scelerum parentem, ac præterea sæpius fore *laqueum, qui ad tartara ducit*.

3. Hæc sunt formidanda et æterna præcipitia, ad que ambitio ducit: *præcipitia in qua honores destrudunt, perpetua sunt, atque prærupta* (Chry. ho. 41 in Matt.). Assertit Spiritus Sanctus, quod *judicium durissimum his qui presunt fiet* (Sap. 6); que verba exponens Ugo cardinalis, ait, quod iis fiet *judicium durum, durius et durissimum*. Iis quidem fiet *judicium durum*, si male intraverint; *durius*, si male vixerint; *durissimum*, si male rexerint. Vel *ius durum* fiet *judicium* propter subditorum peccata, quibus non obviaverunt; *durius*, propter peccata ministrorum, quos corrigere neglexerunt; *durissimum*, propter propria peccata, que ratione officii et scandali illati majora semper sunt. Vel dicendum, quod *judicium durum, durius et durissimum* de iis fiet, qui quantumvis digni cæca ambitione ad dignitates ascenderint, easque male administraverint; qui propterea magno in discrimine versantur ne ambitio illos ad tartara et ad æterna inferni præcipitia ducat: *præcipitia in*

que honores detrudunt, perpetua sunt atque prærupta. Nec credas, inquit Petrus Blesensis (ep. 31), ex ambitiosis qui ad honores sublimantur, paucos ambitione sua ad tartara duci; quia sicut multi habentur qui voluntaria paupertate ad celum eleuantur, ita et multi terrenarum dignitatum ambitione ad tartara ducuntur: *multorum dominatio est eorum damnatio; quot enim paupertas ad celum promovet, tot cum dignitatibus suis infernus absorbet*. De homine ambitioso ait Sapiens: *est via que videtur homini justa: nocissima autem ejus deducunt ad mortem* (Prov. 14, 12). Viri ambitiosi, et dignitatum cupidi, qui ad eas sustinendas se idoneos et dignos arbitrantur, plerumque se juste et pie eas ambire posse præsumunt: cupiditate sua ita excecantur et fascinantur, ut se via recta incedere credant, cum ad honores inordinate aspirant: revera hæc via a recto, a celo, et a Deo devia est; et ideo quo diutius hanc tenent viam, eo magis a celo aberrant, magisque inferno appropinquant. Verum quidem, quod ambitiosi, non semper ad mortalia peccata et ad infernum statim ducantur: primo venialibus inquinari solent; deinde a minoribus ad majora, et a venialibus ad mortalia progrediuntur; quibus paulatim assuescunt, deinde in iis obdurantur et moriuntur; ac tandem ad tartara cadunt, et morte æterna plectuntur: *noctissima autem ejus ducunt ad mortem*. Nullum ergo quantumvis dignum et ad terrenas dignitates administrandas idoneum, illas ambire decet. O fratres, inquit Doctor Mellifluus, hujus mundi dignitates non ambiamus; celestes autem summa affectu peroptemus: *concupiscamus in atrio Domini. Crebro suspiremus illuc. Tibi patria nostra est, odoremus saltem, et a longe salutemus eam* (serm. de obed.). Hæc vota sua omnes dirigere debent homines, non ad terrenas dignitates, quas ambire debet detestari dignos; *imo celi ipsos qui digniores reputantur*.

III PARS.

Beneficia et sæculi dignitates ambire non debent etiam digniores.

Qui digniores sunt, si a Deo intus loquente, et a legitimis superioribus ad dignitates vocentur, ad eas in spiritu humilitatis et zeli conscendere possunt et debent. Numquam tamen ab iis ambiendis dignitates, non solum quia ambitio est vitium grave, quod sæpe ad infernum trahit, verum etiam quia sæculi dignitates sunt onera, somnia, et umbre; sunt 1. *onera*, quæ gravant; 2. *somnia*, quæ deludunt; 3. *umbra*, quæ transeunt.

1. Cujus nature et qualitatis sint hujus mundi dignitates, perfecte noverat Moyse; qui principatum sibi a Deo datum, non tam ut eminentem dignitatem, quam ut onus humeris suis importabile respiciebat, ac propterea sic Deum alloquebatur: *Cur imposuisti pondus unicepsi populi hujus super me?* (Num. 12). Et ne quis credat pondus hoc ei fuisse leve, subdit Moyse: *Non possum sustinere hunc populum, quia gravis est mihi*. Gravis erat Moysi populus caræ ejus demandatus; dominabatur populo, et gravem eum experiebatur; in principatu suo non tam honorem, quam onus sentiebat; idemque experiuntur omnes in dignitate constituti. Verum quidem, quod plerumque, antequam ad dignitates evehantur, in iis solummodo gloriam et honorem auspicantur; cum autem christiane et fideliter munus suum obeunt, in iis inveniunt onus cuiuslibet dignitati annexum. Subditi enim sunt onera humeris eorum imposita, quæ portare legantur; totque sunt superiori onera portanda, quot habet inferiores regimini suo commissos, *homo in sublimibus elevatus, tantos super se sustinet, quantos supposito regit* (S. Greg. Mor. 17, 15). Superior regimini suo demandatos habet homines, quorum plurimos protervos, contumaces, omnis boni inimicos, et proclives ad omne malum:

ecce onus grave prælati, qui de illorum anima est Deo rationem redditurus. Homo, quantumvis dignus et dignior, ad dignitatem aliquam sublimatus, subditos habet, quorum *alii* illum contemnunt; *alii* ei invident; *alii* in faciem ei rident et post tergum ipsi pessime maledicunt; *alii*, qui se fidissimos amicos vocitant, et intus jurati sunt inimici; *alii*, qui palam omnia ejus opera approbant, et clam ea reprobanda et damnant. Ecce onera gravia a dignitatibus inseparabilia; quilibet inferior superiori suo onus est: *tantos super se sustinet, quantos suppositos regit*. Nea credas, hoc verum esse solummodo de dignitatibus infimis et subordinatis: omnis enim dignitas, etiam regia et suprema, suum onus habet: *o corona*, inquit Gerson, *speciosa magis, quam pretiosa; plus expavescentia, quam appetenda: quis onus tuum ferre potuit?* Heu! si regia dignitas, in qua omnia gloriosa et omnia dulcia videntur, onerosa sit, quid sentiendum de aliis dignitatibus inferioribus? Nulla sane reperitur, cui annexum non sit aliquod onus. Et licet in his species quedam externa suavitatis et quietis eluceat, reipsa tamen vera sunt onera, quibus gravantur quicumque eas sustinent; a quibus propterea prudenter cavebunt ipsi digniores, præsertim si meminerint *quod sæculi dignitates sunt somnia, quæ deludant*.

2. Cum aliquis inter dormiendum somniat se esse regem, vel summum Pontificem, quamdiu tale somnium durat, de his dignitatibus gaudet, quasi revera his fruatur; a somno excitatus, dignitates, quibus dormiens frui arbitrabatur, nil aliud esse videt quam mera somnia: *velut somnium surgentium Domine* (Psalm. 72). Respice, inquit D. Augustinus, omnes mundi dignitates, honores omnes, et cunctas felicitates, quas homines tanti faciunt, et certus esto, hæc omnia esse mera somnia, quia ut somnia transeunt, « quomodo, ait idem Doctor, qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est, sed evigilabit, et pauper erit: sic omnia ista vana hujus sæculi, de quibus homines gaudent. In somno gaudent, evigilabunt, et invenient, *somnia illa fuisse, et transiisse velut somnia* ». Ecce quid sint mundi dignitates: illusiones et mera somnia;

quia veluti somnia transeunt et evanescent. Non sine mysterio Deus hominibus multis dignitates, ad quas evadendi erant, in somnio manifestare voluit. *In somnio* enim vidit Joseph patriarcha futuram suam exaltationem in Ægypto; *in somnio* declarata est regina Esther omnis et eventura felicitas; *in somnio* prævidit Nabuchodonosor famosas quatuor mundi monarchias; *in somnio* pincerna regis Ægypti se in pristinum dignitatem restituendum agnovit; *in somnio* Deus Salomoni sapientiam, divitias et gloriam multam promissit. Cur, quæso, hæc omnes dignitates in somnio concipiendæ monstrantur; nullam somniis fidem adhibendam communiter dicitur, cur ergo Deus futuras has dignitates in somniis revelare voluit? Certe ut sciant homines, has et omnes mundi dignitates nihil aliud esse quam vera somnia: *omnis gloria sæculi somnium est, non veritas* (S. Ambr. de Joseph. 6). Haud igitur hujusmodi dignitates a viris dignioribus optandæ vel exquirendæ sunt, quin e converso illas despiciant, si perpendant *sæculi dignitates esse umbras, quæ transeunt*.

3. In ludis olympiacis olim plurimum decertabant viri, etiam nobilissimi: ad quid autem tot certamina? ad obtinendam coronam ex ramis arborum contextam, et, ut loquitur sanctus Basilius Seleuciensis, decertabant pro obtinenda aliquorum foliorum umbra: *præmium*, inquit, *corona de frondibus; ac totus ille conflictus propter unbram foliorum suscitatur* (Or. 17). En sæculi hujus dignitates, in præmiis illis depictas: umbra etenim sunt dignitates, sicut et illa præmia; sicut umbra fugax est, nec capi potest; et cum eam quis capere pertentat, mox e manibus ejus evanescit, nec in his aliquid invenit: ita et dignitates sæculi uti fugaces umbræ capi difficile possunt, cumque capiuntur, statim velut umbra labuntur: *principatus, sicut ingreditur, sic deseritur, et quamdiu tenetur, labitur* (S. Hier. in c. 9 Marc.). Quamliu in hoc mundo vivunt ambitiosi, sibi suadere nequeunt, sæculi hujus dignitates esse umbras labiles et transitorias; at cum igne tartareo simul cum consortibus suis cremabuntur, cognoscent miseri et fatebuntur, se pro umbra decertasse. Audite ambitiosos in inferno clamantes, honores et

dignitates, ad quas in hoc mundo erecti fuerant, nil nisi umbras extitisse. *Quid, inquit, nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* (Sap. 5). Ad quid profuit nobis, pontificalem, regiam, imperatoriam, aliasve dignitates exercuisse, quid nobis contulit ad excelsos mundi thronos sublimari, gentibus multis imperasse, auram et reverentiam populi nobis conciliasse, et aliorum dignitatum munia oblisce? O præclarum questionem! cui respondent ipsi damnati, fauentes; hæc omnia inutilia ac vana fuisse, nec eis aliquo modo profuisse, quia fuerant veluti umbrae transeuntes: *transierunt omnia illa tanquam umbra*. Discite, ambitiosi, discite a damnatis, hujus mundi dignitates esse solummodo umbras volatiles: hoc discite, et certi estote, quod cum sæculi dignitates acceperitis, nil nisi umbram sumitis et complectimini; *summa aviditate complectuntur umbram* (Chrysost. hom. 29 in 1 Cor.). O quam stulti, qui his umbris ambiunt! Quam insensati dicendi qui honorem culmina appetunt, quamquam cæteroquin digniores imo et dignissimi sint qui illa adipiscantur et possideant, quia *umbram sequi insanientis est*. Hanc eorum stultitiam variis exemplis præclare explicat D. Augustinus, dicens: « quis imaginem auri in aqua, ipso auro neglecto, eligeret, et non statim a cunctis fatuus et insanus crederetur? si quis orbem solis in speculo redditum plus diligeret, quam ipsum solem, nonne ab omnibus irrideretur? quid stultius, quid insanius est, quam umbra vere gloriæ, veri honoris decipi, et superari, et ipsam veram gloriam, verum honorem non querere, non desiderare? hoc commercium insipientium est (*de trip. lab. 3*) ». Ecce insaniam hominum ambitiosorum, qui cum indesinenter anhelare debeant ad regna cælestia, ubi vere et præcelsæ sunt dignitates, terrenis inhiant dignitatibus, quæ sunt solummodo ridicula somnia et umbræ fallaces. O filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium? cur umbratiles dignitates tanto cum affectu concupiscitis? cur ad præminentias, quæ velut umbræ evanescent, tam ardentem anhelatis? fugite umbram sæculi, aut saltem mundi dignitates inordinate ne ambiatis. Si enim earum *indigni* sitis, in his laborem, dedecus, et precipitium invenietis:

si illarum sitis *digni* ac ad illas administrandas idonei, mentem toto, quod ambitio dignitatum, dissensionis plurimas causas, peccata multa parit, et sæpe ad tartara ducit: si tandem non solum digni, etiam *digniores* sitis, non terrenas, quæ onera, somnia et umbræ sunt, verum cælestes ambite dignitates, ad altiores cæli thronos aspire; pro his obtinendis totis conatibus laborate; Deusque qui benignus et misericors est, cælestem hanc vocis gloriam concedere dignabitur. Amen.

FERIA II HEBDOMADÆ SANCTÆ.

DE MARIA JUXTA CHRISTI CRUCEM STANTE.

Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus (Joan. 19, 25).

Si olim apud Judeos moris erat, quod plurimæ singulis annis in unum locum conveniret adolescentulo, ut simul filium Jephthæ amare ferrent; potiore sane jure saltem semel quolibet anno congregari debent fideles, ut cum Maria amarissime flente plerent, utque ei supra modum afflicte compatiantur. Gavisa orat Maria, cum Verbum æternum in ejus utero carnem suscepturum ei nuntiaverat angelus: exultaverat Virgo sacra, cum Filium suum unigenitum pepererat: summo afficiebatur gaudio, cum illum prædicantem, cæcos illuminantem, aliisque miracula facientem vidit. Tandem aliquando morore repleta fuit beatissima Dei Genitrix, cum staret juxta crucem in qua pendebat Filius (1): *stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus*.

(1) Fatendum quidem illa die dolorem B. Virginis culmen attingisse, ac sola Dei potentia a morte fuisse servatam; quam propterea plusquam martyrem non immerito prædicant, in qua mirram corporis sensum passionis excessit compassio affectus (S. Bern.). Verum quomodo tota vite Christi Fili

Contemplerur Beatissimam Virginem Mariam juxta crucem cui afflixus erat Filius, amare lacrymantem, cum illa lugeamus, ei compatiamur, ejusque afflictionem et passionem pro modulo nostro explicemus. *Ave.*

Quamdiu in hoc mundo moramur, jucundis rebus misericors Deus semper moestâ et tristia permiscet. Quod certe et in sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas: sed tum ex adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contextit. Hoc et in Matre fecisse constat, quam licet ardentissime amaret, eam tamen nunc gaudiis affici, nunc doloribus et afflictionibus multis cruciari permisit, et ideo alia mysteria ei jucunda et gaudiosa; alia vero ei tristia et dolorosa extitisse dicimus. Non hodie contemplerur Mariam, ut ineffabilibus gaudiis superfusam, verum ut plucibus, lisque gravibus juxta Christi crucem afflictionibus confectam. Ibi sedulo consideremus piissimum Dei Genitricem, et videamus excessum, causam et modum

ejus crucis fuit et martyrium. Item hæc omnino affirmamus de Virgine Matre. Cordis ejus martyrium opinatur quidam ascete initium docere vel ab ipsa Annuntiatione, qua dicitur Verbum æternum in sine suo carnem factum senuit, et mira dulcedine mens ejus affecta fuit, simul cognovit sicut divina illustratione, sive ex acuita scripturarum qua perfecte pollebat, totam vite illius seriem maximis doloribus replete, martemque acerbissimam, adeo ut viro quodam modo gauderet et dolere, magis afficeretur excessu doloris et gaudii pro nimio amore, quod abscondit videri nequit, cum aliquid simile factum sit in mente. Francisci, ut testatur S. Bonaventura: « Hoc [sc. Scaphium crucifixum] apparentem videns, vehementer exterruit, mirumque dolori gaudium mens ejus incurrit, dum et in gratioso ejus aspectu... excessivam quandam concupiscit lætitiâ, et dira conspecta crucis afflictio ipsius animam compassivi doloris gladio pertransiit ». Quidquid sit de hujusmodi dolorum B. Virginis initio, certo certius dolere et amaritudine repleta fuit illius anima ex quo a Simone audivit: *Postus est hic [Jesus filius tuus] in signum tui controdicetur: et tuum ipsius animam pertransiit gladius.* Ex illa hora tantum omnipotens doloris Virginis Mariæ commoverunt plures sacri scriptores, et fideiolum pia præxis, amnente et approbante Ecclesia, speciali cultu multis ab hinc sæculis venerata est doloris B. Virginis septiformium diviso, quorum primam habetur in prophetia S. Simonis.

N. E.

afflictionum et passionum ejus. Videamus, inquam, 1. *excessum* passionum ejus, seu quantum passa sit: 2. *causam* passionum ejus, seu quare passa sit: 3. *modum* passionum ejus, seu quomodo passa sit. Quantum, quare et quomodo Maria juxta crucem passa sit, en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Quantum Maria juxta crucem passa sit.

Divus Augustinus in præclaro sermone, quem de Christi passione composuit, Filium et Matrem contempletur: *filium* in cruce, et *matrem* juxta crucem; *filii* in cruce patientis dolores fusa oratione prosequitur; *matris* vero juxta crucem stantis tantos extitisse dolores ait, ut ne lingua creata explicare, nec ois mens humana concipere valeat; *non lingua loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore tunc tenebatur anima Mariæ.* Ut tamen prout fas erit, de excessu dolorum Mariæ disseram, et ut quantum juxta crucem passa sit aliquomodo explicem, dico, quod tantum ibi passa sit: 1. quantum martyres passi sunt: 2 quantum Christus passus est: 3. quantum, et plus quam ipsa naturaliter pati poterat.

1. Christus, qui in Maria omnem gratiam collocavit, noluit eam carere honore martyrii; ideo cruci eam adstare voluit, ubi martyr facta est, immo et plus quam martyr, quia dolores, quos ibi passa est, omnibus aliorum martyrum doloribus antecellunt. Et ut asserit S. Anselmus, quidquid passi sunt alii martyres, leve et quasi nihil est si comparetur martyrio, quod juxta crucem Maria perpessa est; *quidquid crudelitatis inflicium est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ passionis.* Gravissima passus est invictus martyr S. Laurentius, dum eraticule superpositus ureretur: *gravissima* protomartyr Stephanus, dum lapidum grandine quateretur: *gravissima* toto terrarum orbe mirandus sanctus apo-

stolus Bartholomæus, dum velut brutum animal excoriaretur: *gravissima* omnes martyres, dum pro Christo sanguinem profuderunt; hæc autem omnia martyrum supplicia, quæ in se gravissima nobisque intolerabilia videntur, levissima et quasi nihil erant, respectu dolorum Mariæ. Vere quidem juxta crucem facta est martyr cum martyribus; at ipsa dicenda plus quam martyr, quia comparata doloribus ejus, parva et quasi nihilum reputanda sunt omnia martyrum tormenta. Ratio est, quia patiebatur solum in corpore martyres; Mariæ vero patiebatur in anima: martyrium autem animæ longe gravius est martyrio corporis, et ideo Mariæ plus quam martyr fuit, et plus quam martyres passa: *quæ quia mente passa est, plus quam martyr fuit* (D. Hieron. ser. de Assumpt.). Ex alia quoque ratione inferre licet Mariam plus passam esse, quam martyres; nempe hi in mediis suppliciiis magna perfundebantur lætitia, et gaudio intus superabundabant in spe obtinende cito gloriæ celestis, ac Christum mox possidendi. Mariæ hoc non fruebatur gaudio; quin contra summopere intus angebatur, videns quod gravissima pateretur Christus, quodque a dilecto filio ipsa separaretur. Hæc fuit causa dolorum ejus, qui tanti juxta crucem extiterunt, ut ibi plus quam martyr facta sit. Unde sicut dicitur Regina virginum, ratione eminentissimæ puritatis quæ floruit, ita dicenda est Regina martyrum, et martyr martyrum ratione gravissimorum dolorum, quos juxta crucem per tulit: *sicut appellatur Virgo virginum, ita martyr martyrum debet appellari* (Rich. de Deip. Virg.): Mariæ ergo juxta crucem plus quam martyres passa est. At gravissimi etiam juxta crucem dolores ejus extitere, quia ibi tantum passa est, quantum Christus in cruce.

2. Nunquam satis exaggerari possent tormenta, quæ in cruce passus est Christus; quidquid de his dicatur, a re ipsa semper longe abest. Quod vero portanti loco habendum, non minus passa est Mariæ in corde juxta crucem, quam Christus in corpore, quia omnes dolores filii transiunt ad matrem: *quot lesiones in corpore filii, tot vulnera in corde matris; clavi quibus corpus Christi pendebat in cruce, et cor Virginis confecturum habebant: nul-*

lum ictum recipiebat corpus filii, cui non tristis echo responderet in corde matris (S. Hier. in serm.). Assertit Doctor Seraphicus non solum æquales, verum et majores fuisse dolores Mariæ, quam Christi; *Mariam majorem dolorem habuit, quam Salvator*. Quod debet intelligi non absolute, sed comparate, ita scilicet ut dolores interni et cordis Mariæ majores extiterint, quam dolores corpori et externi Christi. Mariæ enim patiebatur in corde quicquid Christus patiebatur in corpore; dolores autem cordis majores sunt, quam dolores aliorum membrorum, ideoque dolores Mariæ doloribus Christi aliquo modo majores extiterunt. Clavi, spine, lancea et alia instrumenta quibus cruciabatur Christus in corpore, transiunt ad cor Mariæ: *sagitta tua transiit*. Cum clavis transfodiebatur Christi manus et pedes, iis et transfodiebatur cor Mariæ; cum in Christi caput spinas deflegebant caruifices, non hic hærebant earum acumina, ad Virginis cor transiunt, illudque dirissime sauciabant; cum lancea transfurax fuit Christi latus, dirum hoc ferrum ad Mariæ cor migravit, illudque crudeliter transfixit: in corde tandem sunt omnia patiebatur Mariæ, quæ Christus in corpore; cum itaque multo graviore sint cordis, quam aliorum membrorum dolores, recte assertit majores Mariæ, quam Christi fuisse dolores, seu illam magis passam esse in corde, quam Christum in corpore: *Mariam majorem dolorem habuit, quam Salvator*. Quid majus, dicit Simeon metaphrastes (de dormit. Deip.), nempe plura et graviora fuisse, quæ Mariæ in corde, quam quæ Christus in corpore vulnera passus est: ita ut cum una plaga corpori Christi foret, non una dumtaxat, sed innumerae plage itidem cordi Mariæ infligerentur: *hæc omnia illam transverberabant profundius, quam ulli clavi et pro una filii plaga in unguentis ipsa plagis sauciabatur*. Cum mater aliqua filium, quem summo affectu diligit, uno pugionis ictu configi videt, hoc ictu unica in corpore filii fit plaga, at mille fiunt in corde matris, quæ filium suum sauciari videt. Hoc idem accidit in crudeli Calvarii montis tragœdia; ibi enim ictus, quos Christus recipiebat in corpore, multiplicabantur in corde Mariæ, et quoties

una in Christi corpore flobat plaga; toties innumera cor Virginis plage sauciabant; pro una filii plaga, innumeris ipsa plagis sauciabatur. Tantum ergo passa est Maria juxta crucem, quantum Christus in cruce. Ad hæc Maria ibi tantum passa est, quantum pati poterat, imo et plus quam naturaliter pati poterat.

3. Maximas exitisse Mariæ dolores non dubitabit qui considerabit, qualis esset ille filius, qui cruci affixus durissima patiebatur, et qualis esset illa mater, quæ filio talia patienti adstabat; tantum haud dubie doluit Maria, quantum unquam de tali filio dolore potuit talis mater. Pia hac cogitatione præventus sanctus Bernardinus Senensis dicere non dubitavit tantum fuisse dolorem Virginis in passione Christi, quod si Mariæ dolor in omnes creaturas, quæ pati possunt, didiceretur, omnes subito interirent. Tantum ejus exitisse dolorem ex meipso vix asserere audeam. Libenter tamen asseram, quod saltem ipsa tantum, imo et plus passa sit, quam pati potuisset naturaliter: ita ut nisi a Deo mirabiliter sustentata fuisset nullo prorsus modo potuisset tam acerbos perferre dolores; ideo Deus speciali miraculo illam a morte præservavit: vere, inquit sanctus Anselmus, interiret pro magnitudine doloris, nisi a Deo præservata fuisset. Addit S. Anselmus, Mariæ juxta crucem stantis ita acerbos exitisse dolores, ut naturaliter loquendo, eorum vi et acerbitate singulis momentis mori debuisset, et revera singulis momentis interiret, nisi a Deo per potentiam extraordinariam et per miraculum a morte præservata fuisset; per singula momenta dolor vitam ejus extinguere sufficiens fuisset, nisi ex speciali miraculo conservaretur. O quam gravia juxta crucem passa est Maria! o quam magni et acerbis ejus exitere dolores; o contra quam stulti filii hominum, qui nil pro Christo in hoc mundo pati volunt, quam insensati, qui Deum sibi injuriam facere arbitrantur, cum eos adversitate aliqua affligi permittit! Heu! si Christus matrem, quam summo affectu diligebat, affligi, tribulari, et acerbissima tormenta pati voluit, quam tibi injuriam irrogat, cum te peccatorem, te inimicum suum, te æternis inferni suppliciiis dignum gravi

morbo, temporalium honorum jactura, vel alia aliqua tribulatione jactari vult? O homo, advenientes tibi cruces et adversitates. ne inspicias, ut effectus iræ Dei; eas recipe, veluti magna bonitatis ejus in te signa: si enim matrem, quam ardentissime amabat, affligi voluit; crede quod et te diligat, cum te affligit. Et ideo in afflictionibus tuis Deum semper ut benevolum Patrem inspice, qui te non minus amat, cum percutit, quam cum beneficia impertit. Nec dicas, acerba nimis esse quæ pateris; nihil enim sunt dolores tui præ doloribus Mariæ, quæ juxta crucem patitur quantum martyres passi sunt, quantum Christus passus est, et quantum imo et plus quam ipsa naturaliter pati poterat. Ecce excessum dolorum Mariæ, seu quantum ipsa passa sit; videamus causam dolorum Mariæ, seu quare ipsa passa sit.

II PARS.

Quare Maria juxta crucem passa sit.

Cum passionem Mariæ principium inquire, illud in ipsamet Maria invenio, oculi enim, intellectus et cor ejus sunt principium et causa passionum illius: oculi, quidem, quia Christum patientem vident; intellectus, quia eum clare cognoscit; cor, quia illum ardentem amat. Unde Maria juxta crucem passa est, quia Christum crucifixum 1. videbat; 2. cognoscebat; 3. amabat.

1. Tanti, tanque graves non fuissent Mariæ dolores, si cum Christus crucifixus est, ipsa proci a Calvarie monte præsens non adspexisset tam lugendum spectaculum. Verum lotge non distabat Maria; stabat juxta crucem. Ibi stabat et videbat ingratum populum filii sui mortem sitientem; crudeles carnifices, qui illum dirissime cruciabant; obduratum latronem, qui eum blasphemabat; impudentes et impios viros, qui divinam ejus faciem sputis operiebant, et alios qui nimio furore injuria et vulneribus eum afficiebant. Hæc videbat Maria, huic spectaculo præsens aderat, et ideo dirissime et mirum in modum

in corde torquebatur; nequaquam a diro spectaculo mater aberat, qua ob id ultra quam credi potest, angebatur pro filio (Laurent. Just. de triumph. Christ. agon.). Non egit Maria sicut Agar, quæ a filio discessit, ut eum morientem non videret: non videbo morientem puerum. In gravi afflictione qua angebatur Agar, eo quod filium siti periturum crederet, aliquid sibi solati querebat in hoc quod eum morientem non videret. Hoc caruit solatio Maria: juxta crucem enim erat, crucifixum filium intuebatur, eum toto passionis tempore spectabat, eumque in medio duorum latronum morientem vidit: ex quo tot, tantosque sustinuit dolores, ut vix explicari queant: quis existimare potest, quanta tristitia afficiebatur Maria super unici filii passionem? Vidit eum ligatum et solvere non potuit; vidit corpus vulneratum et vulnus ligare non valuit; vidit sanguinem fluere et abstergere nequivit (S. Ang. de compass. Virg.). Christum patientem et morientem vidit Maria, vidensque amarissima afflictione ingenuit. Unde dici potest quod oculi ejus fuerint quasi carnifices, a quibus martyr et pluries martyr effecta est. De matre septem filiorum Machabeorum, ait D. Augustinus, oculos ejus fuisse tortores, a quibus septies martyr facta est, quia quoties unum ex filiis morti tradi videbat, toties novum martyrium patiebatur: illa videndo, in omnibus passa est, septies martyr facta est; ferebat in oculis quod in carne omnes. Ecce quomodo oculis passa, et pluries martyr fuerit Maria: Unigenitus enim filius passus est, cum crucem ad Calvarie montem portavit, et Maria sequebatur; crucis periculo affixus est Christus, et ipsa hoc spectabat: oculi Mariæ testes omnium tormentorum, quæ Christus in Calvarie monte pertulit, crudeliter extortores, a quibus non septies solum, sed milies martyrium passa est. Martyr et pluries martyr fuit Maria Filium videns cruci ligatum, clavibus affixum, spinis coronatum, lancea perforatum et crudelissimam mortem duos inter latrones passum. Juxta crucem ergo passa est Maria, quia vidit; ac etiam quia cognovit.

2. Eo gravius affligi solent homines, quo subtiliori et eni-

mentiori pollent mentis acumine quia perfectius norant rationes et motiva, quibus ad afflictionem et tristitiam moventur. En aliud principium afflictionem et passionum Mariæ: juxta crucem affligitur, quia perfectissima pollet intelligentia clarissime cognoscente filii innocentiam, injustitiam iudicium, satellitum sævitiam, et omnes circumstantias, quæ ipsi dolorem et afflictionem afferre possunt. Ipsa ejus mentis acie tanquam a sævissimo torture dirissime cruciatur, et ut ait S. Joannes Damascenus, *Mariæ, tanquam gladio, cogitationibus discerpitur*. Cum Maria juxta crucem stans cogitabat turpe supplicii genus, cui adjudicatus fuerat filius, hæc cogitatio erat quasi gladius, quo cor ejus transfigebatur; cum Judæorum ingratitude et sævitiam mente revolvebat Maria, hæc cogitatio, tanquam gladio acutissimo, cor ejus sauciatur; cum animo versabat dilectissimi filii sanctitatem, innocentiam et infinitas perfectiones, hæc cogitatio gladius erat, quo cor illius transfodiebatur: quot tandem in mente Mariæ cogitationes circa filii passionem, tot in corde ejus erant gladii, quibus discerpatur. Ideo nil mirum, si pictores Mariam nonnunquam nobis objiciant, quinque vel septem ensibus pectus transfixam habentem; non enim septem solum, verum et mille ensibus cor ejus sauciatur fuit; quia tot gladiis discerptum fuit cor ejus, quot cogitationes de Christi passione habuit; *Mariæ, tanquam gladio, cogitationibus discerpitur*. Addendum vero quod Maria juxta crucem passa est non solum quia vidit et cognovit; sed etiam quia filium patientem ardentissime amavit (Riebar. a S. Viet. in Cant. 26).

3. Amor ita Mariam in Christum transmutaverat, ut illo patiente ipsa pateretur; patiebatur ille vi tormentorum, et illa vi amoris. *Et quia non fuit amor, sicut amor Mariæ: ita nec fuit dolor similis dolori ejus*. Si Christum non amasset Maria, illo moriente non dolisset; quia maximo illum amore prosecuta est, maximos etiam pertulit dolores. Sic ut loquitur S. Hieronymus: *Mariæ plus omnibus dilexit, propterea et plus doluit, ita ut animam ejus totam pertransiret, et possideret vis doloris* (serm. de Ass. Virg.). Adit sanctus Amedeus, Ma-

riam ob nimium quo in Christum ferebatur amore majores passam esse dolores, quam viribus naturalibus pati potuisset; *Maria vicit serum, vicit hominem, et passa est ultra humanitatem, torquebatur enim magis, quam si torqueretur ea se, quia supra se incomparabiliter diligebat id unde dolebat* (hom. 1 de Deip.). Sibi falso suadent multi, amorem totum esse in deliciis et voluptatibus, nilque unquam nisi suave et jucundum spirare: amor enim suo tempore crudelis est, et amanti sepe dolores ita acerbos infert, ut non sine ratione dixerit quidam ex antiquis philosophis, amorem esse omnium tormentorum crudelissimum. Quod in Maria verissimum comprobatur: tot enim Mariæ cor vulneribus sauciabat amor, quot ictibus carnifices corpus Christi feriabant: sive uti asserit sanctus Bernardinus, eadem in corde Mariæ vulnera faciebat amor, quæ in Christi corpore faciebant carnifices; *vulnera Christi morientis erant vulnera matris dolentis*. De gloriosa virgine sancta Clara a Monte Falcone fertur, quod tanto in Christum crucifixum accenderetur amore, ut amor ejus vim haberet efformandi in corde ejus eadem instrumenta, quibus usi sunt carnifices ad torquendum Christum Salvatorem. Quod autem in hac virgine fecit amor, hoc idem egit in Regina Virginum, aliò tamen modo; quas otenim corpori Christi penas infligebant carnifices, has et cordi Mariæ infligebat amor. Cum aliquis ex carnificibus spinas Christi cervici infligebat, spinas itidem cordi Mariæ infligebat amor: cum carnifices manus et pedes Christi diris clavis perforabant, iisdem clavis Mariæ cor perforabat amor; cum Christi latus lancea aperuit Longinus, Mariæ cor pariter aperuit amor. Id vere asseritur cum sancto Hieronymo, amorem in Mariæ corde tristem emisisse echo, qui inflictis in Christi corpore ictibus respondebat: *nullum ictum recipiebat filii corpus, cui non tristis echo responderet in corde matris*. Et revera, si echo prout sentiunt philosophi, nil aliud sit, quam vocis sonus repercussus, revera fatendum amorem in corde Mariæ juxta crucem stantis tristem efformasse echo eorum omnium, quæ in Christi passione fiebant. Cum e cruce pendens clamabat Christus: *Deus meus*; amor Ma-

riam cogebat ad eandem vocem proferendam, et ad dicendum in corde suo: *Deus meus*. Cum clamabat Christus: *ut quid dereliquisti me?* Maria amore quo cruciabatur compulsata Deum clamabat: *ut quid dereliquisti me?* Cum clamabat Christus: *sitio*; dicebat et in corde suo Maria; *sitio*. Omnes tandem dolores quibus in Calvarie monte cruciabatur Christus, amore in cor Mariæ ferebantur, ibique tristem faciebant echo. Ideo dixit doctor Saraplicus, *singula vulnera per Christi corpus sparsa, in corde Mariæ fuisse unita*. Sicut enim omnes linee a circumferentia ad centrum uniri possunt, ita et Mariæ cor erat quasi centrum, ad quod terminabantur, et in quo omnes Christi dolores uniebantur. O Mariæ, Virgo dolorosa, quot vulnera in corde tuo intueor? quot spinas, quot clavos in eo video? O quam gravia in corde tuo sunt amoris vulnera? quis unquam talia in corde suo pertulit? cui unquam viventium amor se ita crudelem exhibuit? scio, nonnullas amantes amoris vi animam efflasse, et subito mortuos esse; Tu o Mariæ, non semel, sed centies, sed millies mortua es; quinimo dolores morte amariore passas es, quia filium dilexisti. Amor tuus tortor tuus extitit, qui ignitis suis jaculis tibi mortem millies intulit; ita ut moriens viveres, et vivens præ nimio dolore semper morereris; *quasi mortua vivens, vivebat moriens* (S. Ber. de lament. Virgin.). O fratres, discite amare, discite et pati; discite amare Christum, verum discite quoque pati pro Christo; non enim bene Christum amat, qui cum Christo et pro Christo pati recusat. Si cum Christo pati volumus, cum illo in celo non regnabimus; si cum illo patimur, cum illo etiam regnabimus; *si sustinebimus, et conregnabimus* (2. Tim. 2). Imitemur ergo Mariam, quæ passa est quia vidit et cognovit, multoque magis doluit quia Christum plurimum amavit. Ecce quare passa sit; videamus nunc modum passionum ejus, *seu quomodo passa sit*.

III PARS.

Quomodo Maria juxta crucem passa est.

Pati omnibus hominibus commune est; debito modo pati, hoc apud homines rarum est. Nullus hominum est, qui aliquid adversi interdum non perferat, paucissimi vero ex hominibus suas debite portant cruces, et advenientes tribulationes modo debito perferunt. Maria autem dirissima juxta crucem perpessa est, cuncta modo perfectissimo pertulit, quia hæc omnia passa est 1. magna cum animi constantia: 2. magna cum corporis modestia: 3. magna cura voluntatis suæ ad divinam conformitate.

1. Mirabilis est fortitudo et constantia, qua Maria juxta crucem, afflictiones quibus angebatur, et dolores quibus cruciabatur, pertulit; ut enim ejus constantiam manifestet sanctus Evangelista, ait non quod ipsa deliquitum passa sit, vel quod humi decubuerit, verum quod steterit; *stabat juxta crucem*. Christo patiente et moriente, sol eclipsim passus est, petra scisse sunt, et omnes creaturae præ dolore commote sunt. Mariæ vero tanta fuit constantia, tantaque animi firmitas, ut juxta crucem immobilis steterit; *stabat juxta crucem*. Unigenitum filium crucifigi, illum blasphemari, et in crucis patibulo mori videt, nec ideo animo liquitur, nec aliam defectioem patitur; omnes dolores, omnesque afflictiones, quas ex Christi supplicio et morte in semetipsa experitur, tanta, tamque heroica animi constantia portat, ut dicat doctor Sarraphicus, eam in medio afflictionum fuisse quasi firmamentum; *Virgo fuit cælum firmamentum per patientiæ firmitatem*.

In ipso mundi primordio fecit Deus firmamentum in medio aquarum; dixit quoque Deus, *fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis, et fecit Deus firmamentum*. Quamvis autem firmamentum immensa aquarum copia undique circumdaretur, immobile tamen et inconcussum

semper permanet; sic Maria in Calvarie monte amarissimis afflictionum aquis undequaque immergitur, ac sicut firmamentum, constans et immobilis semper perseverat: *Virgo fuit cælum firmamentum*. Discite, o christifideles, modum vestras portandi afflictiones, discite a Maria, qua constantia standum in adversitatibus. Heu! quot videmus, qui cum altioris perfectionis apicem attigisse credant, adveniente tamen vel minima tribulatione conturbantur, et totaliter deficient. Cum fiat prosperitatis aura, cum cælum eis ridet, cumque internis Spiritus Sancti consolationibus foventur, tunc in Dei obsequio se ferventes exhibent, tunc se fotos Deo in posterum consecrandos pollicentur: cum autem gravis quidam supervenit morbus, si moriatur filius, vel sinistrum aliud quidquam adveniat, mente turbantur, Dei obliviscuntur, et penitus dejiciuntur. O infirmam hujusmodi hominum virtutem! Nonne claudicare noscuntur in via virtutis! Nonne modo homine christiano indigno advenientes perferant tribulationes! Modum adversitates portandi discant a Maria, que eas portat magna cum animi constantia, *ac etiam magna cum corporis modestia*.

2. Mirabilis omni tempore extitit Mariæ modestia; pulchri semper fuerunt grassus ejus ac semper juxta modestiæ christiana; leges ita fuerit compositi omnes corporis ejus motus, ut quicumque eam viderent, in admirationem raperentur, ad pietatem excitarentur, eamque omnis modestiæ exemplar faterentur. Mirari est autem rectam hanc corporis sui compositionem et mirandam hanc modestiam in Calvarie monte, toto Passionis Christi tempore pretulisse, ita ut in gravibus quibus cruciabatur afflictionibus nec unicum verbum protulerit, nec vel minimum corporis motum fecerit, qui modestiæ legibus adversaretur *gladius animam ejus pertransiit, illa tamen modestiæ metas non transiit* (S. Antonin. 4 p. tit. 15). Maria in gravissimis suis afflictionibus non se habuit sicut mulierculæ illæ, quæ nec vel minimum quid æquanimiter et animo constanti pati norant; quarum, adveniente quavis adversitate, ubique murmur adversus Deum resonat, ubique querimonia, ubique clamores, et ut ait poëta, *fœmineum cla-*

morem ad cæli sidera tollunt. Imo non desunt quæ in adversitatibus spuntent veluti infernales furæ, et quæ verbis, gestibus, inordinatis corporis motibus omnes pudoris et modestiæ leges violent. Maria autem non sic; in vehementiore etenim dolorum et afflictionum excessu inordinatum nullum ex ore ejus prodiit verbum, nullusque in incessu et in corporis habitu apparuit motus, qui a modestiæ legibus declinaret; illa modestiæ metas non transiit. Passa est Maria cum magna animi constantia et magna corporis modestia; passa est etiam cum magna voluntatis sue ad divinam conformitate.

3. Magna quidem erat velut mare contritio et afflictio ejus; immensus erat dolor, quo angebatur cor illius; uberrimæ erant lacrymæ, quæ ex oculis ejus fluebant; sciens tamen decreto divino sanctum esse, Christum pro humani generis salute cruci affigendum, voluit illa quod volebat Deus. Et sicut Christus æterno Patri dixit: *non sicut ego volo, sed sicut tu* (Matt. 26); ita Maria in corde suo dicebat filio suo: *non sicut ego volo, sed sicut tu*. Non aliud volebat Christus, et aliud Maria; una utriusque erat voluntas; *omnino tunc erat una Christi et Mariæ voluntas* (Arnold. Tract. *de laud. Mariæ*). Christi voluntas pateræ erat omnino consentanea; et voluntas Mariæ cum æterni Patris et Christi voluntate omnino consentiebat. Volebat Christus conspui, alapis percuti, et flagellis cædi, hoc et ita fieri volebat Maria. Et licet nil durius, acerbius nihil accidere posset Mariæ, quam quod filius dirissima pateretur, et in cruce moretur; hoc volebat illa, quia hæc erat illi sui et æterni Patris voluntas. En maximam Mariæ cum divina voluntate convenientiam. Quid tamen majus addit s. Antoninus, ut patefaciat quantum divinæ voluntati Maria conformis fuerit, asserens Mariæ voluntatem ita cum divina convenisse, ut si statuisset Deus Christum a Maria matre crucifigendum, ipsa eum propriis manibus cruci affixisset, *Mariæ voluntas ita divinæ voluntati fuit conformis, quod si oportuisset, ad implendam voluntatem Dei ipsum filium in cruce posuisset atque obtulisset*. Quod sumptum videtur ex D. Augustino in Tractatu *de septem verbis Domini*, dicente:

*si opus fuisset, ipsa Virgo filium suum crucifixeret. O mirandam Mariæ cum divina voluntate conformitatem! Cur ergo tot christiani in adversitatibus suis a Dei voluntate dissentiant? Unum vult Deus, et ipsi aliud volunt; vult Deus ut infirmentur, et ipsi perfecta sanitatem frui optant; vult Deus ut in spiritu humilitatis et paupertatis incedentes regna cœlestia assequi mereantur, et illi divitiis affluere et ad dignitates sublimari ambiunt; vult Deus ut ipsi bonorum temporalium jacturam, filiorum mortem, hostium persecutiones et alias quasvis adversitates æquo animo perferant, et illi vel minimum quid adversi portare renunt; semperque adventiente quacumque adversitate, divinæ ordinationi adversantur. Sic igitur voluntati divinæ obistere presumentis? Absit. Itaque imitami Mariam: voluntas vestra cum divina semper consentiat, et missa a Deo quacumque adversitate, divinam adorate providentiam, justam proclamate ejus voluntatem, eique in omnibus voluntas vestra consentiat. In omni tribulatione dicite Deo: *Domine, fiat voluntas tua*: hoc volo, quod tibi placitum est; nec a voluntatis tuæ ordinatione inquam aberrabo. Non sit vobis satis excessum dolorum Virginis Mariæ contemplari, et afflictionum ejus causas scrutari; in afflictionibus vestris Mariam imitami; eas portate magna cum animi constantia, magna cum corporis modestia, et magna cum voluntatis vestræ ad divinam convenientiam: dabitque Deus mercedem laborum vestrorum, gloriam æternam. Amen.*

FERIA VI. POST DOMINICAM PALMARUM.

DE ACERBA CHRISTI PASSIONE.

Dicebant excessum, quem complectaris, erat in Jerusalem
(Luc. 9, 31).

De passionis Christi excessu dicere timeo, non quia, dum Christus patitur, scinduntur petreæ, sol deficit, tremis terra, omnisque natura commovetur; sed quia ex iterata passionis

morem ad cæli sidera tollunt. Imo non desunt quæ in adversitatibus spuntent veluti infernales furivæ, et quæ verbis, gestibus, inordinatis corporis motibus omnes pudoris et modestiæ leges violent. Maria autem non sic; in vehementiore etenim dolorum et afflictionum excessu inordinatum nullum ex ore ejus prodiit verbum, nullusque in incessu et in corporis habitu apparuit motus, qui a modestiæ legibus declinaret; illa modestiæ metas non transiit. Passa est Maria cum magna animi constantia et magna corporis modestia; passa est etiam cum magna voluntatis sue ad divinam conformitate.

3. Magna quidem erat velut mare contritio et afflictio ejus; immensus erat dolor, quo angebatur cor illius; uberrimæ erant lacrymæ, quæ ex oculis ejus fluebant; sciens tamen decreto divino sanctum esse, Christum pro humani generis salute cruci affigendum, voluit illa quod volebat Deus. Et sicut Christus æterno Patri dixit: *non sicut ego volo, sed sicut tu* (Matt. 26); ita Maria in corde suo dicebat filio suo: *non sicut ego volo, sed sicut tu*. Non aliud volebat Christus, et aliud Maria; una utriusque erat voluntas; *omnino tunc erat una Christi et Mariæ voluntas* (Arnold. Tract. *de laud. Mariæ*). Christi voluntas paternæ erat omnino consentanea; et voluntas Mariæ cum æterni Patris et Christi voluntate omnino consentiebat. Volebat Christus conspui, alapis percuti, et flagellis cædi, hoc et ita fieri volebat Maria. Et licet nil durius, acerbius nihil accidere posset Mariæ, quam quod filius dirissima pateretur, et in cruce moretur; hoc volebat illa, quia hæc erat illi sui et æterni Patris voluntas. En maximam Mariæ cum divina voluntate convenientiam. Quid tamen majus addit s. Antoninus, ut patefaciat quantum divinæ voluntati Maria conformis fuerit, asserens Mariæ voluntatem ita cum divina convenisse, ut si statuisset Deus Christum a Maria matre crucifigendum, ipsa eum propriis manibus cruci affixisset, *Mariæ voluntas ita divinæ voluntati fuit conformis, quod si oportuisset, ad implendam voluntatem Dei ipsum filium in cruce posuisset atque obtulisset*. Quod sumptum videtur ex D. Augustino in Tractatu *de septem verbis Domini*, dicente:

*si opus fuisset, ipsa Virgo filium suum crucifixeret. O mirandam Mariæ cum divina voluntate conformitatem! Cur ergo tot christiani in adversitatibus suis a Dei voluntate dissentiant? Unum vult Deus, et ipsi aliud volunt; vult Deus ut infirmentur, et ipsi perfecta sanitatem frui optant; vult Deus ut in spiritu humilitatis et paupertatis incedentes regna cœlestia assequi mereantur, et illi divitiis affluere et ad dignitates sublimari ambiunt; vult Deus ut ipsi bonorum temporalium jacturam, filiorum mortem, hostium persecutiones et alias quasvis adversitates æquo animo perferant, et illi vel minimum quid adversi portare renuunt; semperque adventiente quacumque adversitate, divinæ ordinationi adversantur. Sic igitur voluntati divinæ obistere presumentis? Absit. Itaque imitami Mariam: voluntas vestra cum divina semper consentiat, et missa a Deo quacumque adversitate, divinam adorate providentiam, justam proclamate ejus voluntatem, eique in omnibus voluntas vestra consentiat. In omni tribulatione dicite Deo: *Domine, fiat voluntas tua*: hoc volo, quod tibi placitum est; nec a voluntatis tuæ ordinatione inquam aberrabo. Non sit vobis satis excessum dolorum Virginis Mariæ contemplari, et afflictionum ejus causas scrutari; in afflictionibus vestris Mariam imitami; eas portate magna cum animi constantia, magna cum corporis modestia, et magna cum voluntas vestre ad divinam convenientia: dabitque Deus mercedem laborum vestrorum, gloriam æternam. Amen.*

FERIA VI. POST DOMINICAM PALMARUM.

DE ACERBA CHRISTI PASSIONE.

Dicebant excessum, quem complectaris, erat in Jerusalem
(Luc. 9, 31).

De passionis Christi excessu dicere timeo, non quia, dum Christus patitur, scinduntur petreæ, sol deficit, tremis terra, omnisque natura commovetur; sed quia ex iterata passionis

ejus enarratione multi nonnunquam pejores evadunt, imitati Judam et protervum latronem, qui ex furore Christi patientis et morientis sanguine nullam percipere emolumentum, verum ad pejora declinatunt, et obduratores effecti sunt.

Timeo equidem, nec modicus mihi subest timendi locus: adstantium tamen hic auditorum modestia, animus eorum ad audiendum paratus, necnon pietas quæ in facie eorum elucet, timorem meum quodammodo mitigant, spem erigunt, et fiduciam ingerunt, quod vestrum quisque benignas mihi præbebit aures; quod audita de excessu passionis Christi sedulo quisque meditabitur; quod ex publico isto conventu discedent omnes sua cum Centurione percutientes pectora; quod lacrymas cum Magdalena fundent omnes, atque ad meliorem vitæ frugem convertentur cum innumeris aliis, qui per Christi Salvatoris passionem meliores evaserunt. Accedite ergo in spiritu humilitatis, et docilitatis ad audiendam dominicæ passionis enarrationem; vanito, non ut studiosè elaboratam audiatu concionem, verum ut ex passione dominicâ ad indigno oratore vobis enarrata, ad fletum, ad cordis dolorem, ad criminum detestationem, et ad compassionem commoveamini. Hic est finis quem quisque vestrum sibi proponere debet. Ut autem aliquem ex Christi passione fructum elicere valeamus, Mariam stantem juxta crucem inspicimus; ibi flet illa, ploremus et nos; orat illa, oremus et nos; illa crucem contemplatur, crucem contemplerur et nos; ac ad crucem vota et preces nostras dirigamus, dicentes: *O cruz ave spes unica, etc.*

Si vis, inquit Doctor Seraphicus, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie, quanta potes devotione, mediteris Domini passionem; nihil enim in anima ita operatur universalem sanctitatem, sicut frequens meditatio passionis Christi. Singulis sane diebus a quocumque christiano serio meditanda Christi passio, per quam ad nos fluxit omne bonum: meditanda et mente potissimum revolvenda est hac die, in qua Christus passus et mortuus est pro nobis. Eam vobis meditandam propono ut excessum et sub nomine excessus: quia omnia in passione Christi nimia

et in excessu fuisse videntur, præcipue afflictiones, quibus cor Christi anxiatum fuit; humiliationes, quas Christus perpassus est; et amor, quo Christus erga homines accensus est. Hi sunt excessus, quos in Christi passione adnotavit Doctor Seraphicus; *Passionem*, inquit, *excessum nominat sanctus Evangelista, et recte quidem: quia in ea fuit excessus doloris, excessus humilitatis, et excessus amoris.* Ex sancto hoc doctore sumamus hujus meditationis materiam, et videamus in Christo patiente 1. excessum afflictionis ejus; 2. excessum humilitatis ejus; 3. excessum amoris ejus.

I PARS.

In Christo patiente fuit excessus afflictionis.

Quandiu in hoc mundo moratus est Christus, viator simul fuit et comprehensor; ac inter hujus vitæ molestias perfecta et summa semper gavisus est beatitudine; nullum enim fuit instans, in quo anima ejus clara et intuitiva essentia divine visionis non frueretur; nullum momentum elapsum est, in quo amore beatifico non potiretur. Et ideo cum in hac essentia divine visionis, et in hoc ejus amore consistat beatitudo, nullum instans assignari potest, in quo beatus non fuerit eo modo, quo Sancti in cælo sunt beati. Imo Christus in via omnibus sanctis beator fuit ratione unionis hypostatice Verbi divini, quod cum intime uniretur anime ejus, ei plus beatitudinis infundebat, quam omnibus aliis sanctis. Jamvero notate prodigium! Christus, cujus anima perfecta semper fruebatur beatitudine, in gravem et nimiam passionis suæ tempore incidit tristitiam. Gaudebat tunc simul et tristabatur; gaudebat secundum partem anime superiorem, et tristabatur secundum inferiorem partem, quia, ut ait Doctor Angelicus, *non fiebat redundantia gloriæ a superiori parte anime in inferiorem, nec ab anima in corpus* (3 p. q. 46, a. 8). Vel dicendum, quod tunc Christus summo gaudio frueretur et pariter summe tristaretur pro di-

versitate obsectorum pariter formalium, quæ menti ejus obiectebantur. Deo enim supernaturaliter capacitatem animæ Christi extendente et dilatante per concursum specialem, id operabatur, ut simul summum gaudium et summam tristitiam elicere et suscipere posset: *summum gaudium* ob essentiam divinam quam contemplantur; *et summam tristitiam* ob instantem sibi mortem, et ob alia objecta afflictiva, quæ menti ejus sese offerbant. Imo Christus summe simul gauderet, et summe tristebatur de sua passione: *de ea gaudebat* secundum partem animæ superiorem, quatenus scilicet illa a Deo erat volita, et ordinata ad hominum salutem: *de ea dolebat et tristebatur* secundum partem inferiorem, quatenus scilicet passio hæc natura noxia et contraria erat. Quantam ejus gaudium exiit, explicari nequit; quanta vero tunc ejus tristitia, quanta ejus afflictio fuerit, revelat ipsemet Christus, dicens: *tristis est anima mea usque ad mortem* (Matt. 26). Quasi dicat: ex viis apprehensione imminentis acerbissime passionis, instantium tormentorum et dirisime mortis, tanta tristitia, tanta afflictione, tantoque morore conficior, quanto si jam morerer; præ magnitudine afflictionis, qua premo, sustineo agoniam et dolores mortis, quales sustinent moribundi; ob nimiam afflictionem, quam patior, spiritus et vires deficiunt, ac quasi exanimari video; tanta tandem mea tristitia, ut ad mortem quasi me adigat, vitamque mihi penitus extorqueret, si tantillum crederet. Sentiebant stoici, virum sapientem nulli obnoxium esse tristitie; at falebantur graviter, quia Christus, in quo erant omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, tristatur in horto Gethsemani, tantaque tristitia afficitur, ut ex se lethifera sit et sufficiens ad necem ei inferendam, nisi per divinitatis virtutem a morte preservaretur. *Tristis*, inquit, *est anima mea usque ad mortem*, seu, ut explicat Titelmanus, *tanta premitur mortitudine cor meum, ut major via possit estimari, ita ut sufficiens videretur animam meam e corpore ejicere, vitamque finire, nisi me divinitatis virtus ad perferenda quæ supersunt passionum tormenta, sustentaret*. Quoquo versusum

spectabat Christus, nil nisi mororis et afflictionis causas cernebat. *Si præterita spectabat*, innumera videbat beneficia ingrato huic populo, qui in ipsum insurgebat, exhibita; infirmorum curationes, suscitationes mortuorum, prædicationes his habitas, fatigationes pro his susceptas, vigiliis toleratas, et orationes multas pro eorum salute fusas. *Si presentia inspiciebat*, videbat iniquum Judæorum concilium adversus ipsum congregatum, Judæ machinationem et discipulorum imbecillitatem. *Si ad futura se convertebat*, videbat flagella, opprobria, blasphemias, irrisiones, alapas, crucem, omniaque et singula tormenta sibi a Judæis infligenda; ac singulorum dolorum quos passurus erat, magnitudinem et acerbitatem intime penetrabat et ponderabat, ita ut illos jam pati sibi videretur. Prefatorum autem omnium apprehensio tantam ei tristitiam intulit, ut langueret, pallesceret, viribus deficeret et pene concideret. Christus per divinam et per infusam animæ suæ scientiam cuncta prævidebat quæ in toto passionis suæ decursu sibi ventura erant: *Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum* (Jo. 13). Præscientia sua clare cognoscebat, quanta futura erat Matris juxta crucem stantis afflictio; quantis ipse injuriis esset afflicendus, quantisque suppliciis plectendus. Mente revolvebat proditoris Judæ osculum, negationem Petri, Apostolorum scandalum, et civitatis Jerosolymæ destructionem. Perspicue videbat spinam illa coronam, quæ capiti suo infligenda erat, flagra quibus dilanianda caro; clavos, quibus perforanda manus; lanceam, qua pectus transfodiendum; et dira alia instrumenta, quæ ad torquendum corpus suum erant adhibenda. Et terribilis hæc idea suppliciorum tantam cordi ejus tristitiam intulit, ut ad mortem usque adactus fuerit, et anima ejus esse pulchro appropinquaverit: *repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit* (Ps. 87). Si coram magno quodam speculo to sisas, tui ipsius speciem exprimit, teque talem tibi exhibebit, qualis ipse coram illo fueris: si coram illo ambules, te in illo ambulantem videbis; si sedeas, sedentem; si manduces, manducantem; si rideas, ridentem; et si fleas, flentem. Christus autem in essentia sua divina, quasi in

speculo mirabili, cuncta videbat, quæ toto passionis tempore sibi eventura erant. In hoc speculo seipsum videbat, nunc flagellis casum, nunc spinis coronatum, nunc Barabæ postpositum, nunc cruci affixum, et nunc lanæa percussum: variæque illæ animo ejus insitæ sumpsit passuri imagines, terrorem, dolorem, tantanque animæ ejus causabant afflictionem, ut mirum sit, quod ob nimiam, quam patiebatur tristitiam, animam non efflaverit. Quamquam vero præ tristitia et afflictione, quæ gravabat, Christus mortuus non sit, ad ultimas tamen morientis angustias reductus est; ac præ nimio, quæ angebatur, morore sudorem emisit sanguineum: *et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (Luc. 27, 44). O immensitatem doloris, quo Christus ad extremum vitæ et mortis conflictum deductus est! O afflictionem pene infinitam, quæ Christus jam pene exanimis sudore sanguineo totus madet, ita ut sanguis ex omnibus corporis partibus manas usque ad terram diffluat: *sanguinis decurrentis in terram*. Contemplamur pretiosum sanguinem e Christi corpore fluentem, et ex sudore illo sanguineo quanta fuerit Christi afflictio investigare percontemur. Adiammentum præbuit S. Bernardus, qui de hoc sudore disserens, ait Christum sanguineas lacrymas ex omnibus corporis partibus emisisse: *non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur*. Ille vere *plorans ploravit in morte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus*. Ille, inquam, *plorans ploravit*; id est largiter et fusa ploravit: non ab oculis solum amobus, ab omnibus præterea corporis partibus ac ab omnibus poris sanguineas lacrymas fudit, quæ usque ad terræ superficiem abunde fiebant. Heu! quantus ille dolor; quanta hæc afflictio, quæ Christum ad fletum provocat, quæ totum corpus ejus in oculos fontes transmutat, et quæ eam ad sanguineas lacrymas e toto corpore fundendas cogit. Lacrymæ quæ ab oculis emittuntur, interioris afflictionis signa esse solent; et quo uberiores et amariores sunt lacrymæ, eo gravior persone fletus æstimatur tristitia. Quanta ergo Christi fuit tristitia; *Christi*, inquam, qui non solis oculis, sed omnibus corporis sui membris flevit? *Christi*, e cujus cor-

pore sanguineæ manarunt lacrymæ? *Christi*, cujus sanguineæ lacrymæ ita uberes exfluxerunt, ut usque ad terram fluxerint? Certe tunc tantus Christi fuit dolor, tanta ejus extitit afflictio, ut nulla major sentiri aut excogitari possit. Unde ipse per prophetam suum omnes interpellat homines, et ab iis postulat, ut serio attendant, et sedulo scrutentur, an quis unquam tanta, quanta ille tristitia confectus sit: *o vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus* (Thr. 1, 10). Quasi dicat, dolorem et mororem suum omnem alium dolorem et mororem superare, nec alium majorem excogitari posse. O Christe Salvator, magna sane est velut mare contritio tua; non parva vel mediocris, sed nimia est afflictio tua: *afflictus sum et humiliatus sum nimis* (Ps. 37, 9). Doce nos, queso, cur tanto cum excessu affligi et tristari volueris? Scio, o Domine, hanc tristitiam in te non fuisse necessariam aut involuntariam, ita ut rationis et voluntatis imperium in te præveniret, sicut in nobis fieri solet, cum aliquod molesti nobis accidit: hæc etenim tristitia fuit libera, et a te libere assumpta: tristatus es, quando voluisti, sicut voluisti, et quantum voluisti: cur ergo tantum voluisti sustinere tristitiam? Tantam sane Christum tristitiam experiri voluit, quia pro omnibus simul omnium hominum peccatis doluit et tristatus est. *Doluit*, inquit Doctor Angelicus, *pro peccatis omnium aliorum, qui dolor excessit omnem dolorem cujuscunque contriti, quia pro omnibus peccatis simul doluit, juxta illud Isaïæ (53, 4), vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* (3 p. q. 46, a. 6). Anima Christi in Deo videbat furta, adulteria, homicidia, sacrilegia, aliaque omnia et singula peccata omnium et singulorum hominum, qui ab Adam fuerunt, sunt et erunt usque ad finem mundi. Hæc omnia Christus, quasi propria essent, in se luenda et expianda suscepit, ut pro iis Deo offensus satisfaceret: itaque ponderata Dei offensi majestate ac singulorum scelerum gravitate, pro illis dolorem summum elecit, perinde ac si illa ipse perpetrasset. Commensurare voluit dolorem suum peccatis hominum, quorum multitudinem nimiamque malitiam perspicens, de iis dolorem concipere voluit

summum et nimium. Ecce cur usque ad mortem tristatur Christus: tristatus est quia voluit; non coacte et involuntario, sed *volens contristatus est* (Damas. *de fide* 3, 23). Tristari autem voluit pro omnibus omnium hominum peccatis, ut tristitia et dolore suo illa expiaret. Non ergo alibi; in temetipso quaeras tristitiam Christi causam; turpe enim illud crimen, quod in mediis noctis tenebris perpetrasti; adulterium illud quo animam tuam foecasti; tot furta, tot blasphemias, tot calumnias, totque alia horrenda et immania scelera, quibus Deum offendisti, hæc sunt causa tristitiam Christi. Tu ipse es qui Christum afflixisti. O homo, sicine Christo factori, benefactori et Salvatori tuo tristitiam inferis? cur potius illi placere et solatium afferre non conaris? Ille pro peccatis tuis dolet, cur tu pro tuis non dolebis peccatis? Dolet ille, doleas et tu; flet ille, fleas et tu; et in amaritudine animæ tuæ a Deo veniam supplex postula. Missus est ad eum Angelus consolator: *apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum* (Luc. 22, 43). Esto et tu Christi consolator; utque illi placeas, tua in temetipso dele crimina. Desine perverse agere, penitentiam ago, convertere ad Dominum Deum tuum; et super te penitentiam agente gaudium erit in corde Christi, et in toto caelo. Petebat a Patre Christus, ut ab ipso transiret calix passionis: *transseat a me calix iste*. Jam autem a te postulat, ut ab ipso ad te transseat; ut ab ipso innocente ad te reum et scelerosum migret amarissimus ille calix doloris et tristitiæ, quem ille primus hausit: a te petit, ut doleas de peccatis illis quæ perpetrasti, et pro quibus delendis tantam ipse tristitiam perpassus est: dolori suo tuum addi desiderat. Tristis ergo sit anima tua usque ad mortem; dolore maximo confentur cor tuum ob peccata, quæ in Deum perpetrasti; exitus aquarum deducant oculi tui; sit tandem in te, sicut et in Christo patiente, excessus afflictionis: *cujus interim meditare alium excessum, nempe excessum humilitatis*.

II PARS.

In Christo patiente fuit excessus humilitatis.

Christus non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: ille et Pater æternus unum sunt; et ratione unionis hypostaticæ ipse cum Patre et Spiritu Sancto est æternus, immensus, summe sapiens et in omni perfectionis genere indefinitus: Ipsi propterea summus honor, summa reverentia, summusque cultus debebatur, ac coram illo flectendum omne genu, cælestium, terrestrium et inferorum. Ipse tamen ejus magnitudinis non est finis, cujus gloria replet orbem, usque ad excessum in passione se humiliavit: *ego autem humiliatus sum nimis* (Ps. 115, 1). Contemplamini, quæso, istum, *cum* a Juda pretio vilissimo venditur; *cum* a militibus ad eum tamquam ad latronem euntibus apprehenditur: *cum* ut reus ad urbem Jerosolimitanam ducitur: *cum* judicandus coram pontificibus sistitur: *cum* alapis a pessimis viris percutitur; *cum* Barabbas postponitur: *cum* illuditur, flagellatur, spinis coronatur, et crucis patibulo affigitur: ac serio ponderate, quot tunc opprobria, quot derisiones, quot iniquas accusationes, quot impropria, quot blasphemias æquo animo sustinuerit, et paulisper saltem intelligetis illius nimiam et incomprehensibilem extitisse humilitatem, quodque tunc pro nimia humilitate se vere exinaniverit: *semetipsum exinanivit* (Phil. 2, 7). Non ab uno dumtaxat, vel ab altero Christus passionis suæ tempore despicitur: verum ab amicis et inimicis, a Judæis et Gentilibus, a magnatibus et a vili plebecula, a Scribis et Phariseis, a regibus et pontificibus, ac fere ab omni personarum genere. *Despectus* tunc fuit a Juda, quem in Apostolum elegerat, et quem ut amicum diligebat, cum ab illo sit venditus pretio vili: *despectus* est a Petro Apostolorum principe, cum ab eo pluries negatus fuerit: *despectus* est ab aliis discipulis, cum eo relicto fugerint: *despectus* est a militibus, cum ab eis captus fuisset ut

latro, et tanquam malefactorum pessimus: *despectus* est ab Anna, qui licet Christi servus esset, iudicium tamen ejus se constituit: *despectus* a domesticis pontificum, qui eum depalmarunt, iriserunt, et tota nocte ludibriis et opprobriis affecerunt: *despectus* est ab Herode, qui eum, ut stultum, alba veste indui jussit: *despectus* est a vili populo, qui cum Barabbæ postposuit, eamque cruci affigi postulavit: *despectus* tandem est a Pilato, qui licet eum innocentem agnovisset, illum tamen flagellari voluit ut vilem homuncionem, spinis coronari ut regem imaginarium, et crucifigi ut gravium criminum reum. O Christe Salvator, cur tot opprobria, totque derisiones a tot diversis servis tuis pati dignaris? Cur non Patrem rogas, ut legionem mittat Angelorum, qui hos nominis et gloriæ tuæ contemptores dire plectant, interimant et totaliter destruant? Cur tu infinita quo polles potentia eos omnes ad nihilum non redigis? Hoc sane posset Christus, et hoc facillime fecisset, si voluisset: e contra despicit amat humilitatis magister et doctor. Non enim injuriis sibi factis exacerbatur, et ad vindictam provocatur: quinimo eo mitiorem et humiliorum se exhibet, quo magis ab inimicis despicitur et vilipenditur. Humiliat se Christus non solum ut leves quosdam injurias benigne perferat, verum, ut ait Origenes, *humiliavit senectipsum usque ad palmas, usque ad confusionem spiritamentorum et flagellorum*. Adde, quod ita se humiliaverit, ut quascumque injurias, quævis opprobria, omnimodas irrisiones et quocumque ludibria ab omni hominum genere non solum libenter, sed et ardentè deprecaverit. O infandam hominum malitiam, qui regem Angelorum et creatorem omnium entium ita despexerunt! O portentosam etiam Salvatoris humilitatem, qui derisionibus, opprobriis, calumniis et ludibriis saturari voluit! Despectus ab omnibus etiam, ut perpendit Doctor Seraphicus (Serm. 6 in Paras.), in omnibus locis despicitur et contemptui habetur Christus. *In horto*, ubi ligatur ut homo gravium criminum reus: *in domo Annæ*, ubi ab impudentissimo ministro-alapa ceditur: *in atrio Caiphe*, ubi conspuitur: *in hospitiis Herodis*, ubi illudatur: *in prætorio*

Pilati, ubi flagellatur, Barabbæ postponitur, et iuque condemnatur: *in via ad montem Calvarie*, ubi crux ab eo balulatur: *in ipso Calvarie monte*, ubi cruci medius duos inter latrones affigitur. Heu! Domine, cur tot in locis te despicit pateris? in omni loco dominationis tuæ tibi debetur omnis honor et gloria: cur ergo te ubique contemni, despicit et contumeliis affici sinis? Hoc vult Christus, ut ubique humilitatem doceat, et ubique profundioris humilitatis exempla præbeat. In horto Gethsemani, in domo Caiphe et in aliis locis sperni et despicit elegit, ut exemplo suo humilitatem ubique predicet. O mirandam Christi humilitatem! Quam adhuc majorem fuisse censebit qui animadvertet, quod ipse in plerisque perfectionibus suis contemni voluerit. In divinitate quidem illum inimici contempserunt, eum illum esse Deum negaverunt: *tu homo cum sis, facis te ipsum Deum* (Joan. 10, 33). In regia dignitate, cum illum ut regem agnoscere noluerunt; *non habemus regem, nisi Cæsarem* (Id. 19, 15). In sapientia, cum eum insanie et stultitiæ accusarunt, dicentes: *dæmonium habet et insanit* (Id. 10, 20). In doctrina, cum eum scientia et artibus suis populos fallere et seducere dixerunt; *seductor ille*. In probitate vitæ et in mortum sanctitate, cum illum blasphemum vocarunt; *blasphemavit; quid adhuc egenus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam* (Math. 26, 65). In gratia, seu potentia miraculorum, cum illum in nomine Beelzebub dæmonia eijcere asseruerunt; *in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia* (Luc. 11, 15). In pulchritudine corporis, cum corpus ejus flagris dilaniarunt, ac spinis, clavibus, aliisque immanissime sevitiæ instrumentis ita deformarunt, ut nulla superesset ei species, nullusque decor; *non est species et, neque decor* (Isa. 53, 2). In fama tandem, cum eum conviciis, calumniis, omnibusque modis denigrare conati sunt, ac nomen ejus de hominum memoria dolere; *eradanus enim de terra viventium et nomen ejus non memoretur amplius* (Jerem. 11, 19). O excessum humilitatis Christi, qui in omnibus gloriæ titulis quibus emicat, despicit et contemni vult. S. Bernardus Senensis in Christo patiente abyssum et excessum hu-

militatis ex septemplici capite auspicatur. *Primo* ex derisione; qui enim est rex Angelorum, et cui summa debetur reverentia, factus est ludibrium impiorum, et quasi pila derisionis eorum, qui illi illudentes, eum ad alterutrum mittebant. Nam Annas misit illum ad Caipham, Caiphæ ad Pilatum, Pilatus ad Herodem, et Herodes remisit eum Pilato, ac ubique in supradictis locis atque in itineribus derisus est. *Secundo* ex flagellatione; rex enim cœlorum ab iis, tamquam vilis servus, spoliatus et dirissime flagellatus est. *Tertio* ex coronatione; eum enim in derisum purpura induerunt et spinis coronarunt, quasi rex esset stultorum et iniquorum. *Quarto* ex nuditate; nam in cruce totaliter nudus crucifixus est. Quanta autem ignominia fuit, Filium Dei, quem adorant Angeli, in cruce nudatum ab omni populo videri absque ullo velamine, quod nec viro cuique, quantumvis sceleroso, lex denegabat. *Quinto* ex crucifixione: hoc etenim erat suppliciorum turpissimum, ad quod illum condemnarunt, ut illum omni populo contemptibilem redderent. *Sexto* ex blasphematone; portentose enim sunt blasphemie, quas alta voce contra Dominum deficientem, morientem et pendentem in ligno, ac toto corpore sanguine defluentem impissime ejaclati sunt. *Septimo* ex confusione; quanto enim quis in gloria sublimior tanto ejus confusio efficitur major. Quanta ergo fuit confusio Christi, cujus dignitas erat suprema et sublimitas summa? Que confusio, inquit S. Bernardinus, quod homo tam nobilis nature, tam speciosæ formæ, tante sapientie, tante in miraculis faciendis potentie, tante fame, tante sequelæ ac tanta gloriæ, taliter fuerit derisus, tam dire flagellatus, afflictus, spinis coronatus, totus nudatus, tam atrociter cruci affixus, ad omnium spectaculum in cruce levatus et tam cradeliter blasphematus! Quis quanta tunc fuerit Christi confusio exprimere valeat? quis concipere possit, quanta Christi talia demisso animo patientis fuerit humilitas? Certe maxima et nimia fuit Christi patientis humilitas. Que magis adhuc elucescet, si eam opponamus honori, quo paucis ab hinc diebus affectus fuerat in urbe Jerosolyma: tanto enim cuique durius est despici et con-

temni, quanto antea exaltatus et honoratus fuerat: nam, ut omnes fatentur, cum gloria in ignominium vertitur, et cum quis post susceptos honores statim deprimitur et ad ignominias declinat, hoc illi molestius et confusibilis esse solet. Vido ergo quantus ei honor exhibitus in die Palmarum, simulque considera quanta ignominia mox affectus fuerit in die passionis. *In die Palmarum* cives Jerosolymitani ei personam obviæ venerunt, eumque in Jerusalem deduxerunt; in die vero passionis idem cives illum ut latronem apprehenderunt, Barabbæ postposuerunt, et de eadem civitate eiecerunt. *In die Palmarum* eum laudaverunt et honoraverunt clamantes, eum esse benedictum, salvatorem et regem Israël; in die passionis eum salvatorem et regem esse negaverunt; ac eum irrisionibus, impropriis et blasphemis lacesserunt. *In die Palmarum* Jerosolymitani cives, scindentes ramos palmarum et olivarum, flores et folia sternebant in via, ut ipsi honorem impenderent; in die vero passionis non palmas videt Christus, sed virgas; non flores, sed spinas; non folia, sed clavos; non ramos, sed crucem. *In die Palmarum* ut Christum Jerosolymitani cives honorarent et glorificarent, propriis se exuebant vestimentis, ea sternebant in via, illaque villis animalis, cui insidabat Christus, pedibus submittebant; in die vero passionis, qui propriis antea se vestibus exuerant ut Christum honorarent, illum vestimentis ejus spoliati; et insuper in derisionem illius nunc purpura, nunc veste alba illum induunt: nunc oculos ejus velant; nunc faciem ejus pugnis et palmis percutiunt, nunc eam sputis polliunt. Eo quomodo gloria conversa sit in dedecus; en quanta extiterit Christi humilitas, qui post susceptos multos honores in die Palmarum, voluit in die passionis contemni, despici, derideri et contumeliis horrendis affici. Discamus, fratres, discamus a tanto Doctore humilitatem, ab illo obedientiam, ab illo patientiam, ab illo charitatem, ab illo omnes virtutes discere possumus; at præcipue humilitatem. Licet enim in hunc mundum venerit, ut nos omnis virtutis viam doceret, se tamen humilitatis Doctorem præsertim exhibet, dicens: *discite a me, quia*

mitis sum, et humilis corde. In horto Gethsemani, in domo Calphæ, in prætorio Pilati, in monte Calvarie et in aliis locis, in quibus passionis mysteria adimpleta sunt, excessiva nobis humilitatis præbet exempla et ubique exemplis suis clamat, ut humiliari discamus: *discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (Mat. 11, 29). O viri elati, humilitatis Doctorem audite! o homines superbi, in faciem et in exempla Christi respicite. Ab illo discite humilitatem, et quanto majores, quanto meritis potiores, quanto dignitate eminentiores estis, eo et humiliores estote: *quanto magnus es, humiliat te in omnibus* (Eccl. 3, 20). Durum vobis est aliis subici? respicite Christum, qui licet Deus et omnium Dominus esset, vilibus tamen creaturis subdi voluit. Durum est levia quedam convicia a quo animo tolerare? Videte Christum, qui opprobria, convicia et contumelias quascumque hilariter pertulit, ut vos humilitatem doceret. Durum vobis ab inimicis percuti, et ad mortem quaeri? Spectate Christum, cui ab hostibus flagellari, spinis coronari, conspui et crucifigi placuit, ut ab illo disceretis humilitatem. Discite ergo superbiam fugere, et humilitatem sectari exemplo Christi, cujus vidistis excessum humilitatis, *cujusque oportet adhuc intueri excessum amoris.*

III PARS.

In Christo patiente fuit excessus amoris.

Semper Christi in homines charitas innotuit: verum in passione latissime patuit; tunc enim quot suscepit vulnera, tot aperuit ora ad suum in nos amorem predicandum: ac certe, ut ait sanctus Bernardus, *clamat crux, clamat clavus, clamat vulnus, quod nos vere dilexit Deus.* Hæc quidem omnia clamant, quod Christus in passione nos dilexerit. Re quidem vera nulla necessitate cogente, voluntarie, libere et ex ardente, quo in nos fervebat amore, flagellis casti, spinis coronari, cruci affigi, aliaque passionis tormenta perferre dignatus est. Non enim

Judæi solum manus ei violentas intulerunt; amor ipso fuit minister et carnifex a quo ligatus est, ad præsidēs productus, flagellis cæsus, spinis cruentatus, in crucem actus, ac lancea perforatus. Hæc omnia pati voluit ob nimium erga nos miseros amorem, et ut *per vulnera carnis paterent viscera charitatis* (S. Ber.). Querunt nonnulli, cur Christus in hortum, intium passioni daturus, recesserit? cur denudari, flagellari et capiti suo spineam coronam imponi voluerit? cur vulnerari, cruci affigi, et innumera tormenta sustinere concupiverit? Unica responsio his omnibus questionibus satisfieri potest, dicendo, quod hæc omnia fecerit, et passus sit ob incomprehensibilem et nimium amorem in homines: *in hac magnitudine passionis, magnitudo consideretur amoris* (S. Bern. de pass. c. 4). O quam fulget, o quam in passione ardet Christi charitas! Ibi certe commendat Christus charitatem suam in nobis. Si enim pro amico, pro homine probo et virtute predicto quis vix mori velit, quanta fuit Christi charitas, qui pro hominibus ingratis, pro peccatoribus obduratis, pro servis impiis, et pro inimicis infensissimis flagellari, conspui, et dirissimam mortem obire voluit? Hæc vere nimia Christi erga nos charitas: *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos* (ad Eph. 2). Vere nimia est, inquit S. Bernardus, hæc Christi charitas in se considerata, quia *mensuram excedit, modum superat, plane supereminet universis.* Vere nimia, si inspicimus personam que patitur, Christum scilicet, qui unicus æterni Patris Filius est; qui immetus, æternus et infinite perfectus est, qui Rex regum et Dominus dominantium est. Vere nimiam se prodit etiam Christi charitas, si spectantur illi pro quibus patitur; scilicet homines peccatores, superbi, elati, ingrati, terrenis affixi, coelestium contemptores, carnales, ad omne bonum inepti, et ad omne malum proclives: certe nimia est Christi charitas, quod pro hujusmodi hominibus pati et mori voluerit. Major charitas hæc censetur, quod quis pro amicis sanguinem fundere et mori velit; *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joann. 15, 13). Charitas Christi nimia, excessiva et major

maiore alia quavis charitate fuit, quia non pro amicis solum, verum et pro inimicis, pro peccatoribus, imo et pro persecutoribus suis pati et mori dignatus est: *Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis* (1. Pet. 3, 18). Si potentissimus quidam monarcha viles quosdam homines ad triremes damnatos, vel sub dira Turcarum servitute gementes, ex mera sua bonitate, ingenti pretio redimere vellet, magnus sane ejus in illos censeretur amor: si autem non solum pecunia, etiam suo sanguine illos emeret, major adhuc ejus esset amor; imo et nimius; nec enim aliquis eum nimis vilia illa mancipia dilexisset non censeret. Quanto potiori jure nimia Christi in homines dicenda est charitas? Nimia sane est? cum ipse coli et terre monarcha pro hominibus peccatoribus, pro hominibus indignis et ingratis, sub demonis servitute gementibus, flagellari, spinis coronari, et in probroso crucis patibulo mori voluerit. Ecce nimiam et in æternum prædicandam Christi charitatem, quam Deus in nobis commendat; *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (Rom. 5, 9). Hæc est nimia et excessiva illa Christi charitas, de qua specialiter loquebantur Moyses et Elias in monte Transfigurationis: *dicebant excessum, quem completurus erat in Jerusalem* (Luc. 9). Que verba evolvens S. Thomas a Villanova, clamat Christum nos amasse cum excessu, et ultra omnem numerum et mensuram. «O vere, inquit, excessum maximum! o ecstasim potentissimam! Excessisti metas omnis rationis et intellectus, Domine, in Jerusalem. Supra modum in me amando excessisti, Deus meus. Omnia in numero, pondere et mensura fecisti, sed sine numero, pondere et mensura me amasti. In hoc redemptionis nostræ opere nullus est numerus, nulla est custodita mensura, sed prorsus excessus nimius et nimietas excessiva. In omnibus alioquin moderatus et mensuratus: in solo amore fuisti nimius. An non nimietas grandis, an non excessus nimius, ut Deus moriatur pro homine? pro opere suo conditor? creator pro creatura; o ecstasim exuberantis amoris! ferventis charitatis excessum (Serm. de Transf.)!»

Ut autem melius excessum charitatis Christi patientis concipias, perpende interminatas altitudinis, latitudinis, longitudinis et profunditatis ejus dimensiones. Charitatis Christi patientis tanta fuit altitudo, ut omnem supergressa eorum altitudinem, ad ipsa pervenerit æterni Patris viscera, illumque adversus homines iratum placaverit. Tanta ejus fuit latitudo, ut se extenderit ad omnes penitus homines, etiam inimicos et persecutores, pro quibus omnibus oravit et passus est. Tanta longitudo, ut ad ultimum usque vitæ exitum nos ardentem amaverit. Tanta profunditas, ut nec cogitatione percipi possit, quantus et quam altus Christi erga homines amor extiterit. O portentosum amoris Christi erga homines excessum! In eo fuit excessus amoris constantis, quia qui ab æterno nos dilexerat, dilexit et nos usque ad extremum vitæ suæ terminum. In eo fuit excessus amoris voluntarii, quia cum posset non mori, pro nobis voluntarie et libere mortuus est. In eo eluxit excessus amoris liberalis, quia cum unica pretiosissimi sanguinis sui stilla, imo et unico voluntatis suæ actu posset nos redimere, pro nostra tamen salute totum sanguinem in flagellatione, in coronatione, et in cruce fundere dignatus est. In eo apparuit excessus amoris patientis, quia durissima supplicia et mortem acerbissimam pro nobis pertulit. In eo emicuit amoris singularis, quia ita pro omnibus mortuus est, ut et pro singulari ac pro quolibet mortuus sit; *qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me* (Galat. 2). O incomprehensibilem amoris Christi excessum! o amorem omni amore majorem! Tu vero, homo, «tantum Christi amorem quo amore compensabis? Tantos in te benevolentie fructus quo officio comparabis? Quidquid in ejus obsequium erogaveris, parum est; quidquid in ejus servitatem impenderis, minus est; nec si animam dederis, aut sanguinem fuderis, compensabis» (S. Chrys. in Joan.). Verum est, quod si milles pro Christi gloria mortem obires et sanguinem funderes, nondum amore quo te persecutus est, digne compensares: jamvero a te tanta non exigit Christus. Vult solummodo, ut amantem ames, et amori amorem reddas. Excessu amoris quo te dilexit, voluit tantum ad recipiendum amorem te excitare et

attrahere. Dum enim nos tanto cum excessu amavit, dumque nobis ingratis et inimicis benefecit, carbones super caput nostrum congestit, ut ei reciprocum amorem rependere cogamur. Oderant primo Josephum fratres, ita ut nec ei quidquam pacifico loqui possent, et ideo eum venderunt, eumque perdere decreverunt. Verum postea mire sibi eorum amicitiam conciliavit Joseph: princeps etenim Ægypti factus, eos ad sui amorem allexit oblivione injuriarum, blanditiis, osculis, amplexibus, lacrymis, suspiriis, epulis et continua eorum sustentatione: *osculabatur singulos, et per singulos flebat, et irriguis lacrymis parentium colla perfundebat; itaque odium fratrum lacrymis abluebat* (D. Aug. ser. 83 de temp.). Externis his amicitiae signis Joseph fratrum iram placavit, et eorum sibi amicitiam conciliavit. Unde in amore eorum fratres deinde exarsere, de irrogatis ei injuriis dolere, ac ab eo veniam exire petiere, palamque protestati sunt, se in posterum addictissimos ejus servos futuros: *veneruntque ad eum fratres sui et prout adorantes in terram, dixerunt: servi tui sumus* (Gen. 50. 18). Videte, fratres, quanta fecerit Joseph, ut ad sui amorem fratres alliceret. Verum quanto majora amoris signa Christus nobis prastitit! non solum flevit super nos, vel panem nobis materialem dedit, sicut Joseph; tanto nos excessu dilexit, ut pro nobis flagellari, spinis coronari, cruci alligari, et in cruce mori voluerit. Quis ergo tantum amorem amare non compensabit? quis non amabit Christum, qui tantopere nos amavit? O homo, si non sis totaliter insensibilis, amabis Christum, qui tanto te affectu, tantoque excessu dilexit. Ama illum, ita ut adversus illum non pecces, illumque virtutibus et bonis operibus honorare contendas: ama illum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis: ama eum super omnia. Et ut ejus amore magis accendatur cor tuum, respice ejus effigiem, quam oculis tuis objicio. Amor in cordibus nostris magis accenditur, cum objectum amabile nobis contemplandum offertur: ideo ut in cordibus vestris magis ardeat amoris ignis: oculis et mentibus vestris Christi crucifixi imaginem objicio. Ecce, o homo peccator, Christum tuum: ecce

illum in quo tantus afflictionis, humilitatis et amoris excessus eluxit. Vide et devote contemplare hanc Christi pro te morientis et mortui effigiem: vide caput ejus dirissimis spinis coronatum, os ejus amarissimo felle potatum, manus et pedes clavis perforatos, latus dira transfossam lancea; ac totum corpus acerbissime cruentatum. Vide Christum cruci affixum, et ab eo pete, quis faciem ejus deformarit, quis caput spinis coronarit, quis totum corpus ejus dilaniarit, quis illum crucis patibulo alligarit; respondebit, quod hæc omnia fecerit amor tui, quodque hæc omnia passus sit, quia te amavit. Ama ergo amantem te; ama pro tui amore tam gravia patientem. Vide in capite, in manibus, in pedibus et in latere Christi, characteres amoris ejus erga te; ibi lege, quantus ejus in te fuerit amor, et identidem protestare, te in posterum eum amaturum super omnia. Dic ei ex imo cordis tui: *diligam te*, Domine, ardentem; *diligam te* constanter; *diligam te* plusquam me, et nihil amabo, nisi te, aut propter te. Dic ei: quis mihi det, ut amem te amore perfectæ quæ mihi det, ut amem amoris illius moriar, qui amore amoris mei mori dignatus est? Domine, vivere et mori volo pro te; fac ut ardeat cor meum illo charitatis igne et in hoc mundo, et in celo. Amen.

DOMINICA PASCHATIS.

DE CHRISTI RESURRECTIONE.

Surrexit, non est hic (Marc. 16).

Felix et veneranda plurimum ista dies, in qua Redemptor noster inaudito hactenus stratagemate, de morte, de sepulchro et de inferno triumphavit.

*Salve festa dies toto venerabilis ævo,
Qua Deus infernum vicit, et astra tenet.*

(Lactant. Firm.).

Fortunatissima ista dies, in qua Christus Dominus post tri-
dium voluntarie mortis somnum, tandem ad immortalem et
gloriosam vitam surrexit. Felix supra modum, et beata ista
dies, in qua Salvator mundi caelestem misit spiritum, ut ho-
minibus se resurrexisse annuntiaret: *surrexit, non est hic*.
Tristes maxime erant Apostoli de nece sui Domini; gravi corda
eorum conficiebantur morore; imò de futura ejus resurrectione
aliquatenus dubitabant; quapropter ineffabili superfusi sunt
gaudio, cum eum resurrexisse didicerant. Gavisus sunt Apostoli,
gavisus est Maria, gavisus sunt pie illæ mulieres, quæ ad Christi
sepulchrum se contulerant, et gaudere debent omnes fideles, qui
solemnem Resurrectionis Dominico diem recolunt: utpote quia
Christi resurrectione fides nostra stabilitur, spes firmatur, cha-
ritas augetur, ac mirabile resurrectionis spiritualis exemplar
nobis proponitur. Gaudete ergo, iterum dico, gaudete, quia sur-
rexit Dominus. Atque ut gaudium vestrum sit plenum, admira-
bilis resurrectionis Christi mysterium probemus, expendamus,
et ex eo ad morum nostrorum emendationem salutaria docu-
menta eliciamus. *Regina cœli letare.*

Christi resurrectionem perpendo respectu Judæorum, Aria-
norum et Catholicorum. *Judæi* Christum a mortuis surrexisse
negant, fidem præbentes dormientibus custodibus, qui, accepta
pecunia, avulgarunt a sepulchro ablatum ab ejus discipulis; *Ariani*
eum verè resurrexisse, non tamen eum Deum esse crede-
bant; multi ex *Catholicis*, qui Christum esse Deum ac verè
resurrexisse firmissime tenent, tali resurrectione ad mores suos
melius et perfectius componendis non excitantur. Falluntur Ju-
dæi, quia Christus surrexit verè, nec de resurrectione ejus aliquis
est dubitandi locus. Falluntur Ariani, quia Christus est Deus, et
ipsum esse Deum, ipsa ejus resurrectio clarissime testatur. Fal-
luntur Catholicis qui Christi resurrectione meliores non sunt,
quia Christus in resurrectione sua iis præclaram a peccatis

surgendi et recte vivendi normam præbet. Hæc omnia plenis-
sima certitudine nituntur et sole clariora elucent; igitur fiden-
ter assero Christi resurrectionem esse dogma, argumentum et
mysterium; *dogma* quidem verissimum, de quo dubitari non
potest; *argumentum* fortissimum, quo Christum esse Deum
perspicue probatur; et *mysterium* grande, quo ad mores no-
stros recte componendos erudimur. Christi resurrectio 1. *est*
dogma, quo nullum clarius in sacra Scriptura probatur; 2. *est*
argumentum, quo ad probandum Christi divinitatem nullum
fortius invenitur; 3. *est mysterium*, quo ad morum correctio-
nem nullum aptius videtur. Ea tres hujus concionis partes.

I PARS.

*Christi resurrectio est dogma, quo nullum clarius
in sacra Scriptura probatur.*

Inter omnia sublimia et recondita fidei nostræ dogmata Chri-
sti Domini resurrectio usque adeo admiranda est, ut captum
omnem Judæorum, Gentilium, et antiquorum Philosophorum
exsuperarit. Unde cum Paulus apud regem Agrippam et pro-
consulem Festum de ea agere suscepit, insanus estimatus est,
et cum Athenis de ea sermonem habuit, nugivandulus, blatero,
verborum seminator, magus, ariolus et novorum dæmoniorum
annuntiator appellatus est. Nec mirum, cum et ipsi apostoli piis
mulieribus Christum resurrexisse nuntiantibus vix crediderint
et deliramenta esse putarint, quæ de Christi resurrectione di-
cebant: *visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista*
et non crediderunt illis (Luc. 24, 11). At Christus tot modis,
totque argumentis se resurrexisse probavit et manifestavit, ut
de ejus resurrectione nullus dubitandi locus superesse possit.
Pollicitus erat Christus, se tertia post mortem die resurrectu-
rum: et ideo Judæi ne deciperentur, vel ut resurrectionem
ejus impedirent, aut celarent, supra tumulum ejus, grandem,
gravelem, nec facile mobilem posuerunt lapidem, quem urbis

signaculo sigillarunt, et quasi hæc minime sufficerent, militum cohortem delegarunt, ut sic opertum et sigillatum sepulchrum sedulo custodirent. Quid autem possunt homines adversus Christum Dominum? vix tertia ab ejus morte dies lucere capit, beata ejus anima e limbo egrediens ad sepulchrum properavit, ubi corpus suum assumpsit, animavit et vivificavit: moxque Christus inde gloriosus migravit. Tria autem tunc facta sunt, quæ ipsum vere resurrexisse probant: 1. *Terror motus factus est magnus* (Matt. 28, 2), ut eo excitarentur custodes, et resurrectionis Christi testes fierent: 2. *Angelus de celo missus sepulchri revolvit lapidem, non ut e sepulchro extret Christus, qui sepulchro clauso jam surrexerat, sicut clauso Virginis utero-natus erat, sed revolvit lapidem Angelus, ut custodes et alii quilibet videre facile possent, Christum jam surrexisse: non putemus Angelum idcirco venisse, ut aperiretur sepulchrum Christo Domino resurgenti: sed postquam Dominus resurrexit, indicasse quid factum est, et sepulchrum vacuum revolutione lapidis ostendisse* (D. Hier. ep. ad Hedip. q. 75): 3. *Idem Angelus Christum surrexisse nuntiavit: ipsi enim mulieribus, quæ ad sepulchrum venerant, ut Christi corpus ungerent, dixit: Jesum queritis crucifixum, surrexit, non est hic.*

Eccæ primam pro resurrectione Christi rationem, quæ adhuc validior et efficacior videbitur, si inspiciamus quæ intra sepulchrum inventa sunt: cum enim, invitante angelo, plæ mulieres sepulchrum intraverint, nil in eo repererunt præter linteamina, quibus Christi corpus involutum fuerat. Attonitæ simul et letantes, Jerosolymam confestim adierunt, ut discipulis hetum resurrectionis Christi nuntium afferrent. Quarum verbis fidem detrectantes illi, ut an quæ dicebant, vera noscerent, ad sepulchrum occurserunt, ubi visis dumtaxat linteaminibus, simul cum mulieribus Christum resurrexisse, nihilque aliud præter linteamina in sepulchro ejus vidisse testati sunt. Gravia quidem sunt hæc testimonia ad asserendam Christi resurrectionem: gravius tamen et validius videtur testimonium datum ab inimicis nostris, seu a custodibus sepulchri: ipsi enim

qui ex terræmotu, et ex angeli aspectu conterriti fuerant, excusso tandem metu, Jerosolymam se contulerunt, ubi quæ viderant et audierant, sincere enarrarunt. Quibus auditis, tota commota est synagoga, ac coacto concilio, vocati sunt custodes, qui palam dixerunt quæ hora Christus surrexerit, sub qua figura angelus apparuerit, quomodo lapidem e sepulchro revolverit, et quomodo in eo nil præter linteamina inventum fuerit: *quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant* (Matt. 28, 11). Quis ad hæc de Christi resurrectione hæreat? certe nec ipsi Judæi de ea amplius dubitarunt: eum vere surrexisse crediderunt; at diabolica adversus Christum accensi invidia, ut ejus resurrectio celaretur, *pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite, quia discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum, vobis dormientibus* (Ib. v. 12). O malignam adinventionem! quomodo enim Christi corpus furati essent discipuli, qui homines pauperes, rudes, ac ita meticulosi erant, ut neque in hominum conspectum prodire auderent? quomodo discipuli, qui instante Christi passione, *eo relicto, fugerunt omnes*, tunc ausi essent adire et aperire sepulchrum, ac Christi corpus auferre in conspectu adversæ cohortis armatorum militum, qui custodiebant illud? hoc omnino Bæti, credique nequit. Dicent forte custodes, quod ipsi tunc dormirent; si vero dormiebant, quomodo viderunt Christi corpus ab ejus discipulis auferri? *si dormiebant custodes, unde scire potuerunt, quis illum sustulerit de sepulchro?* Jam vero quomodo discipuli in hortum intrare, gravissimum tollere lapidem, et Christi corpus auferre potuerunt, quin aliquem ex custodibus excitarent? quomodo etiam factum, ut ablato Christi corpore, sola in sepulchro remanserint linteamina? quis credat quod fures, qui furti precipites faciunt, plurimum immorati sint in solvendis et tollendis linteaminibus, quæ Christi corpori, tum a sanguine qui ab ejus corpore manabat, tum a myrrha quæ aspersum fuerat, quasi agglutinata erant? Nemo certe id sibi suadebit. Ad hæc ut sapienter ratiocinatur D. Augustinus, nosse debentur Judæi quod imaginari hujus furti non vigi-

lantes, sed dormientes testes adhibeant: *dormientes testes adhibes? vere tu ipse obdormisti.* Alia etiam ratione eos impugnat Augustinus, dicens: aut custodes illi dormiebant, aut vigilabant; si dormiebant, unde scire potuerunt, quis Christi corpus sustulerit? si vigilabant, cur non illud custodierunt, nec impediuerunt, ne Christi discipuli illud furarentur? His rationibus alia addi posse videtur: nampe quod plecti deberent custodes, si corpus Christi ablatum esset sive ipsis vigilantibus sive ipsis dormientibus; puniri enim deberent ob suam incuriam et negligentiam, non tamen puniuntur, imo datur illis *pecunia copiosa*: quis autem credat eos præmiari, quia male suo functi sunt officio, et quia non debite Christi sepulchrum custodierunt? O quam imaginaria ergo, et ridicula hæc Judæorum adinventio! o quam inutilis ad celandam Christi resurrectionem! cum contra illum resurrexisse evincat. Verum quid angelorum, mulierum, Apostolorum; et inimicorum testimonium inquirimus, cum testimonium Dei nobis præsto sit, et ipse Christus resurrectionem suam variis apparitionibus et argumentis asserat? *Præbuit seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens vis.* Apparuit primo Magdalene Christus, et eodem fere tempore visus est ab aliis mulieribus, quæ ad sepulchrum se contulerant, ut ejus corpus ungerent. Ne autem pia mulierum credulitas testimonium earum suspectum redderet: apparuit etiam discipulis euntibus in castellum Emmaus; apparuit Petro et aliis apostolis; apparuit et quingentis discipulis simul quorum plurimi adhuc vivebant, cum D. Paulus primam ad Corinthios epistolam scripsit, id est: circiter viginti quatuor annis post Christi Ascensionem. *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc.*

Si una solum aut altera vice se manifestasset Christus, si uni tantum aut alteri apparuisset, aliqua exitisset ratio credendi apostolos et discipulos, qui adhuc rudes erant, ab inani quodam phantasmate fuisse deceptos. Qua de causa, ut ait S. Augustinus, quadraginta post resurrectionem diebus cum iis manere, usque pluries et pluribus se manifestare voluit, *ne tam ma-*

gnam resurrectionis miraculum, si eorum oculis cito subtraheretur, ludificatio putaretur. Diu ergo, pluries et pluribus apparuit Christus; neque solum iis apparuit, verum et illos allocutus est, iis se tangendum præbuit, coram illis inaccessit, et manducavit, prodigia in eorum gratiam operatus est, multa ex his quæ ante passionem fecerat, iis in memoriam revocavit, totque resurrectionis suæ testimonia iis dedit, ut ne unus ex iis de ea amplius dubitare potuerit. Verum est, quod Divus Thomas apostolos aliquandiu de Christi resurrectione dubitaverit, visque et mulieribus Christum resurrexisse asserentibus, nullam adhiberit fidem. *Nisi videro, non credam,* aiebat incredulus ille discipulus; quasi diceret, videre volo quem vos vidisse dicitis, et non solum videre sed etiam tangere. Palpare volo illud corpus quod vos vidistis, ut probem an carne et ossibus constet sicut et cætera; vulnera ejus explorare volo, ut sciam an sint eadem quæ in cruce recepit, et quia lateris vulnus aliis longe latius est, nisi in illud totam manum misero, Christum resurrexisse non credam: *nisi videro in manibus ejus fluxuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (Jo. 20, 25). O quam incredulus ille apostolus! Et ipsi tamen Christus suam suavitatem resurrectionem, ut omni pertinacia dimissa, eum resurrexisse firmiter crederent; ita se ei Christus præbuit examinandum, probandum, et palpandum, ut de ejus resurrectione certior factus, ac coram ipso prostratus clamavit: *credo, Domine, te vere resurrexisse, teque Deum meum esse: Dominus meus, et Deus meus.* O quot et quanta resurrectionis Dominicæ testimonia! eam indicat terremotus, illam a Deo missus annuntiat angelus; probant linteamina quæ sola in sepulchro reperuntur; referunt pie mulieres quæ ad sepulchrum ierant, ut ungerent Jesum; fatentur illam custodes, et eam declarat ipse Christus, qui quingentis discipulis apparet, qui apostolos alloquitur, qui coram illis incedit et comedit, qui eis sua ostendit vulnera, et qui Thomam incredulum in resurrectionis suæ testem et concionatorem convertit. Certe tot et tanta

sunt hæc testimonia, ut qui Christum vere resurrexisse non credunt, stulti merito vocari possint: *o stulti, et tardi corde ad credendum!* Credite ergo et firmiter credite, Christum resurrexisse, ac fatemini, hanc Christi resurrectionem esse dogma, quo nullum clarius probatum in sacra Scriptura. *Christi autem resurrectio est etiam argumentum, quo nullum fortius ad probandam Christi divinitatem.*

II PARS.

Christi resurrectio est argumentum, quo nullum fortius ad probandum ejus divinitatem.

Quamvis Christum esse Deum clarissime demonstrent non solum opera portentosa quæ fecit, verum etiam prophetarum de Messia oracula, quæ Christo convenire evidentissime patebat; necesse tamen erat, eum a mortuis surgere, ut calumniatorum ora obstrueret, ac tanto argumento infensissimos quosque hostes cogeret ad fatendum, eum vere esse Deum et ad dicendum cum Centurione, *cere Filius Dei erat iste*. Clarissime et pluries prædixerat propheta, Redemptorem hominum propria virtute a mortuis resurrecturum; ipse etiam Christus se tertia post mortem die resurrecturum prænuntiavit, ejusque vaticinationis rumor apud sacerdotes, legis doctores et populum irrepserat. Ideo si Christus a mortuis non surrexisset, de ejus divinitate aliqua forte extitisset dubitandi ratio; posita ejus resurrectione, tolluntur omnia dubia, quæ de ejus divinitate oriri possent; præcluduntur omnes incredulorum et invidorum pretextus; ac evidentissime constat Christum esse Deum; quia impossibile est, quod suscitaret seipsum, nisi sit ipse Deus. Nullus Cesarum, nullus principum, nullus sanctorum, nullus tandem puris homo virtutem unquam habuit seipsum ad vitam revocandi. *Morientes non vivunt, gigantes non resurgunt*, inquit Isaias; vel ut alii legunt, *mortui non vivunt, gigantes non resurgunt*. In quæ verba Procopius ait; « quis

unquam hominum muscipula mortis captus, claususque semel, inde potuit vi sua atque virtute liber egredi? aut quem gigantum hactenus experti sumus ita fortem, ut mortuus atque in sepulchro clausus seipsum potuerit inde vivum liberumque suscitare? Certè nullum. Ex quo concludit præfatus author, quod *necessaria illatione sequitur, Christum esse Deum; siquidem seipsum a mortuis suscitavit*. Quod deducitur ex accepto illo ab omnibus axiomate; a privatione ad habitum naturaliter non datur regressus, et a morte ad vitam vi naturali non fit transitus; ergo cum Christus seipsum mortuum vivificaverit et suscitavit, hoc virtute divina in eo existente factum est, et ideo *necessaria illatione sequitur, Christum esse Deum; siquidem seipsum a mortuis suscitavit*. Hanc illationem probe noverat D. Paulus, qui præclaris et majestatem redolentibus verbis ait, Christum declaratum esse Filium Dei, eo quod seipsum propria virtute suscitavit; *qui prædestinatus* seu, ut legunt Chrysostomus, Theophilactus, et alii nonnulli, *qui declaratus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum* (Rom. 1, 4). Ubi tria ponit D. Paulus, quibus Christus declaratus est Filius Dei naturalis; 1. miracula et prodigia quæ fecit; *in virtute*; 2. animarum sanctificationem; *secundum spiritum sanctificationis*; 3. resurrectionem suam propria virtute factam; *ex resurrectione mortuorum*. Hoc ultimum est potissimum argumentum quo Christus declaratur Deus; Christus enim antea nudo erat ignotus; aliquibus mendax, aliis seductor, aliis Samaritanus, vel demonium habens videbatur; ab aliis qui paulo æquius de eo sentiebant, Jeremias, Elias, vel aliquis ex prophetis censobatur. Jamvero per victoriam et triumphum resurrectionis, quæ seipsum, insita virtute et potentia, e mortuis in vitam revocavit, perspicue declaratum et manifestatum est, eum esse Filium Dei naturalem; *qui declaratus est Filius Dei*. Asseruerat Christus, se potestatem habere suscitandi seipsum; *potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (Joan. 10, 18). Ceteri homines hac carent potestate, quia mors quæ ani-

mas a corporibus eorum separat, destruit cujusque personam, nec aliquid in homine mortuo relinquit cujus virtute corpus et anima ejus iterum uniri possint; ipse etiam Deus qui mortuos suscitare potest, facere nequit ut purus homo mortuus suscitaret semetipsum, cum non possit quis suscitare se quin agat, nec agere quin prius sit et vivat. Et ideo cum Christus suscitaverit se, non purus homo, sed Deus et homo dicendus est. Verum quidem, quod per mortem anima Christi a corpore fuerit separata, persona tamen Christi, seu Verbum æternum non fuit destructum; semper remansit, et ideo ejus virtute suscitari potuit, ac suscitatus est Christus; seu, ut loquitur Doctor Angelicus, *ejus virtute corpus et anima Christi se invicem resumpserunt*. Verum est etiam, Christum ab æterno Patre fuisse suscitatum; *quem suscitavit ex mortuis*; quia tamen eadem vis et potestas est Patris et Verbi, quæ potestas intima erat Christo; verissime dicitur, Christum in-nata sibi et interna virtute, ac potestate a mortuis surrexisse, ac seipsum suscitasse. Cum enim opera Trinitatis ad extra sint indivisa, et Pater suscitaverit Christum; consequens est ut Verbum etiam suscitaverit Christum. Cum ergo Christus sit Verbum, consequens est, ut Christus suscitaverit seipsum. Ex quo patet, Christi resurrectionem perspicue et ineluctabiliter prodere Christi divinitatem: nemo enim potest seipsum suscitare, nisi et ipse Deus sit. Alia Christi opera ostendebant utique ipsum a Deo fuisse missum: resurrectio ejus propria virtute facta ipsum esse Deum clare demonstrat. Et ideo cum Pharisei ab eo miracula peterent, quibus se Deum esse patefaceret non aliud in divinitatis suæ ostensionem miraculum dare voluit, quam propriam resurrectionem, dicens, quod sicut Jonas post tres dies vivus e cæti ventre egressus est, ita et ipse tribus post mortem diebus e sepulchro vivus egressurus erat: *generatio, inquit, mala et adultera signum querit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophete: sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sicut erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (Matth. 12, 36). Quasi dicat: miraculum a

me petitis? propria virtute resurgam; ecce miraculum, quod solus Deus facere potest. Alii quidem virtute sibi a Deo data alios mortuos suscitaverunt; nullus suscitavit, nec suscitare potuit semetipsum: ego solus hac virtute polleo, quia Deus sum. In alia occasione, cum ab eo Judæi aliquod miraculum peterent, quo se Messiam esse probaret, respondit: *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (Joan. 2, 19). Hoc idem est ac si dixisset; scitis me multa fecisse miracula, et si necum aliquamdiu maneretis, videretis me cæcis visum, sanitatem infirmis et mortuis vitam conferre. Ad quod autem hujusmodi coram vobis miracula multiplicarem, cum iis non creditis dicentes, me hæc in nomine Beelzebub operari? Aliud faciam miraculum, quod nullus homo facere potest, nisi sit et ipse Deus; suscitabo enim meipsum: *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*. Amadveritè: non dicit Christus, *moriar*; verum ut omnem doli et fraudis tollat suspicionem, ait: morte qua et quali volueritis me afficite; gladiis, fustibus, flagellis corpus meum interinite; illud cruci affigite; quam qua placuerit ferite in illud etiam mortuum sevirte; illud tamen intra tres dies a mortuis suscitabo: *solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*. Ecce novum miraculum, quo Christus suam manifestat divinitatem: ecce argumentum quo Deum se esse declarat. Et revera argumentum hoc ita validum et efficax visum est, ut infensissimi etiam Christi hostes illud indissolubile censuerint: propterea ut ejus vim eluderent alii dixerunt Christum non esse mortuum, et alii eum non fuisse suscitatum: probe scientes, quod admissa ejus resurrectione, ipsum esse Deum, nullo modo negari posset. Non sine mysterio Evangelistæ accuratissime singulas passionis et mortis Christi circumstantias adnotarunt. Non tacerunt, nec segniter et perfunctario horrenda et ignominiosa, quæ pertulit, enarrarunt, ac iis omnibus quæ in passione ejus peracta sunt, sigillatim referendis omnes studiosissime et quasi certatim incubuerunt. Non veriti sunt dicere, Christum flevisse, mœstum fuisse et sanguineo sudore diffluxisse, quin contra summo studio scriptis etiam mandarunt, ipsum fuisse

opprobrium hominum, et plebis abjectionem, variis ipsum affectum fuisse contumelias, innumeris cruciatum tormentis, ac tandem crucifixum, et in cruce duos inter latrones mortuum. Noverant sacri Evangelistæ plurimum interesse, ut omnes eum vere mortuum esse agnoscerent, ne de ejus morte aliquis dubitare fingeret, ut veritatem resurrectionis ejus impugnaret. Sciebant etiam, quod, posita et admissa Christi resurrectione, omne passio ejus tolleretur dedecus, et in gloriam ejus converteretur. De Christi passione quidquid dicas « quantumvis horrendum illud sit » hoc verbum, *resurrexit*, omnia delet, omnia decorat et illustrat; quia si propria virtute surrexit, ergo Deus est; nec amplius de ejus divinitate cuique superest ambigendi locus, nisi stultus ille si et omnis rationis expertus. *Resurrexit*; ecce argumentum quo nullum fortius ad Christi divinitatem probandum. *Christi resurrectio est etiam mysterium, quo ad morum correctionem et ad nostram institutionem nullum aptius videtur.*

III PARS.

Christi resurrectio est mysterium, quo ad morum correctionem et ad nostram institutionem nullum aptius videtur.

In christiana religione habentur quedam mysteria ita recondita et sublimia, ut nil a nobis nisi fidem et admirationem exigere videantur; alia ita idonea ad vitam nostram recte instituendam, ut ea vix considerare possimus, quin statim ad declinandum a malo, et ad vitam rite componendam excitemur. In mysterio autem resurrectionis Christi multa quidem mirabilia et ineffabilia reperiuntur; at multa sunt etiam, quæ erudiunt nos, quæ modam recte mores componendi nos doceant, atque ad institutionem nostram plurimum valent, et prosunt: quorum aliqua hic expendam.

1. Surrexit Christus e sepulchro, in quo quasi dormiebat: ego dormivi et soporatus sum, et resurrexi (Psal. 3, 6). Quo

docemur, ut ab horrendo et fœtido vitiorum sepulchro per penitentiam resurgamus. O peccator, qui a multo tempore in peccatis obdormisti, ab his surge per penitentiam: *surge qui dormis, et exurge a mortuis* (Ephes. 5, 14). O peccator, a pluribus annis avaritiæ vacas, luxuriæ indulges, ebrietatibus, ludis et vanitatibus addicere, ac in his peccatis alte dormis, *hora est jam de somno surgere* (Rom. 13, 21): sicut enim a sepulchro Christus hodie surrexit, ita et tu a vitiorum sepulchro surgere festina.

2. Surrexit Christus non phantastice, imaginarie et fecte, sed vere: *surrexit Dominus cere*. Quo docentur peccatores, ut a peccatis per penitentiam non apparenter solum, sed vere et sincere surgant, ita ut, peractis festis Paschalibus, quisque cognoscat, quod vere surrexerit a peccatis. Imitari debent non Samuelem, qui apparenter solummodo resurrexit, sed Christum qui vere surrexit. O frater, tuam serio conscientiam scrutare; aperi os tuum, ut omnia et singula peccata tua prudenti confessario distincte manifestes: tremat terra, sen cor tuum dolore concutitur; tolle lapidem obstinationis tuæ; egredere e sepulchro vitiorum, in quo jaces: ac firmissimo proposito statue non amplius peccare; et hæc erit resurrectio vera.

3. Resurrexit Christus mane: ut enim ait S. Ignatius martyr, *illucescente dominico die surrexit a mortuis*. Quod et ipse Christus prenuntiavit, dicens: *exurgam diluculo*. Sicut autem Christus mane e sepulchro surrexit; ita et peccatores, non debent diu in peccatis perseverare: mane, seu cito ab his surgere: *sicut surrexit Dominus mane*, inquit Doctor Seraphicus, *sic tu non sero, sed mane surge a peccatis*. Non debent peccatores spirituales suam resurrectionem procrastinare, vel usque ad senectam differre; pudeat quemque dicere: a peccatis resurgam, et penitentiam agam post aliquos annos, vel cum insenuero; mane et celeriter a peccatis suis resurgant necesse est: *qui mane vigilant ad me, invenient me* (Prov. 8, 17), inquit Spiritus Sanctus: si peccatores mane invigilent, ut ad Deum convertantur; si prompte penitentiam agere

satagant, Dei gratiam facile invenient et obtinebunt: si vero penitentiam in futurum differant, gratiam forte nunquam impetrabunt, et in peccatis morientur. Igitur, peccator, ne tardes converti ad Dominum; sicut Christus a sepulchro surrexit mane, tu pariter a criminibus tuis surge mane, surge prompte, et ne differas de die in diem.

1. Christi resurrectio fuit integra: resurrexit ex toto Christus, et non ex parte tantum: non ita resurrexit, ut aliqua ejus pars in sepulchro remanserit, totus et totaliter e sepulchro exiit. Sicut ergo Christus totus surrexit, sic, inquit Doctor Seraphicus, *tu a peccatis totus resurgas*. Resurrectio spiritualis integra sit oportet: non enim quis ab uno mortali surgere potest, quin simul et ab omnibus resurgat: cum unum mortale non deleatur sine alio. Et ideo nullo modo resurrexit spiritualiter qui adhuc mortali aliquo peccato adheret; qui conversus *injusta bona, vel odium, vel aliud vitium non reliquit, nondum surrexit; Deus enim nullum suscitavit, nisi integraliter*. Enge, o peccator, imitare Christum resurgentem: totus resurge et totaliter, ita ut nulla in te maneat peccati mortalis macula. *Ne dicas: horreo ebrietatem, avaritiam detestor, ab omni vindictæ spiritu alienus sum; tantum fœdis libidinis nuntium remittere non valeo. Ne dicas; ab omni peccato tanquam a facie colubri fugio, excepto hoc vel illo, a quo me expedire nequeo: hoc et illud et omnia peccata fuge, omnia detestare, omnia a te penitus abige, quia resurrectio spiritualis debet esse integra, nec ab uno peccato mortali surgere potes, quin simul ab omnibus resurgas.*

5. Postquam Christus a mortuis surrexit, non amplius mortuus, nec iterum ad sepulchrum reversus est; *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur* (Rom. 6, 9). Peccatores similiter a peccatis ita surgere debent, ut non iterum pro peccatum moriantur, nec amplius in fœtido criminum suorum sepulchro jaceant; *sicut Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, ita et tu, inquit Doctor Seraphicus, perseveranter resurgas in conber-*

sione, ut de cætero non moriaris transgressionem. O peccator, Paschallibus hisce festis uberes tibi Deus dat gratias, ut a peccatis resurgas; surge ergo a peccatis; surge, ut non amplius in ea incidas. Noli amplius peccare; verere ne si in priora reincidas peccata, Deus forte tibi gratiam, qua ab iis iterum resurgas, denegabit. Noli amplius peccare, ne in statu mortalis peccati moriaris, et æternis suppliciis adjudicaris: *jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (Joan. 5, 25).

6. Christus in resurrectione totus innovatus est; non enim amplius mortalis, passibilis et doloribus obnoxius fuit; corpus ejus impassibile, agile, clarum et subtile, seu penetrabile factum est. Sicut autem Christus in resurrectione totus innovatus est, sic et peccatores ita a criminibus suis surgere debent, ut in novitate vitæ ambulent: *quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris; ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (Rom. 6, 4). Si vitæ vestra turpis erat, et vitis multis denigrata, jam vitis valedicendum, virtutibus vacandum, et christiane vivendum; si abdomini serviebatis, jam abstinentiæ et jejunii vacate; si fœdis voluptatibus volutari placebat, jam puritatem et continentiam sectamini; si superbia et vanitate eratis inflati, jam in spiritu humilitatis incedite: *ut rite Pascha celebretis, de vitis ad virtutes transire debetis*. Non imitemini eos, qui licet paschali tempore peccata confiteantur, et ad sanctam Synaxim accedant, nunquam tamen in novitate vitæ ambulant, nec a viâ perditionis ad virtutis viam transeunt; semperque idem in se manent. Blasphemi erant ante Pascha, et post Pascha blasphemare non desinunt; iracundi, ebriosi et luxuriosi sunt post Pascha, sicut et erant antea; nunquam spiritualiter renovantur; in malitia sua semper perseverant, et peccatis, quibus erant dediti, fortiter adherent. Ne eos imitemini; peccatis valedicite; et sicut Christus in resurrectione innovatus est, ita et in novitate vitæ ambulate; *quia Christus transit in novitatem vitæ, nos quoque invitatur ad transitum* (S. Bern.). Transite ergo a viâ peccati ad viam virtutis.

Ecce documenta, quæ e sacro resurrectionis Christi mysterio

elici possunt; ecce emolumenta, quæ ex eo peccatores percipere possunt et debent. Contemplamini ergo hodie Christum resurgentem, illum admiramini e sepulchro egredientem et vos ipsos excitare ad surgendum a vitiorum vestrorum sepulchro. Ab eo surgite vere, surgite prompte, surgite integraliter, surgite constanter, ut in priora non iterum cadatis peccata. Tandem ita surgite, ut in novitate vitæ ambuletis, et a via peccati ad rectas justitiæ et sanctitatis semitas transeatis. In novitate vitæ ambulato, et æternam vitam obtinebitis. Amen.

FERIA II POST PASCHA.

DE PECCATIS RECIDIVÆ.

Mane nobiscum, quoniam aucesperascit (Luc. 24).

Qui Deum paschalibus hisce festis, mediante sancto penitentia sacramento invenire, et intra se per gratiam sanctificantem recipere meruerunt, magna cura et sollicitudine illam intra se servare et detinere debent. Thesaurus est infinitus, cujus jactura inestimabilis; Rex regum est, quem a nobis expellere nefas; sponsus animarum nostrarum est, quem relegere scelus; summum tandem bonum nostrum est; quod si per gratiam sanctificantem nobis inhereat, per adveniens mortale peccatum illud foras mittere horrendum videtur flagitium. Non ergo a nobis Christum ejicere, imo cum discipulis eum enixe rogare debemus, ut nobiscum maneat; *mane nobiscum Domine*. Postquam optatum et sollicitè quæsitum sponsum invenit sponsi sacra, diligenter cavet ne illum a se expelleret, quinimo quæ potuit arte et sollicitudine illum tenuit, ne exiret; *inveni quem diligiyt anima mea, tenui eum, nec dimittam* (Cant. 3). O quam felices, qui Christum sponsum hoc paschali

tempore, per penitentiam invenerunt! quam beati, qui illum nunc possident! At summopere caveant necesse est, ne in pristina recidendo peccata, illum e cordibus suis ejiciant; non enim expellendus, sed studiosè tenendus, ac quisque cum sponsa dicere debet; *tenui eum, nec dimittam*. Qui in mortalia non relabuntur, Christum in cordibus suis tenent; qui autem in ea relabuntur, illum a se expellunt. Ut autem homines ad non expellendum a se Christum excitemus, de recidivæ peccato et infelicitate hodie disseram. Aee.

Peccatorem christianum cum peccatore infideli conferens D. Chrysostomus, ait christianum infideli gravius peccare, durius plecti, et difficilius surgere: *Christianus gravius peccat, durius vapulat, difficilius reparatur*. Christianus quidem *gravius peccat*, cum graviora ejus sint peccata, quo maiorem veritatis notitiam habet; *durius etiam vapulat*, eo quod si in statu mortalitatis peccati moriatur, quo plura percipit beneficia in hoc mundo, eo acerbioribus in alio suppliciis plectetur; *difficilius tandem a peccato surgit*, quia cum acceptis a Deo gratis abusus sit, minores ad surgendum a peccato ei Deus gratias imperfit. Hec omnia, quæ de quolibet christiano dicit Chrysostomus, verissima potissimum comprobantur in illo christiano, qui post peractam penitentiam, in priora, seu in ejusdem speciei peccata relabitur: recidivæ enim peccata sunt graviora, pœna eorum est acerbior, et regressus difficilior. Quod verissimum patebit, cum de peccatorum recidivæ malitia, pœna et remediis disseruerimus. Videamus enim peccati recidivæ 1. *malitiam*, ut iam detestemur; 2. *pœnam*, ut eam devitemus; 3. *remediâ*, ut illa sumamus.

I PARS.

Peccati recidivæ malitia.

Quamvis non satis exaggerari possit vel minimi mortalis peccati malitia, quid tamen gravius et quid malignius in recidivæ peccato adnotatur, ac longe gravius peccat qui post impetra-

elici possunt; ecce emolumenta, quæ ex eo peccatores percipere possunt et debent. Contemplamini ergo hodie Christum resurgentem, illum admiramini e sepulchro egredientem et vos ipsos excitate ad surgendum a vitiorum vestrorum sepulchro. Ab eo surgite vere, surgite prompte, surgite integraliter, surgite constanter, ut in priora non iterum cadatis peccata. Tandem ita surgite, ut in novitate vitæ ambuletis, et a via peccati ad rectas justitiæ et sanctitatis semitas transeatis. In novitate vitæ ambulate, et æternam vitam obtinebitis. Amen.

FERIA II POST PASCHA.

DE PECCATIS RECIDIVÆ.

Mane nobiscum, quoniam aucesperascit (Luc. 24).

Qui Deum paschalibus hisce festis, mediante sancto penitentia sacramento invenire, et intra se per gratiam sanctificantem recipere meruerunt, magna cura et sollicitudine illam intra se servare et detinere debent. Thesaurus est infinitus, cujus jactura inestimabilis; Rex regum est, quem a nobis expellere nefas; sponsus animarum nostrarum est, quem relegere scelus; summum tandem bonum nostrum est; quod si per gratiam sanctificantem nobis inhereat, per adveniens mortale peccatum illud foras mittere horrendum videtur flagitium. Non ergo a nobis Christum ejicere, imo cum discipulis eum enixe rogare debemus, ut nobiscum maneat; *mane nobiscum Domine*. Postquam optatum et sollicitè quæsitum sponsum invenit sponsi sacra, diligenter cavet ne illum a se expelleret, quinimo quæ potuit arte et sollicitudine illum tenuit, ne exiret; *inveni quem diligiyt anima mea, tenui eum, nec dimittam* (Cant. 3). O quam felices, qui Christum sponsum hoc paschali

tempore, per penitentiam invenerunt! quam beati, qui illum nunc possident! At summopere caveant necesse est, ne in pristina recidendo peccata, illum e cordibus suis ejiciant; non enim expellendus, sed studiosè tenendus, ac quisque cum sponsa dicere debet; *tenui eum, nec dimittam*. Qui in mortalia non relabuntur, Christum in cordibus suis tenent; qui autem in ea relabuntur, illum a se expellunt. Ut autem homines ad non expellendum a se Christum excitemus, de recidivæ peccato et infelicitate hodie disseram. Aee.

Peccatorem christianum cum peccatore infideli conferens D. Chrysostomus, ait christianum infideli gravius peccare, durius plecti, et difficilius surgere: *Christianus gravius peccat, durius vapulat, difficilius reparatur*. Christianus quidem *gravius peccat*, cum graviora ejus sint peccata, quo maiorem veritatis notitiam habet; *durius etiam vapulat*, eo quod si in statu mortalitatis peccati moriatur, quo plura percipit beneficia in hoc mundo, eo acerbioribus in alio suppliciis plectetur; *difficilius tandem a peccato surgit*, quia cum acceptis a Deo gratis abusus sit, minores ad surgendum a peccato ei Deus gratias imperfit. Hæc omnia, quæ de quolibet christiano dicit Chrysostomus, verissima potissimum comprobantur in illo christiano, qui post peractam penitentiam, in priora, seu in ejusdem speciei peccata relabitur: recidivæ enim peccata sunt graviora, pœna eorum est acerbior, et regressus difficilior. Quod verissimum patebit, cum de peccatorum recidivæ malitia, pœna et remediis disseruerimus. Videamus enim peccati recidivæ 1. *malitiam*, ut iam detestemur; 2. *pœnam*, ut eam devitemus; 3. *remediâ*, ut illa sumamus.

I PARS.

Peccati recidivæ malitia.

Quamvis non satis exaggerari possit vel minimi mortalis peccati malitia, quid tamen gravius et quid malignius in recidivæ peccato adnotatur, ac longe gravius peccat qui post impetra-

tam a Deo veniam in eadem peccata, quorum penitentiam egit, denuo labitur; quia recidiva priorum peccatorum malitiæ addit contemptum, ingratitude[m] et perfidiam: 1. contemptum Dei; 2. ingratitude[m] erga Deum; 3. perfidiam adversus Deum.

1. Tanta Dei in peccatores est bonitas, tantus amor, ut quavis scelerum myriades perpetraverint, omnes ad se per penitentiam venientes, benigne recipiat, ex corde amplectatur, gratia sanctificante ditet, in filios adoptet, et in æterni regni hæredes recipiat. Ideo si post tot accepta a Deo beneficia, iisdem quibus antea peccatis adherent, ac in priora scelera reincidant, hæc reincidentia Deum graviter contemnant, eumque quasi irrident: *irrisor est, et non vere penitens, qui adhuc agit quod penitet: penitentia enim est sic plangere commissæ, ut non committantur plangenda* (S. Aug. serm. de penit. et jejun.). O peccator, cum penitentiam egisti, Deo et confessori pollicitus es, te nusquam amplius invisurum hanc creaturam, quæ ad illicita et pudenda te toties allexerat; promiseras te non amplius aditurum hæc et illa loca, in quibus Dei et animæ toties jacturam feceras; protestatus eras te usuris, hellenationibus, detractionibus, et vite licentiori absumpturum; et tamen idem nunc es qui antea; iniquitatis vias nunc iteras ac priorem, licentiosemque vivendi modum iterum sumis, et in priora relaberis peccata; scito quod hæc reincidentia Deo, a quo veniam et multa beneficia percoperas, gravem injuriam irrogas, quia illum contemnis et irrides: *irrisor est, et non vere penitens, qui adhuc agit quod penitet*. Nonne irrisor censeretur, qui bis, ter, aut quater singulis annis, magnatem aliquem, ab eo irrogatarum injuriarum veniam petiturus adiret, palamque ei protestaretur, se in posterum ejus obsequio fore addictum, nec amplius quidquam adversus illum se moliturum, et tamen semper mox a magnatis illius palatio egressus foedus cum inimicis ejus iniret, verbis et operibus illum lacerasset, prioribusque injuriis illum iterum atque iterum afficeret? irrisor sane is censeretur. Ideo irrisores et Dei contemptores sunt similiter dicendi qui

post acceptam a Deo veniam et gratiam, in priora scelera recidunt. Hi diebus Paschatis, Pentecostes, et precipuis anni festivitatibus ad Dei templum accedere solent; ibi patratorum criminum coram confessario veniam postulant; ibi pollicentur se Deo fore obsequentissimos, nec adversus illum in posterum peccaturos, et tamen e sacro penitentiæ tribunali vix discessere, cum in propria relahuntur peccata; nonne hi irrisores et Dei sunt contemptores? *Certe irrisor est, et non vere penitens, qui adhuc agit quod penitet*. At recidiva Deum non solum delinquit specialis Dei contemptu, etiam adversus Deum ingrati animi reus est.

2. Cuilibet mortali peccato inest quedam ingratitude, cum quodlibet mortale Deo creatori et benefactori nostro sit contumeliosum; verum specialis elucet ingratitude in peccatore, qui post acceptam a Deo veniam in priora peccata recidit, quia hoc relapsu peccator non solum communionem, quæ a Deo accipit, beneficiorum verum et specialium, seu veniæ modo a Deo acceptæ ingratus est; *indulgentie ingratus est, qui post veniam peccat. Si quis sercum nactus, inquit Chrysostomus, qui in multis offenderit, nec tamen flagris ceciderit, sed iterum flagris indultis futura vitare monerit in posterum, ne in eadem decadat, magnis quoque muneribus præterea illustraverit, ac beneficiis fovit: quem obsecro tam futura est perfida mens, tam ingrata anima, quæ hujusmodi gratia non ad meliora sectanda provocari sufficeret?* (hom. 5 in 2 ad Tim.). Ingrata hæc anima, et ingratus ille servus est ipsemet peccator, qui post peractam penitentiam in pristina relahitur scelera. Cum enim penitentiam agit, æternam quam meruerat penam ei Deus condonavit, magnis quoque muneribus illum illustravit ac beneficiis fovit, et tamen acceptis his a Deo gratis ad meliora sectanda non provocatur, nec detorretur quin in priora iterum labatur crimina: o animam ingratham! o magnam ingratitude[m]! *Indulgentie ingratus est qui post veniam peccat*. Quatuor ingratitude[m] species agnoscunt moralis philosophiæ magistri: quarum prima est, cum quis beneficium beneficio

non compensat; *secunda*, cum quis accepti beneficii obliviscitur; *tertia*, cum quis malum pro bono reddit; *quarta*, cum quis acceptis utitur beneficiis, ut benefactori injuriam inferat. Harum autem omnium ingratitude reus videtur qui post acceptam a Deo veniam in priora scelera relinquit: *hic* etenim pro accepto beneficio par beneficium non reddit: quin contra benefactorem irridit; *hic* etiam percepti obliviscitur beneficii, quia postquam e penitentia tribunali abscessit, accepta a Deo beneficia quasi pro nihilo habet, nec amplius eorum meminit; *hic* quoque malum pro bono reddit, cum post tot accepta beneficia, Deum benefactorem suum iterum offendat: ac tandem ipsis beneficiis acceptis adversus Deum quodammodo utitur, cum ex bonitate Dei, qui tam facile ignoscit, in peccata recidendi occasionem sumat. O animam ingrati! O magnam ingratitude! recidiva autem etiam *magna adversus Deum perfidia peccat*.

3. Cum ad sacrum penitentia tribunal accessistis, peccata non homini solum, sed etiam Deo confessi estis: *confitear Deo*. Tunc etiam Deus, simul cum sacerdote dixit: *Ego te absolvo*. Tunc a sacerdote ut ministro et a Deo ut supremo iudice sententia absolutionis in vestri favorem prolata est. Antequam vero a Deo absolutionem obtineretis, ei polliciti estis, vos nusquam amplius in peccata casuros, hoc spondistis: nec Deus a peccatis vos absolvisset, nisi hoc promisissetis; dixisset quidem forte sacerdos: *Ego te absolvo*; Deus autem absolutionem non delisset, nisi firmiter non amplius peccaturos polliciti essetis. His tamen non obstantibus promissis, in eadem peccata relinquitis: nonne hoc est violare fidem? nonne magna hæc est adversus Deum perfidia? Inter homines hi perfdi vocantur, qui fidem datam solvunt et violant: quanto autem perfidiores hi, qui postquam Deo polliciti sunt, se non amplius in aliqua peccata casuros, fidem non servant, promissis non stant, et brevi post acceptam absolutionem in pristina peccata relabuntur? hi quidem vere perfdi, ac magna eorum perfidia. Quando ad sacrum penitentia tribunal accedere voluistis, cum Deo transegitis et pacti estis. In hac autem transactione

utrinque facta est promissio absolutionem et peccatorum remissionem tunc pollicitus est vobis Deus modo ex parte vestra nullus esset obex; vos vero ei promisistis nusquam amplius in priora peccata relapsuros, ecce pactum. Deus quantum est ex parte sua stetit promissis ac fideliter pactum servavit: *Deus fideles custodiens pactum* (Deut. 7, 8). Vos vero ita perfdi estis, ut in priora cadatis peccata ac pactum et fidem Deo datam violetis: *dissolvistis pactum meum in omnibus sceleribus vestris* (Ezech. 44); o magnam perfidiam! Perfdos hos peccatores, qui non obstante fide Deo data ac pacto cum Deo inito, in priora scelera recidunt, apostatas et pacti pravaricatores vocat Deus: *Gentes apostatrices, que recesserunt a me, et pravaricati sunt pactum meum* (Id. 2). De eorum etiam perfidia conqueritur Deus apud Jeremiam, dum illam tantam exitisse ait, ut violaverint pactum non per internuntios, nec per commissarios, sed cum ipso Deo in conspectu Dei initum: *Non observaverunt verba foderis, quibus assensi sunt in conspectu meo* (Jer. 34, 18). O ingentem perfidiam! Quam magna igitur peccati recidivæ malitia, cujus non unica, sed triplex est specialis malitia, aut saltem malitia ejus ex triplici capite aggravatur, ut ait S. Chrysostomus: *jam non simplex peccatum, sed duplex et triplex*. Antequam peccator penitentiam ageret, blasphemias, quas proferebat, habebant solummodo blasphemie malitiam; post peractam penitentiam et veniam a Deo acceptam iterum blasphemans, ista blasphemia, in quam relapsus est, preter priorem blasphemie malitiam, includit in se Dei contemptum, ingratitude et perfidiam adversus Deum, quibus malitia ejus quam maxime adaugetur. Item die de usura, fornicatione et aliis sceleribus, in que cum post peractam penitentiam relinquit peccator, longe graviora sunt ratione contemptus, ingratitude et perfidie, quam includunt. Cum ergo tam graviter delinquit recidiva, summopere cavere quisque debet, ne post acceptam a Deo veniam in priora peccata recidat. Cum miles in aliquo conflictu vulneratur, militie se abrenuntiarum decernit: cum mercator, suborta tempestate, in mediis irati maris undis pericli-

tatur, mari se et sua non amplius commissurum statuit. At miles, sanato vulnere, iterum arma sumit; et mercator, pacato mari, iterum se mari committit.

*Saucius ejurat pugnam gladiator, et ilem
Immemor antiqui vulneris, arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus vadis
Et ducit remos, qua modo natavit aqua.*

(Ovid. eleg. 6).

Peccatores similiter, cum paupertate, agritudinibus, vel gratiæ divinæ stimulis lancinantur, aut etiam cum adversus eos, vel ex parte Dei, vel ex parte hominum aliqua suboritur tempestas, tunc se non amplius peccatores pollicentur; sed sanato vulnere et sedata tempestate, in eadem scelera relabuntur. O quam miseri sunt et viles qui sic in priora peccata recidunt; *quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas!* (Jer. 2, 36). Quam etiam maligni, et grandis criminis rei, cum iterando peccata, Deum contemnant, ac erga Deum ingrati et perfidi fiant. Ecce malitiam peccati recidivæ: *videmus poenam, qua plectitur.*

II PARS.

Peccati recidivæ poena.

A multo tempore, inquit homo peccator, a peccatis abstinere nequeo; in ea pluries cecidi ac post veniam recidi; et tamen omnia in hoc mundo mihi prospere cedunt, nilque mali mihi accidit, nec aliquam Dei vindicantis poenam expertus sum: ex quo inferre licet in posterum quoque fore ut peccatis meis indulgeat et poenas avertat. Ne sic vobis blandiamini, o peccatores: Deus, qui benignus et misericors est, adversum vos tandem irascetur, in vos sæviet, vosque severe puniet, si dignos poenitentiae fructus non feceritis; *ne dixeris: peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens*

reiditor (Eccli. 5, 4). Sicut enim Deus, ut æquissimus Jdex omnes justos premiat, ita et omnes peccatores punit, eos praesertim, qui post impetratam ab eo veniam in priora peccata recidunt. Hos Deus triplici poena plectere solet, scilicet suspensione gratiarum, privatione gloriae et aeterna damnatione: 1. *suspensione gratiarum*, quibus non bene sunt usi; 2. *privatione gloriae*, eajus sunt indigni; 3. *aeterna damnatione*, eujus sunt rei.

1. Dei misericordia *infinita in se*, nobis non se communit modo infinito; *infinita est in se*, ejus autem effectus non sunt infiniti; *infinita est in se*, gratiæ verò quas hominibus disperdit, non sunt infinite; suos enim habet limites, suamque mensuram. Verum est, Deum dare omnibus affluenter, et interdum magnam hominibus gratiarum copiam impendere, quibus si abutentes in scelera multa cadant et recidunt, contrahit et comprimit Deus manum suam ac in gratis elargiendis fit minus liberalis; qui divinæ gratiæ ingrati in pristina relabuntur peccata, in hujus ingratiitudinis poenam majoribus auxiliis a Deo privantur, quibus carentes vix, aut nunquam a peccatis resurgunt. Gratiæ Dei est thesaurus pretiosus, quo emitur paradisos, *gratiæ Dei vita aeterna* (Ter. de poenit.). Thesaurum hunc cum prudentia et moderatione Deus dispensat, nec semper illum aperit, ut indignis gratias distribuât. *Deus thesauro suo providet, nec sinit obrepere indignum.* Hoc anno, tibi peccatori, tibi impio, tibi indigno gratiam dedit Deus, eujus auxilio fretus a peccatis surrexisti; si autem hac gratiâ ita abutaris, ut in priora peccata recidas, forsitan alio anno thesaurum suum in tui favorem non aperiet, aut si illum aperiat, minus efficaces tibi gratias impendet, cum quibus aut vix aut nullo modo a peccatis iterum surges. Et ille ait S. Bernardus, timendum esse pro gratiâ accepta, sed timendum magis pro recuperata, *timeas pro accepta gratiâ, longe plus pro recuperata.* Timendum quidem magis pro gratiâ recuperata, qua si abutaris et in priora relabaris peccata, timendum, ne suum Deus claudat thesaurum, et ne in tuæ poenam ingratiitudinis debiliores minusque ad

surgendum a peccatis efficaces tibi gratias conferat. Fluminibus similis est Dei misericordia. Cum exundant flumina, agros, prata et omnia adjacentia irrigant; hæc autem inundationes non sunt perpetuæ; intra breve enim tempus in alveum suum redeunt flumina et solito cursu fluunt. Eodem prorsus modo suus Dei misericordia exundationes habere videtur; *exundat*, cum adolescentem a mundi laqueis liberat, et ad tutum religionis portum vocat; *exundat* Jubilæi universalis tempore, cum te ad parcendum inlicito, ad aliena restituenda, et ad perfecte mundandam conscientiam movet; *exundat* tempore paschali et aliis quibusdam festis diebus, quibus ad surgendum a peccatis abundantem et efficacem tibi gratias liberaliter tribuit. Jamvero hæc gratiarum exundationes non semper durant; suos habent terminos, et si iis ita abutaris, ut in priora sæpe recidas scelera, Dei misericordia ad alveum suum revertetur, solum resumat cursum, extraordinarias negabit gratias; communes solummodo et ordinarias tribuit, quibus aut vix, aut ne vix quidem a peccatis iterum surges. Cum nutricis matris inaruerunt ubera, sugat ea infans quantum voluerit, lactis parum aut nihil eliciat. Idem dic de misericordie divine uberibus; etenim gratias a Deo acceptis abutenti tibi misericordie divine inarescent ubera; ac ita tui ergo arida fient et sicca, ut celestium lac gratiarum vix ab eis elicere valeas. Clamabat Antiochus: misericordie Dei mammas sugabat; et tamen lactis gratiarum divinarum, vel potius parum, nihil ad se trahabat: *orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consequutus* (2. Machabeor. 9). Sic ergo cum notis peccatis ostendas te gratiam Dei spernere ac pro nihilo habere in tue ingratitude penam te tandem Deus gratis efficatoribus privabit; *ac etiam æterna beatitudine.*

2. Hæc est altera pœna eorum, qui post veniam in priora crebro reincidunt flagitia, quæ quidem maxima est, atque ex prima manat. Cum enim certe Deus gratis suis privet eos, qui post acceptam indulgentiam in eadem peccata sæpe reciderunt, consequens est quod eos æterna gloria privet, quia gloria sine gratia obtineri nequit. His qui in accepta justitia

perseverant, abundantiam gratiarum in hoc mundo, et gloriam æternam in alio Deus confert; *gratiam et gloriam dabit Dominus* (Psal. 83); ingratos et perfidos illos peccatores, qui post veniam sæpe relabuntur, Deus tandem gratis suis efficacibus in hoc mundo privat, quibus orbat beatitudinem æternam minime assequantur. De hac peccatorum recidientium pœna loquitur Christus, dicens, *nemo mittens manum suam ad aratrum et aspiciens retro, aptus est regno Dei* (Luc. 9, 62). Qui etenim mittunt manum ad aratrum et aspiciunt retro sunt ipsimet peccatores, qui post obtentam a Deo gratiam et veniam in priora sæpe relabuntur scelera, *retro post aratrum aspiciit, qui post exordia boni operis ad mala recertitur, quæ reliquit* (S. Grog. ho. 3 in Ezech.). Cum promulgatur Jubilæus, aut cum paschalia adveniunt festa, hujusmodi peccatores ad sacram exomologesim et synaxim accedunt, sua confitentur peccata, sacrosancto Eucharistie sacramento reficiuntur, aliqua propriis dominis restitunt, pauperibus aliqua erogant, aliaque nonnulla bona opera faciunt, et sic manum ad aratrum mittunt. Jubilæi tempore elapso, diebus festis transactis, *aspiciunt retro*, et ad peccata, quæ reliquerant, revertuntur, qui propterea declarantur inepti regno Dei, et eo merito privabuntur in suæ infidelitatis et ingratitude penam. *Consequenter supplicii adjudicabuntur æterni.*

3. Ista pœna ex priore sequitur uti patet; namque qui in priora post acceptam pluries veniam sæpe reincidunt crimina, cum æterna priventur beatitudine, æternis etiam adjudicari suppliciiis necessum est, quia proculdubio, tot ad infernum damnandos peccatores, quot celesti gloria privabuntur. Et ideo perfidos hos peccatores, qui maligna inconstantia sæpe surgentes cadunt, et cadentes surgunt, non ad paradysum, sed ad infernum aptos et paratos asserit Spiritus Sanctus: *qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad romphæam* (Ecclesi. 26, 27). Ideo etiam divus Paulus eos comparat terre reprobas, quæ tribulos solum et spinas parit; *terra, inquit, proferens spinas et tribulos, reprobata est et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem* (Hebr. 6, 3); peccatores enim

qui in priora relabi solent scelera, sunt terra ingrata, quæ quamvis a Deo excolatur et gratis fovetur, tribulos tamen et spinas iterum parit. Hæc autem terra reproba et maledicto proxima dicitur, quia tandem peccatores hi a Domino maledicentur, et in inferni ignem æternum cruciandi mittentur: *cujus consummatio in combustionem*. Maledicit Deus his qui perdidit sustentiam et qui a viis rectis aberraverunt: *cohis qui perdidit sustentiam, et qui dereliquerunt vias rectas, et dicerentur in vias pravas* (Ecc. 2, 16). Sustentiam perdunt et vias rectas relinquunt peccatores illi, qui post acceptam a Deo indulgentiam, in accepta gratia non perseverant, ab ea sæpe cadunt et ad vias pravas, seu ad priora peccata declinant: hi autem peccatores maledictione æterna a Deo feriuntur, quum ad supplicia sempiterna damnauntur. Hos Deo filios suos fecerat eis gratiam sanctificantem largiendo; quia vero hanc gratiam abiecerunt et in pristina peccata pluries relapsi sunt, filii gehennæ fiunt et ad æterna supplicia damnantur: *fit filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum, in eadem denovo sordes incidit* (S. Ber. ser. 2 de Assump.). Quater et quinque a Philisteis captus et vincetus Sampson, vincula semper rupit et ab inimicis liber erasit: sexta autem vice, mulieris suæ arte et opera vincetus, dixit in animo suo: *egrediar sicut ante feci et me excutiam* (Judic. 16, 20): hæc tamen vice, vincula frangere nequivit, ac usque ad mortem captivus apud Philisteos remansit. Ecce veram peccatorum in priora peccata relabentium figuram: quotiescumque enim in peccata recidunt, toties Philistinorum, seu daemonum captivi fiunt: et quotiescumque per penitentiam a peccatis surgunt, toties vincula quibus ligabantur, dirumpunt. Postquam autem peccatores hi bis, ter et quater per Dei gratiam peccatorum suorum vincula ruperunt, dicunt semper: *egrediar sicut ante feci et me excutiam*. Dicunt: in priora relabi possum peccata; in natali autem Domini vel paschatis tempore ab iis me expediam, sicut solitus sum: tandem in penam toties repetite ingratitude, permitte Deo, ita peccatis ligantur, ut nusquam amplius ab iis se

expediant, ac a demonibus capti et vinceti ad tartara trahantur. Ecce penas et supplicia quibus addicuntur, qui in scelera recidere solent: quæ ut vitentur, *congrua sunt apponenda remedia*.

III PARS.

Peccati recidivæ remedia.

Irremediabilia et insanabilia videntur vulnera eorum, qui post peractam penitentiam in eadem peccata sæpe relapsi sunt; *insanabilis fractura tua; pessima playa tua* (Jerem. 30, 12). Sanari tamen possunt, si antidota, seu remedia sumant idonea; quæ remedia sunt voluntas bona, occasionum fuga et usus penitentiae; 1. *voluntas bona*, seu firmum propositum non relabendi; 2. *fuga occasionum* urgentium, quæ ad peccandum allicere solent; 3. frequens sacramentorum et præsertim penitentiae usus.

1. Potissimum remedium ad non iterandum priora peccata est bona voluntas, seu verum et firmum non peccandi propositum: si firmum hoc propositum habeas, non recides; quo si careas, relaberis. Cum die quadam a Doctore Angelico petisset soror ejus, quid factura, ut a peccatis declinare et in perfectionis via progrediretur, respondit Doctor, *oportet solummodo ut vobis*. Sic pariter postulat quis, quid facturus, ut post peractam penitentiam in priora peccata non relabatur? Respondeo, oportere tantummodo *ut bene velit*, ac quod firmum propositum eliciat. Nostin, cur toties in priora peccata lapsus es? scito, hoc ita factum esse, quia cum ad sacramentalem confessionem accessisti, te non ultra peccatorum, firmiter non statuisti. Cum petiit a te confessarius, an velles in justitia perseverare, et non amplius peccare, respondisti: hoc volo, hoc firmiter mihi propono, at in corde tuo hoc non volebas, aut volens volebas; si enim firmiter voluis-

ses, gravia peccata haud amplius iterasses (1). Tanta Israelitarum erat inconstantia, ut nunc vero Deo et nunc idolis adolerent incensa. Asa autem ardentis succensus zelo, idola eorum destruxit, quibus destructis, congregavit omnes Israelitas, eosque hortatus est, ut abrenuntiarent idolis, ac Dominum Deum patrum suorum in toto corde et in tota anima quærerent: hi autem palam jurarunt et protestati sunt se solum verum Deum adoraturus: *et in tota voluntate quæsierunt eum, et inveniunt*: postquam autem polliciti sunt se soli Deo in tota voluntate adhaeruros, *prestavit eis Dominus requiem*. His Israelitis similes videntur peccatores, qui in sua relabuntur scelera: eum enim penitentiam agant, tunc Deum adorant: eum autem ad pristina peccata revertuntur, tunc adorant idola. Nunquam vero inveniunt requiem, nunquam in ipsis per gratiam suam quiescet ac permanebit Deus, nisi sincero corde ac in tota voluntate promittant se non amplius in priora peccata lapsuros. Attende igitur, peccator, ne tibi tantum insit velleitas quædam emendandi moras; cave, ne infirmum nimis sit propositum tuum, unde postea novos relapsus confiteri debeas: et vide utrum forte aptius remedium ad eos vitandos sit sincera voluntas non relabendi. En primum remedium.

2. Alterum remedium est occasio-nem fuga. Certo constat hominem esse infirmum, debilem et ad peccata proclivem: ex his autem qui ad peccata redeunt, alii sunt aliis infirmiores, et ad eadem peccata procliviores, ideo eum magna eorum ad

(1) Edipsum in eadem peccata post confessionem, prosequi si ille tentaverit sit, merito ingruit suspensio-nem de sinceritate propositi prius habiti, et consequenter de valore sacramenti: id tamen quoad omnes penitentes asserere non licet; penes enim plures Sanctos Patres et præstantiores Theologos receptum est, posse hominem hodie sincere penitere et proponere emendationem ac filialem obedientiam divinis mandatis; mox vero, urgente temptatione, ex humana infirmitate et inconstantia relabi. « Lubrica, ait S. Jo. Chrysostomus, est natura humana, cito deliquit et cito a fraude se expedit, et sicut confitenti cadit, ita confitenti erigitur » (Adhort. ad Theod. II). Si ergo laudandus confessorius paulo sollicitior de dispositionibus recidivarum, proci etiam absesset a praxi sanctorum, qui omnibus recidivis denegaret absolutionem, donec emendatos se sistant sacro tribunalii.

quædam peccatorum genera sit propensio, si peccandi occasione-bus se exponant, in priora peccata infallibiliter recident. Et ideo, ut quis in priora peccata non relabatur, optimum remedium est occasio-nem fuga. Convalescenti agrote ad cavendum ne rursus infirmetur consultit prudens medicus, ut ab his abstinereat, que morbi causa fuerant: si a nimio studiorum affectu ortum duxit infirmitas, studiis serio incumbere prohibet medicus; si a nimio cibo et potu, abstinentiam et sobrietatem jubet. Idem ordo videtur servandus in morbis animi: ut enim quis vitet relapsum in priora peccata, personas, libros, officia, et ea omnia quæ peccandi occasionem præbuerant, fugere tenetur, quia si iisdem peccandi occasione-bus se committat, in pristina scelera certissime relabatur. Cum Christus Dominus a Judæis captus est, *discipulus quem diligebat Jesus*, fuga sibi consulit (1); cumque miles quidam sindone eum detinere vellet, hic, *rejecta sindone, nudus profugit ab eis* (Marc. 14, 21). Cur Joannes qui amore speciali a Christo diligebatur, et qui supra pectus ejus recumbere meruerat, tam facile fugam capessit? fugit Joannes, ut peccandi occasione-m declinet; *Petrus qui fugere voluit, abnegavit*; *Joannes, ne abnegaret, aufugit*; negavit Christum Petrus, quia illum negandi occasione-m se exposuit; Joannes autem eum non negavit, quia occasione-m illum negandi fugit. Idem vobis accidit; si peccandi occasione-bus vos committatis, in priora reciditis peccata; si autem occasione-bus fugiatis, ad ea non revertemini. Quapropter, frater, occasione-bus peccandi fuge: seis hanc adolescentulam tibi peccandi occasione-m præbuisse, non amplius illam invisas, nec cum illa colloquimur misceas; nosti hanc domum et hoc officium tibi fuisse occasione-m ruinæ; non amplius in hanc ingrediaris domum, et hunc officio abrenuntia; occasione-bus tandem proximas fuge, sicut fiet ut in priora peccata non relabaris.

(1) Quamvis S. Scripture interpretes inter se non conveniant, quis fuerit ille adolescens, de quo Marcus, affirmantibus aliis, alii et forte probabilibus negantibus illum fuisse Joannem, quisquis tamen ille fuerit, congruit exemplum.

3. Tertium remedium est frequens sacramenti penitentiae usus. Si enim peccamus, penitendum: si iterum peccamus, iterum penitendum; ac quotiescumque ex nostra fragilitate et imbecillitate in peccata relabimur, toties adeundus prudens confessorius, toties ei manifestanda peccata, et toties de iis agenda penitentia, quæ est remedium toties iterandum, quoties ad pristina peccata revertimur: *iteratæ caletudinis, inquit Tertullianus, iteranda medicina est.* De iuvene quodam monacho legitur, quod cum ab abbate efficac aliquod adversus recidivam remedium petisset; respondit ei prudens moderator: *si cecidisti, surge; si non cessas cadere, non cesses surgere.* O salubre consilium! a efficac adversus recidivam remedium? hoc, quæso, utinam remedio; si in peccata caditis, per penitentiam surgite: si iterum et iterum caditis, iterum et iterum per penitentiam surgite (1). Nolite stolidos hos peccatores imitari, qui ad penitentiae tribunal non accedunt, nisi prius horrendis et multis peccatis graventur; vos autem si in grave aliquod cecideritis peccatum, mox ad remedium properate ac per penitentiam ab eo surgite: *iteratæ caletudinis iteranda est medicina.* Cum die quadam in deserto deambularet S. Arsadius, audivit vocem dicentem, *veni, ostendam tibi opera hominum.* Progreditur abbas et a longe deterrimum videt Maurum ligna credentem ac fascem componentem, qui semper lignis ligna addebat. Facto autem fascis prægrandi ac adhibita utraque manu, ut quanti ponderis esset, probaret, illum ita gravem reperit, ut vix eum e terra levare posset. Quid tunc ille Maurus? abiicit ne fascem? au-

(1) Ex hoc saluberrimo consilio contra relapsus, quod auctor et omnes theologo proponunt, conficere licet, relapsus non esse signa præteriti infirmi peccati, ideoque hinc recte et relaxibus concludi pro invaliditate confessionum præcedentium. Alioquin quomodo posset iteratè confessionem peccator recidivæ, si aliquem adiret confessorium, qui, illo secunda vel tertia vice absoluto, peccata dimitteret inaboluita, donec emendatum se ipsi cisteret? Est autem notata aliquam quod iure merito dubitatur de veri contritione et proposito firmo eorum qui raro confitentur, et plura semper eademque peccata accusant: quæ propterea quomodo probare expedit, ac illationes absolutiōnis mellæ disponere ad gratiam sacramentalem et vite emendationem. N. E.

ferme e fascis aliquid ligni, ut pondus minuat? nequaquam. Quin contra nova superimponit ligna, ac fascis pondus ita auget, ut nec illum a terra quocumque modo extollere valeat. Ecce quæ sine opera eorum, qui post obtentam a Deo veniam in priora peccata reincidentes, ad penitentiam prompte non accelerant. Hi postquam in priora scelera ter aut quater, imo et semel ceciderunt, ingenti gravantur onere, nec ideo ad penitentiae tribunal properant, ut onus deponant; peccata peccatis addunt, donec onus importabile confecerint. O frater, si post acceptum a Deo veniam iterum peccasti, depone cito onus iniquitatum tuarum; si iterum in peccata lapsus es, ad penitentiae tribunal iterum advola, et ut ait Tertullianus, *rursus pœnitere non pigeat*, quia hoc est optimum remedium. Ecce tria ad vitandos relapsus efficacissima remedia (1); quibus quartum addi posset sumptum ex D. Bernardo: cui cum aliquando occurrisset vir luxuria adeo immersus, ut nullo non die non se fosse coquinaret; monet, hortatur, increpat illum Doctor Mellifluus, cui respondet alter, impossibile sibi ab his sordibus abstinere. Rogat eum Bernardus, ut tribus saltem diebus pro Dei amore abstineat: *quæso, inquit, saltem aliquis cum Deo inducias facito, ut minus ad triduum.* Annuiit ille, ac triduo feliciter expleto, ab illo petit vir sanctus, ut tribus aliis diebus in sanctissimæ Virginis honorem abstineret, *in Deiparæ honorem tantumdem præsta*; obtemperat ille. Tum tandem tertio dixit ei Bernardus, *semel adhuc has inducias posco in honorem omnium sanctorum*, quas et adhuc ille paciscitur. Qua Bernardi arte, ille qui sibi impossibile censebat abstinere a peccatis, clare intellexit, hoc sibi esse possibile et facile. Hac

(1) Auctoris vero, et suis in regionibus pene ignotus erat frequens divine Eucharistie usus, qui tamen nil salubrius, nil efficacius ad serrandum cor immune a peccato saltem lethali, prout definiit Tridentinus synodus his verbis: «suum voluit (Je. Chr.) sacramentum hoc tanquam spirituales animarum cibum... et tanquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus preservemur» (sess. 13, c. 2). Hoc ergo remedium prætermittere non debet condonator vel confessorius, cui cordi sit fideles a peccatis avertere atque ad celestem patriam tunc dirigere. N. E.

arte et hoc remedio vos etiam utimini, ut peccati recidivæ malignitatem et poenam devitetis, ac etiam ut æternam beatitudinem aliquando obtineatis. Amen.

FERIA III POST PASCHA.

DE PACE.

Pax vobis (Luc. 24).

Antiquus et receptissimus apud Hæbræos erat mos ille salutandi, quo hodie utitur Christus, cum pacem Apostolis suis dat et precatur, dicens: *Pax vobis*. Hunc salutandi et bene precandi modum servarunt angeli in Christi nativitate cum Salvatorem in antro Bethlehemitico natum esse annuntiarent; hunc servarunt Apostoli in epistolis et congressibus suis, et hunc servat Christus post resurrectionem suam, optans Apostolis pacem cordis et anime, quæ est omnium honorum hujus mundi maximum, quo nullum melius et optabilius inveniri potest: *Pax vobis*. Maximum quidem bonum est illa pax; animadvertite vero quod eam det Christus Apostolis, discipulis et viris justis, non impiis et peccatoribus, qui a statu gratiæ ceciderunt, et qui in statu mortalis peccati vivunt; quia impij nisi convertantur, nulla usquam vera pace et animi tranquillitate fruuntur: *non est pax impijs, dicit Dominus* (Isa. 28, 22). O viri justi hanc pacem, tamquam munus pretiosissimum dedit et reliquit vobis Christus: *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (Joan. 14, 27); impijs autem nulla usquam vera pax inerat, ut tota hac concione constabit. Ave.

Viri justi, qui pie in Christo vivere volunt, et qui a Dei lege non deviant, interna et constanti fruuntur pacem in vita, in morte et post mortem. *In vita quidem*, quia quidquid viro

justo acciderit, non turbatur et quasi non tangitur cor ejus; continua semper et imperturbabili pace gaudet. *In morte etiam*, quia tantum abest, ut tunc turbetur, angatur et crucietur cor ejus, quin contra cum gaudio advenientem mortem suscipit; eam velut somnum quietis et pacis inspicit, capitque dissolvi et esse cum Christo. *Post mortem tandem*, quia tunc in pace dormit et requiescit, ac æterna paradisi pace fruitur: *Illi autem sunt in pace* (Sap. 3, 3). Felices quidem viri justi cum perfecta, continua et perpetua iis insit pax; e contra o quam infelices impij, qui viam pacis non cognoverunt, et quibus in vita, in morte et post mortem non est pax. *Non est pax impijs in vita; non est pax impijs in morte; non est pax impijs post mortem*. En tres hujus concionis partes.

I PARS.

Non est pax impijs in vita.

Sanctitatis fructus est pax animi et gaudium in Spiritu Sancto; impietatis vero fructus animi perturbatio. Impiorum enim cor quasi mare ventis et fluctibus agitarum nunquam perfecta pace et quiete fruatur: *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest* (Is. 57, 20): vel, uti vertit Vatablus, *impij autem Euripi instar fremunt*. De Euripo fertur, quod septies per diem fluat et refluat, ideoque in perpetua sit agitatione et motu, quod quomodo fiat comprehendere nequit Aristoteles. Unde de eo dicitur: *Euripus habet Aristotelem, non Aristoteles Euripum*. Licet autem hoc natura mysterium penetrare non valeamus, certum tamen est impios Euripo assimilari, qui cum perpetuo cupiditatum aestu et demontur afflatur agitentur, quiescere, veraque animi pace et tranquillitate frui nequeunt; instar Euripi et maris fluctuantis continue jactantur, intusque turbantur. Pax illa interna, de qua loquimur, est tranquillitas quaedam et serenitas mentis; est fiducia bonæ conscientie orta ex conjecturis, quæ moralem pariunt

certitudinem, se esse in Dei gratia constitutum. Qui enim talem fiduciam habent, mente non anguntur, nec interno peccati verme mordentur; quin contra pacem fruuntur, quæ exsuperat omnem sensum, et quam solus ille novit, qui eam possidet. Hæc pax est manna illud absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit; seu, ut rectius dicam, est prægestus quidam celestis illius manna, quo in celo pascuntur beati. Impii autem et qui lethalis abocijus eriminis labe inficiuntur, illa carent pace; nulla eis pax est et requies interna: nam continuo cupiditatum aestu agitantur et perpetuis perpetratorum criminum aculeis etiam in mediis voluptatibus lancinantur. Sicut enim Pharaon neque in lecto, neque in lecto, neque in alio aliquo loco a cinilibus, seu culicibus requiem habuit, ita et impii sive lecto decumbant, sive mensæ accumbant, sive voluptatibus indulgeant, nulla requie et pace fruuntur: interius sepe conscientie morsibus stimulantur, et passionibus cupiditatisque suis intus conturbantur. Hoc sciunt et in semetipsis experiantur impii, quorum sane nullus interna fruitur pace. Omnes totius mundi lustrate provincias; omnia peragrate regna; omnes orbis terrarum interrogate nationes et ab eis petite, an ex impiis qui Deo resistunt, inveniantur aliqui, qui interna fruantur pace; *Quis restitit ei, et pacem habuit* (Job. 4, 9)? Hanc omnibus hujus mundi hominibus questionem proponite, qui omnes si sincere respondere velint, dicant, nullum unquam vera pace potitum, quamdiu in statu mortali peccati fuit; quo lethali vulnere quamdiu tabescunt homines, intus mordet eos vermis conscientie, et omnis interna pax turbatur et tollitur. Peccatores quidem omnes quantumvis eldurati et in peccatis obstinati pacem et animi quietem semper appetunt, nec tamen unquam assequuntur quamdiu gravi noxa foedantur. Interim, a vera pace extorres, sibi suadent, quod tunc pace fruuntur, cum voluptatibus adhaerent, cum inordinatis satisfecerint passionibus, et cum id egerint quod suadet mundus, caro appetit, et diabolus inspirat. Dicunt intra semetipsos; tunc pax nobis erit, cum hoc et illud malum egerimus: *Dicunt pax, pax* (Jer. 6, 14). Ipsi vero falluntur: nunquam

interna et vera fruuntur pace, si prius peccata sua non delaverint, et ea penitus non abjecerint: *dicunt pax, pax, et non erat pax*. Nulla, inquam, eis pax unquam erit, si prius peccatis non valedixerint, quin contra tristes semper et morosi diris conscientie morsibus semper cruciabuntur. Varias sancti Patres adducunt rationes, cur impii in peccatis marcescentes pace aliqua frui nequeant. *Primum* affert sanctus Ambrosius, dicens, impio nullam esse pacem, quia sub dira peccati servitute gemit. Ex hoc sacro Scripture principio, quod *qui facit peccatum, servus est peccati*, S. Doctor infert peccatorem nulla posse pace et quiete frui, eo quod illum, instar servi, necessario semper laborare, semper trepidare, et sub dura peccati servitute ingemisere oportet. *Secundam* desumo ex eodem Ambrosio, qui ait, peccatores semper turbari, nullaque unquam pace frui, quia cum suas non frænent cupiditates et passiones, ab iis conturbantur et cruciantur. Illa enim effrenatae cupiditates magnam, inquit, faciunt tempestatem, et veluti in quodam freto corporis navigantem animum hinc atque inde iactant. Unde sicut pax est hominibus bonæ voluntatis, ita et hominibus impiis, hominibus malæ voluntatis et effrenatae cupiditatis non pax est, sed anxietas et perturbatio magna. *Tertiam* adducit divus Augustinus, dicens, quod cum vera pax hominis procedat ab unione ejus cum Deo, non potest esse vera pax impio, qui per peccata sua a Deo divisus est. *Iniquitates vestre dividerunt inter vos et Deum vestrum* (Isai. 59, 2). Alias multas taceo rationes; sub silentio tamen non præteribo illam, quæ sumitur ex parte conscientie, quæ ita peccatorem intus mordet, lancinat, et cruciat, ut vera nunquam pace gaudet.

Conscientia bona gaudium, pacem, et tranquillitatem parit: ita ut vir justus, cujus conscientia nullo gravatur crimine, sit semper quietus, nec adventitibus quibuscumque adversis affligi possit; *non contristabit justum, quicquid ei acciderit* (Prov. 12, 21). Sicut Ericius, in globum convolutus, in medio latrantium et ringentium canum securus conquiscit, sic justus, cujus conscientia a gravi peccato libera est, in mediis adversita-

tibus et tribulationibus quiescit, et interna pace fruitur. Contra vero vir impius plerumque tristis, perfecta nunquam pace gaudet; quia conscientia mala omne verum gaudium ejus e corde tollit, variosque perturbationum motus gignit. In hujus rei exemplum adduci posset impius Cain, ejus facies concidit, sive, ut loquitur S. Ambrosius, *Cain tristis factus est. quia propria conscientia intellexit, Deo sacrificium suum non probatum*. Cur vero singulare hoc adducam exemplum, cum ipsa experientia constet, non solum Cain, sed et omnes gravi aliquo scelere obstricti intus veraciter gaudere nec vera pace frui? nonne omnes a conscientia accusante et intus torquente semper infestantur et conturbantur? Ac licet aliquam exterius præsenserant lætitiã, ea tamen vera et solida non est, quia in corde non est. *Sicut geacium criminum rei, qui in carcere habitant, capitis damnationem timentes, etsi deliciis abunde fruuntur, vitam tamen apud mazime molestant et anxiam; sic qui improba conscientia molestantur* (Chr. ho. 22 de nequit. rep.). Istis enim multa narrentur vel represententur læta; conscientia tamen illos ubique comitatur et torquet, nec vel paululum veræ pacis degustare sinit. Videte quid Theodosio imperatori acciderit. Nonne hic in summam tristitiam devenit, postquam ob cædem Thesalonice a sancto Ambrosio excommunicatus et ab Ecclesia exclusus est? Nonne hic ita tristis effectus est, ut nulla pace, nulla quiete potiretur? hujus sane maxima fuit tristitia. Cumque Ruffinus, familiaris ejus eum lætari et bono animo esse juberet, flens ille respondit: *O Ruffine, tu mea mala non sentis: ego lamentor et gemo calamitatem meam: quia sercis quidem et mendicantibus aperta sunt templa Dei, et proprium Dominum ingrediens licite exorant, mihi vero ingressus ad eum non est; insuper etiam celi mihi sunt clausi. Hæc dicens, singultibus verba singula interrompebat, neque quievit, donec necu anathematis soleretur* (Theod. hist. trip. 9, 30). Quod de Theodosio, hoc et de omnibus impiis dicendum. Quamdiu enim mortali peccato inquinantur, nulla unquam vera pace fruuntur: quin contra intus semper conscientia mor-

sibus extimulantur et torquentur. Si ad cælum oculos tollant, mox suggerit conscientia, nunquam illic ascensuros ni suis prius abrenuntiaverint sceleribus: si inferni supplicia mente revolvant, mox intus loquens conscientia dicit eis: quod is æternum addicentur supplicio, ni a viis suis pessimis declinent; si fratres videant, propinquos, vel amicos illariori vultu, modesta lætitia, comitate, benignitate alisque virtutibus revelare interiorem pacem et gaudium quod possident, confestim eis sua exprobat conscientia; ecce veros Dei filios et amicos; tu autem es filius gehennæ! En tortorem crudelem eos ubique dirissime crucians: *peccator habet in secreto cordis sui tortorem conscientie suæ* (Aug. ser. 18 de verb. apost.). Vis ergo, peccator, vera pace et tranquillitate in hoc mundo frui? omnia e corde tuo tolle crimina, et bene vive: *vis ergo nunquam esse tristis?* inquit Isidorus, *bene vive* (Soliloq.). Hæc unica est ars, qua obtineri potest vera pax in hac vita, quia impiis et omnibus iniqua agentibus nulla unquam erit vera pax in vita: *nec etiam in morte*.

II PARS.

Non est pax: impiis in morte.

Refert S. Joannes Climachus, Stephanum virum pereximia sanctitate fulgentem, qui toto quadragesimo annorum curriculo in eremo, vigiliis, jejuniis, lacrymis, omnique-virtutum generi addictus, præclare vixerat, in hora mortis obstupuisse, turbatum esse: et quasi, inquit, rationem quidam a se exigerent, cunctis qui astabant audientibus, *ajebat: aliquando quidem, ita sano, sic revera est, sed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando vero: non certe, sed mentimini, hoc non feci. Deinde rursus: ita vere est, hoc ita est: sed fieri, sed ministravi. Ac rursus: vere me accusatis. In quibusdam etiam aliquando ajebat, ita sane, et quidem ad hæc quid dicam non habeo, ideo misericordia est. Et erat perfectio*

spectaculum horrendum, ac terrificum. De famoso illo multorum eremicalarum abbate et patre Arsenio fertur, quod instante morte, timor et tremor venerint super eum. De sancto Hilarione etiam narrat sanctus Hieronymus, quod cum in hora mortis frigidus timor artus ejus invasisset, ut timerem hunc procul pelleret, dicebat: *O anima mea, egredere, quid dubitas? egredere, quid times? septuaginta annis Deo servisti, et adhuc exire times?* (Hier. in vita Hil.). Heu si viri illi sanctissimi in hora mortis timerant, et perfecta pace non gavisi sunt, quæ quæso, instante morte, pax erit impiis, quæ animi tranquillitas, quale gaudium, qualis consolatio? Tunc nulla eis erit pax, nulla tranquillitas, nulla quies et consolatio, imo magnus eis inerat timor, maximus dolor, et ut ait sanctus Bernardus, *inter diversos dolores et timores animam exspirabunt.* Cum viri justi ad portas mortis appropinquant, aliquo affici solent timore scientes formidanda esse Dei judicia; mox secum ipsi recogitantes, se non mortaliter peccasse, aut de perpetratis peccatis penitentiam egisse, blanditur eis conscientia, et adveniente sancta in Deum fiducia, in pace dormiunt et requiescunt. Impii vero non sic; recordantur se toties in Deum suum peccasse, toties conversionis gratiam abjecisse, totiesque Deo vocanti restitisse, ideoque turbantur, trepidant, et infelicitur moriuntur, et non in pace, ast in confusione dormiant, *dormiemus in confusione nostra, et operiet nos ignominia nostra: quoniam Domino Deo nostro peccavimus nos.* Quamdiu bene habent peccatores, in mediis etiam deliciis vera non gaudent pace propter intus torquentem conscientiam; et patrorum scelerum memoriam eos conturbantem. Instante morte, longe dirius cruciantur, omnique pax fugiet ab eis, *tum* ob perpetrata peccata, quæ menti eorum obijciuntur: *tum* ob demones, qui eos conturbant; *tum* ob Dei judicia, quæ formidant.

1. Cum infirmatur, mortique appropinquat impius, omnia in quæ incidit peccata, menti ejus obijciuntur: tunc meminit pravarum omnium cogitationum, quas toto vitæ suæ tempore mente revolvit; omnium verborum inordinatorum quæ protulit,

uno verbo, omnium scelerum quæ perpetravit. Tunc testificans et accusans conscientia ei exprobat quidquid unquam mali fecit, intus dicens: nonne verum est, quod obscenas cogitationes millies voluntarie mente volvistis? Nonne fœdis libidinibus illo die et cum illa persona indulgisti? Nonne millies nomen Dei tui blasphemasti? Nonne hunc et illum hominem bonis inique spoliasti? Nonne hanc, et illam actionem iniqua egisti? Tunc non aliqua duntaxat, omnia penitus peccata quæ perpetravit impius, veluti torrentes in mentem ejus venient, eumque conturbabunt: *torrentes iniquitatis conturbabunt me.* Tunc quilibet impius, si rationis usu polleat, sua omnia mente volvens peccata, eorum ponderabit gravitatem; et quæ sibi antea levissima videbantur, tunc enormia et quasi formidanda monstra apparebunt. Tot igitur recogitans et ponderans peccata, quomodo plurimum non contristabitur et conturbabitur? *venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traduent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Quamquam vero memoria præteritæ vitæ nequam abunde sufficiat ad turbandum cor impiorum, appropinquante morte, adhuc et *tetri demones, quibus in vita servierunt, horrendè eos torquent.*

2. Iis nonnunquam demones sese sub horrendis figuris videndos præbent, eisque tantum terrorem incutiunt, ut de conversione et salute cogitare nequeant: *ex omni parte terrebunt eos demones terribiles, et horribiles.* Etsi vero demones impii sub specie visibili non appareant, eorum saltem mentibus se ingerunt, eaque illis suggerunt quæ ad eos conturbandos et terrendos sunt idonea. Tunc iis Deum representant, non ut benignum, misericordem, et paratum eis indulgere si converti velint; verum ut terribilem et severum judicem, ut iratum dominum jam vindictæ suæ flagella manu gestantem. Quibus ideis ita terrentur et conturbantur impii, ut interna pace frui quomodocumque nequeant: *conturbati sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos.* Demum impii in hora mortis interna carebunt pace *ob imminentiâ Dei judicis quæ formidant.*

3. Impii mortis proximi et cubili suo decumbentes, a Dei iudiciis timent: plerique enim sibi audire videntur Deum, vita rationem ab iis petentem, et jam dicentem: *redde rationem sollicitationis tue*. Sibi impius quisque tunc audire videtur Deum dicentem illi: O impie, redde rationem animæ tuæ, corporis tui, facultatum tuarum, omniumque bonorum naturæ et fortunæ quæ tradidi tibi: redde rationem pretiosissimi sanguinis, quem pro tui salutem libenter fudi, sacramentorum quæ pro tui sanctificatione institui, et gratiarum mearum quæ in tempore opportuno tibi dedi: redde rationem sanctarum omnium inspirationum quibus ad conversionem te vocavi, et piorum motuum quibus ad recedendum a peccato, et ad bene vivendum te excitavi; redde tandem rationem omnium bonorum et beneficiorum, quæ a me percepisti. Anne iis omnibus ad mei gloriam et tui salutem usus es? O ingratus, nonne hæc omnia servire fecisti iniquitatibus tuis? nonne in me benefactorem tuum inique egisti? nonne me tui amantem inique rejectisti? nonne toties iteratis criminibus ad iracundiam me provocasti? Quæ annæ est expectatio tua, quid a me sperare potes nisi durissima et æterna tartari supplicia? his aut similibus cogitationibus territus peccator, turbabitur, angetur, nullaque pace fruatur. Scio, nonnullos videri impios, qui adveniente morte, nulla timoris et anxietatis signa edunt. Ipsa experientia docet, aliquos quandoque reperiri peccatores obduratos, omni sensu carentes, qui in hora mortis de penitentia aliorumque sacramentorum perceptione non curant, et tamen nullo modo timere videntur: animo ita quieto et tranquillo ex hoc mundo exeunt, ac si viri justi et sancti fuissent; revera tamen huiusmodi impii non moriuntur in Domino, nec veræ pacis munere donantur. Eorum pax non est vera, sed falsa et apparens; ut enim ait divus Augustinus, magna est differentia inter veram hominis justî et falsam hominis impii pacem; quia vera hominis justî pax provenit a Deo intus habitante per gratiam suam, et firmam salutis spem conferente; apparens vero impii pax non a gratia, nec a salutis spe procedit, sed a quadam cordis duritia, et animi insensibilitate. Ideo in pace mori

videtur impius, quia cum ob perpetrata peccata lumen fidei in mente ejus sit extinctum, cum Dei gratia a corde ejus penitus abscesserit, et cum amplius eum non arguat conscientia, insensibilis remanet, et sic in pace mori videtur, non tamen in pace, sed in duritia et insensibilitate cordis moritur. O quam magna miseria hominis impii, qui pacem non habet in morte; *multoque minus etiam post mortem*.

III PARS.

Non est pax impiis post mortem.

Moritur impius et anima ejus nativa propensione centrum suum quærit; ad Deum animæ suæ centrum naturaliter fertur; illum possidere desiderat; et ad cælum ire, ubi Deo et æterna pace fruatur, maxima peroptat. Verum a Dei fruitione, a cælo et ab æterna pace arcbitur: *repulsa est a pace anima mea*. Nulla sane pax est impio post mortem; quin contra Deum, angeli, demones et omnes creature illi bellum indicunt et adversus illum militant, ac ut de Ismaele dicitur, *manus omnium contra eum*. Quandiu in hoc mundo moratur impius, innumeris eum Deus beneficiis afficit, semperque paratus est ad dandum illi osculum pacis, si ad eum converti voluerit; mox ut mortuus est, arma sua sumit Deus, ut adversus illum pugnet, omnesque creaturas adversus eum armat, *accipiet armataram zelis illius et armabit creaturam ad ultionem inimicorum*. Mox ut obiit impius, Deus quasi armatus adversus illum pugnat exprobrando illi quæcumque patravit crimina et durissime objurando eum. Adversus illum pugnant custodes Angeli, obijcunt ei Dei beneficia, quorum ingratus fuit et sanctas inspirationes, quas inique repulit. Adversus illum decertant demones, potentes eum sibi tradi, quia omni beatitudine indignus et æternis suppliciis dignus est. Vel dicendum, quod statim ex hoc mundo exierant iniqui, Deus adversus illos militat, dum omnium quæ in

vita fecerunt, ab iis rationem exigit, dum eos severe iudicat, et adversus eos sententiam dicit, eosque æternis tartari suppliciis adjudicat. Neque solum per seipsum Deus adversus impios pugnat, verum etiam per demones, quibus eos cruciandos tradit, *tradidit eum tortoribus*. Ut enim explicat S. Remigius, *tortores sunt demones, qui animas peccatorum mille modis gravissime torquent et cruciant in gehenna*. Satis superque ex jam dictis conjiciet unusquisque vestrum, impium nulla post mortem pace frui. Ut autem melius adhuc hoc pateat, descendamus in infernum viventes, ibi consideremus impios, voracibus flammis involutos, terribis demonibus circumdatos, et Dei visione privatos; ibi clamant, ibi gemunt, ibi vociferantur, dicentes: *erravimus a via veritatis, Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulacimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut dicitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra*. Quæ, quæso, impiis illis in inferno existentibus pax esse potest? nulla quidem. Continuum iis inest bellum cum flammis a quibus cremantur, cum demonibus a quibus torquentur, ac cum complicitibus quibus maledicunt, et a quibus maledicuntur. O quam miseri post mortem impii, cum pacem nullam habeant cum Deo et cum creaturis. Numquid forte pacem habent in semetipsis? et dum torquentur exterius, interius forte aliqua pace fruuntur? Absit hoc sentire de impiis in inferno existentibus. Non sunt hi similes viris justis, qui in mediis suppliciis quæ in hoc mundo perferunt, interna pace et quiete gaudent. Impii quidem in inferno nulla potiuntur interna pace; dum exterius a flammis, et a demonibus cruciantur, interius a verme conscientie roduntur et lacerantur. Sicut tinea vestem continue rodit licet occulte, ita vermis conscientie sine ulla intermissione damnatorum corda corrodit et arguit, intus dicens, cur, o impie, animam tuam ad Dei imaginem, celo natam et unicam tuam, pro momentanea voluptate, pro modico lucro, pro transitoris dignitatibus et ut ita dicam, pro nihilo dæmoni vendisti, et nunquam redimendam inferno mancipasti? cur vo-

canti divine gratiæ toties restitisti? cur veram de peccatis poenitentiam non egisti? cur non imitatus es hos et illos qui poenitentiam egerunt, et salvi facti sunt? Hic vermis nunquam morietur, *vermis eorum non morietur*; erit perpetuus accusator et vindex hominis impii, qui statuet illi ante faciem præterita peccata et redarguet eum, iusteque condemnabit. Imo savissimus ille vermis, carnificis instar, dire eorum corda torquebit: vel ad modum hostis infensissimi, perpetuum bellum adversus illum geret, eumque semper infestabit. Sicut ranæ clamore suo dormientium quietem turbant, sic vermis conscientie in inferno nunquam tacebit; impios semper arguet et inquietabit. Modo illis objiciet quæ et quanta pro eorum salute Christus passus sit; modo gratias omnes quibus abusi sunt; modo æternam beatitudinem ad quam erant creati et a qua in æternum exulant, quia a peccato abstinere noluerunt, vel quia modicam poenitentiam agere recusarunt. Ideo reprobi interno hoc verme corrosi et semper lacerati, in rabiem et desperationem incident, suasque pre dolore linguas manducant, *commanducaverunt linguas suas pro dolore*. O quam graviter adversus impios in inferno pugnat internus ille vermis! o quam graviter lacerantur et cruciantur acerbis illis conscientie stimulis et morsibus! insuper, ut ait summus pontifex Innocentius, in inferno sunt vermes materiales, quibus rodentur impiorum corpora: *in inferno vermis duplex; interior, qui rodit cor; exterior, qui rodit corpus*. Et ut loquitur D. Basilus « in inferno est vermium innumerabilium genus venenosum ac carnivorum, easitas quidem semper, nec tamen se satians, sed intolerabiles dolores morsibus infligens ». Addit S. Anselmus, *quod in inferno sunt vermes immortales, serpentes et dracones, visu et sibilo horribiles; qui, ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma*. Quæ ergo post mortem pax esse potest impiis, cum Deus, angeli, demones, vermes, serpentes et dracones adversus illos acriter pugnent? nulla sane iis est pax non solum in vita et in morte, nec etiam post mortem. Igitur, iniqui, desinite perverse agere; tollite de medio vestri peccata, quæ sunt causa, cur nulla

vobis unquam sit pax, et nolite amplius peccare in Deum vestrum. Scitis, praelium magnum aliquando factum esse in celo: *praelium magnum factum est in celo. Michael et Angeli ejus preliabantur cum dracone.* Unde hoc bellum in celo? a peccato: nisi enim peccassent angeli, nullum unquam in celo praelium, sed sempiterna pax fuisset. Utque e celo tolleretur praelium, et perfecta pax in eo solidaretur, expulsus est e celo peccatum, et angeli qui peccaverant, extra celum ejecti sunt. Sicut autem bellum in celo ortum est a peccato: ita et bellum in vobis a peccato est, et peccatum in causa est, cur nulla unquam pace fruamini. Ideo omnia peccata e medio vestri tollite, ut Deus pacis habitet vobiscum et ut vera pace frui mereamini. Omnibus notum est, Christum esse authorem pacis, pacemque nobis cum aeterno Patre conciliasse. *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quo in terris, sive quo in caelis sunt.* Quomodo nos Patri reconciliavit, pacemque nostram composuit? per destructionem peccati. Sicut enim per peccatum inimici Dei facti eramus, ita et per peccati destructionem pax nostra inita est, et Deo reconciliati sumus. Vultis similiter vera et perfecta pace gaudere? omne peccatum a vobis tollite. Durum vobis videtur aliena restituere, huic creaturae valde dicere et penitentiam suscipere, ut peccatum in vobismet ipsis destruat? multo tamen durius videri debet, nulla in hoc et in alio mundo pace gaudere. Igitur penitentiam strenue suscipite; omne peccatum procul a vobis pellite, et perfectam in hoc mundo et aeternam in celo pacem habebitis, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum supplex deprecor, ut aeternam, ineffabilem et incomprehensibilem paradisi pacem vobis, mihi et omnibus tribuere dignetur. Amen.

EXPLICIT TOMUS TERTIUS


CONTINENS CONCIONES DE TEMPORE SEC. PART. QUADRAG.

INDEX

DOMINICA QUARTA — De divina providentia	pag. 1
I PARS. — De Dei providentia non est dubitandum	> 2
II PARS. — De Dei providentia non est murmurandum	> 8
III PARS. — De Dei providentia non est diffidendum	> 12
FERIA II POST DOMINICAM QUARTAM — De templorum profanatoribus	> 17
I PARS. — Templorum profanatores in Deum graviter peccant	> 18
II PARS. — Templorum profanatores Deum ad iracundiam provocant	> 23
III PARS. — Templorum profanatores a Deo severe puniuntur	> 27
FERIA III POST DOMINICAM QUARTAM — De Dei mandatis	> 32
I PARS. — Dei mandata servare est possibile	> 33
II PARS. — Mandata Dei servare est facile	> 38
III PARS. — Dei Mandata servare est necessarium	> 42
FERIA IV POST DOMINICAM QUARTAM — De cecitate spirituali	> 46
I PARS. — Cecitatis spiritualis cause	> 47
II PARS. — Cecitatis spiritualis malignitas	> 51
III PARS. — Cecitatis spiritualis remedia	> 55
FERIA V POST DOMINICAM QUARTAM — De morte	> 59
I PARS. — Quis est mors	> 60
II PARS. — A quo est mors	> 64
III PARS. — Qualls futura est cujusque mors	> 68
FERIA VI POST DOMINICAM QUARTAM — De conversione non differenda	> 73
I PARS. — Qui conversionem ad vite finem differunt increduli sunt	> 74
II PARS. — Qui ad conversionem ad vite finem differunt, stulti sunt	> 79
III PARS. — Conversionem ad vite finem differentes, reprobatiori proximiunt	> 84
DOMINICA PASSIONIS — De mendaciis	> 89
I PARS. — Mentiri est commune	> 90
II PARS. — Mentiri est prolirosum	> 95
III PARS. — Mentiri est malum	> 98

FERIA II POST DOMINICAM PASSIONIS — De avaris usurariis pag. 102	
I PARS. — Avaris usurarius in vita non potest satiari	104
II PARS. — Avaris usurarius in morte non potest sanctificari	108
III PARS. — Avaris usurarius post mortem salvari non potest	112
FERIA III POST DOMINICAM PASSIONIS — De festis diebus rite celebrandis	116
I PARS. — Festis diebus abstinendum a peccatis	117
II PARS. — Festis diebus cessandum ab operibus servilibus	121
III PARS. — Festis diebus insistendum pietatis operibus	125
FERIA IV POST DOMINICAM PASSIONIS — De detractioe	130
I PARS. — Detractio est peccatum commune	132
II PARS. — Detractio est peccatum grande	137
III PARS. — Detractio est peccatum perniciosum	141
FERIA V POST DOMINICAM PASSIONIS — De Magdalena peccatrice	146
I PARS. — Peccatorum beate Magdalene natura	147
II PARS. — Peccatorum beate Magdalene causa	152
III PARS. — Peccatorum beate Magdalene remedia	157
FERIA VI POST DOMINICAM PASSIONIS — De Magdalena penitente	160
I PARS. — Magdalene penitentia fuit prompta	162
II PARS. — Magdalene penitentia fuit sincera	167
III PARS. — Magdalene penitentia fuit constans	170
DOMINICA PALMARUM — De ambitione	174
I PARS. — Beneficia et seculi dignitates ambire non debent indigni	176
II PARS. — Beneficia et seculi dignitates ambire non debent digni	180
III PARS. — Beneficia et seculi dignitates ambire non debent etiam digniores	185
FERIA II HEBDOMADE SANCTE — De Maria juxta Crucem stante	189
I PARS. — Quantum Maria juxta crucem passa sit	191
II PARS. — Quare Maria juxta crucem passa sit	195
III PARS. — Quomodo Maria juxta crucem passa est	200
FERIA VI POST DOMINICAM PALMARUM — De acerba Christi passione	203
I PARS. — In Christo patiente fuit excessus afflictionis	205
II PARS. — In Christo patiente fuit excessus humilitatis	211
III PARS. — In Christo patiente fuit excessus amoris	216
DOMINICA PASCHATIS — De Christi resurrectione	221
I PARS. — Christi resurrectio est dogma, quo nullum clarius in sacra Scriptura probatur	223
II PARS. — Christi resurrectio est argumentum, quo nullum fortius ad probandum ejus divinitatem	225

III PARS. — Christi resurrectio est mysterium, quo ad morum correctionem et ad nostram institutionem nullum aptius videtur	pag. 232
FERIA II POST PASCHA — De peccatis recidive	236
I PARS. — Peccati recidive malitia	237
II PARS. — Peccati recidive pena	242
III PARS. — Peccati recidive remedia	247
FERIA III POST PASCHA — De pace	252
I PARS. — Non est pax impiis in vita	253
II PARS. — Non est pax impiis in morte	257
III PARS. — Non est pax impiis post mortem	261




U A N L

ANNUS APOSTOLICUS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



ANNUS
APOSTOLICUS

CONTINENS CONCIONES

I. TOTO ADVENTU — II. TEMPORE QUADRAGESIMAE
III. OMNIBUS ET SINGULIS TOTIUS ANNI DIEBUS DOMINICIS
IV. DE SANCTIS

PRÆDICABILES
STILO PERSPICUO ELABORATAS

CLARAQUE METRODO CONCINNATAS

AUCTORE R. P.

Fr. ZACHARIA LASELVE

*Sacrae Theologiae Lectore, necnon Provinciae Recolectorum
Sanctissimi Sacramenti seu Tolosanae alumno.*

EDITIO SEVILLA ET ADNOTATA A P. A. SARACENO PRESB. CONGREG. OR. TAURIN.

Volumen IV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN


Conciones pro diebus Dominicis.

A DOMINICA I ADVENTUS AD FESTUM PENTECOSTES (R)

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

AUGUSTE TAURINORUM
EX OFFICINA LIBRARIA ECCLESIASTICA
Eq. LAURENTII ROMANO EDITORIS

M. DCCC. LXXXI.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DIRECCIÓN GENERAL DE

DOMINICA PRIMA ADVENTUS

DE JUDICIO EXTREMO.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna (Luc. 21, 27).

Hanc hodie veritatis conscendi cathedram, ut Christum judicem in tremendo justitiæ suæ tribunali sedentem proponam. Modo in supremo gloriæ suæ solio ad Patris dexteram sedet; in ultimi judicii die videbunt eum peccatores descendentem de celo, angelis suis circumdatum ac divino fulgore radiantem, ut sedeat super sedem majestatis suæ, et juxta severioris justitiæ leges judicet vivos et mortuos, justos et peccatores: *Tunc videbunt Filium hominis, venientem in nube, cum potestate magna, et majestate. Pater æternus per se solum non judicat quemquam, sed omnia judicium dedit Filio (Joan. 5, 22), Qui, ut ait Hugo cardinalis, illum genuit judicem secum.* Christus autem ut supremus judex sub forma visibili, in die judicii apparebit; ac judicabit bonos et malos: *bonos*, ut supra merita eos præmiat; *malos*, ut juxta demerita eos plectat. Unde Christus tunc judex erit beneficus simul et formidandus: *beneficus* justis, qui ei fideliter inservierint; *formidandus* peccatoribus, qui scelus suorum penitentiam non egerint. Gaudete justis, iterum dico, gaudete; quia si gravis in hoc mundo patiamini, tandem aliquando veniet dies, in qua Christus judex absterget omnem lacrymam

ab oculis vestris, æternisque vos præmiis ditabit. Gaudete justi; timeant, ac totis artibus trepidant peccatores, quia si in hoc mundo positantiam non egerint, Christus in tremendo extremi iudicii die iudex erit terribilis, qui in eos inquiret, ipsos increpabit et ad æterna supplicia damnabit. Qualis tunc Christus futurus sit iudex respectu reproborum, ista explicabit concipio. *Acc.*

Terreni quique iudices decipi, corrumpi et flecti possunt. Decipi quidem, *tum* a reis, *tum* a testibus, *tum* ab aliis qui crimina pertinaciter negant, qui ea simulationum involucris tegant, vel qui ea nonnunquam sub fallacibus quibusdam circumstantiis ita proponunt, ut virtutes potius quam crimina videantur. Corrupti etiam possunt, quia, ut asserit Spiritus Sanctus, *doma exerceant oculos iudicem* (Eccli. 20) et ut dixit quidam, *auro pulsa fides, auro venalia jura*. Flecti tandem possunt vel a magnatibus vim inferentibus, vel ab amicis urgentibus, vel a molestis et importunis oratoribus; nec enim ita recta est justitiæ virga, ut in hanc et illam partem aliquando non declinet. Hæc ipsa luce clariora sunt, nec est qui nesciat, quod terreni iudices nonnunquam decipiantur, corrumpantur et flectantur: *decipiuntur*, quia non omnia norunt; *corrumpuntur*, quia summa æquitate non polleat; *flectuntur*, quia corda eorum ad malum prona sunt et flexibilia. At supremus iudex Christus, in die iudicii nec decipi, nec corrumpi, nec flecti poterit; *non decipi*, quia doctissimus; *non corrumpi*, quia æquissimus; *non flecti*, quia inexorabilis. O formidandum peccatoribus iudicem, qui non poterit 1. decipi; 2. corrumpi; 3. flecti.

I PARS.

In die iudicii Christus decipi non poterit.

Ita mundos esse Dei oculos, ait propheta, ut nec hominum peccata inspicere quant: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum et respicere ad iniquitatem non poteris* (Hab. 1, 13).

Verum quidem Deum, cuius ineffabilis sanctitas et cuius puritas influit, ita ab omni abhorrare peccato, ut nec levissima quævis delicta videre possit visione approbationis et complacentiæ; id autem nil prohibet, quin gravia et horrenda quævis scelera clare et perspicue cognoscat; ut enim loquitur hominum sapientissimus, *Omnes viæ hominis patent oculis ejus* (Prov. 16, 2). Perspicacibus Dei oculis *patent* obscenæ, impie et inique omnes cogitationes, quas quisque animo versavit; *patent* omnia verba blasphema, scurrilia et quomodocumque mala, quæ quisque protulit: *patent* omnia opera iniqua et minus recta, quæ quisque fecit: *patent* tandem omnia peccata, sive gravia, sive levia illa sint, quæ ab hominibus usquam perpetrata sunt: *Omnes viæ hominis patent oculis ejus*. Non solum Deus omnia hominum peccata videt, cum actu ab iis perpetratur; verum et ea prævidet, seu illa videt et clare intuetur, antequam fiant. Antequam pessimus ille iudex ad iudicis dignitatem vocaretur, prævidit Deus iniquas omnes sententias, quas dicturus erat; antequam indignus ille beneficiarius sacerdotali insigniretur characterem, prævidit Deus quot communionis sacrilegas faceret, quot pacta simoniaca iniret, quotque sacrilegia committeret; antequam impudica hæc mulier matrimonio jungeretur, prævidit Deus, in quot hæc caderet sacrilegia et quoties legitimi matrimonii leges illa violaret. Christus tandem iudex est sapientissimus, qui omnia omnium hominum scelera videt et prævidet: *Omnes vias meas prævidisti* (Ps. 138, 3). Qui res alienas invaserunt, qui pupillorum et viduarum facultates injuste abstulerunt, et qui aliis hujusmodi se coinquinaverunt criminibus, ut mordentis conscientie stimulos lebetent, ut internos leniant dolores, necnon ut quietius vivant, sibi nonnunquam suadere conantur, Deum nec eorum nosse crimina, ad ea non attendere, nec se iis curare. *Viduum et advenam interfecerunt et pupillos occiderunt et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob* (Ps. 93, 6). O quam stulti, qui crimina sua credant latere Deum, qui est omniscius, et cuius oculis omnia nuda et aperta sunt: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (Heb. 4, 13). O quam stolidi

et hardi, qui scelera sua arbitrantur non videri a Deo, quem nihil latet, et qui omnia hominum peccata indesinenter aspiciat: *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo* (Ps. 89, 8). O stulti, inquit propheta, aliquando sapite, ac intelligite fieri non posse, ut Deus, qui omnium hominum oculos et aures fingit, cæcus sit et hominum peccata non videat: *Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui fixavit oculum, non considerat?* (Ps. 93, 8). Hoc fieri non potest, ut subdit propheta: quia Deus, cujus scientia est infinita, omnia penitus novit, etiam intimas quasque cordium cogitationes: *Dominus scit cogitationes hominum*. Quod de Christo, non solum *ut Deo*, sed etiam *ut homine* intelligi debet, quia, ut ait Doctor Angelicus, anima Christi in Verbo, seu in essentia divina omnia novit proprie, quæ quocumque modo sunt, fuerunt, vel erunt, *etiam hominum cogitatus, quorum est iudex*. Cum peccare vult impius, latebras querit et tenebras; ad loca remota et recondita se confert, ut non videatur; ac cum in procinctu peccandi est, sic intra semetipsum loqui solet: *Quis me videt? Tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me, quem vereor?* (Eccli. 23, 26). Non me videt pater, ait impius, non me videt mater, non terreni iudices, nec alius quisquam: *Quis me videt?* Jam clausæ sunt januæ, inquit, dormiunt omnes, nec est qui attendat nobis: *Nemo circumspicit me*. O impie, opportunum ad peccandum tempus tibi adesse credis, quia te a nullo cerni arbitraris; o stulte, cone stultitia venisti, ut credas te peccantem a nemine videri? Nonne te videt Altissimus? Nonne tua omnia videt crimina? Nonne locum videt, in quo ea perpetras? Nonne personas videt, cum quibus peccas? Nonne omnes et singulas peccatorum tuorum circumstantias cernit? Scito, ut subdit Spiritus Sanctus, quod Deus, cujus oculi supra solem lucidiores sunt, te ipsum, tuas omnes cogitationes, omnia verba tua et omnia tua peccata cum omnibus eorum adjunctis clare conspiciat: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi, et hominum*

corda intuentes in absconditis partes (ib. 28). O peccator, omnia tua Deus clare et perspicue agnoscit crimina, nec aliquis eorum usquam obliviscetur; eorum omnium in die iudicii recordabitur: *Recordabitur iniquitatum eorum, et visitabit peccata eorum* (Jerem. 14). Peccatores nonnulli, qui segniter suam discutunt conscientiam, commissurum obliviscuntur peccatorum, aut eorum oblivisci optarent, ut ea confiteri non tenerentur. At, o peccator, vigila supra te ipsum, et conscientiam tuam sedulo scrutare, quia si peccatorum tuorum ex negligentia, ex malitia vel ex sufficientis examinis defectu obliviscaris, eorum Deus non obliviscetur; ea in die iudicii oculis tuis objiciet: *Si tu non memineris, Deus non obliviscetur*. O peccator inique, qui carnem tuam, sacro Baptismatis lavacro lotam, tot libidinis fodasti, qui tot fraudibus, et injustis contractibus domum, agrum, villam et vineam proximi invasisti, qui domesticorum et operariorum mercedem fraudasti, qui patri, matri, uxori et toti familiæ gravis et infensus extitisti; scito, Deum tuos omnes grassus dinumerare, tua omnia scelera perspicue intueri, ea omnia adnotare, nec unius eorum oblivisci, sed eorum omnium recordari, quorum et recordabitur in die iudicii, illaque omnia tunc tibi objiciet: *Recordabitur iniquitatum eorum et visitabit peccata eorum*. Deus, inquit Malactias propheta, diarium tuum habet librum, in quo omnia hominum peccata characteribus indelebilibus scribit: *Attendit Dominus et scriptus est liber monumenti eorum eo*. Cum in enormia scelera cadit impius, silet sæpe Deus, de illo vindictam non statim sumit, expectat ut convertatur et vivat; videt tamen et quælibet ejus peccata simul cum eorum adjunctis in libro suo adnotat: *Attendit Dominus*. Cum dives ille avarus viduum facultatibus spoliat, opprimat orphanum, aliorumque bonis inique ablati ditescit: *Attendit Dominus*. Cum homo ille blasphemus diabolico succensus furore horrendas in Deum blasphemias effutit: *Attendit Dominus*. Cum proeus ille, illaque meretrix tot fœdis libidinis corpora et animas suas horrendum in modum deturpant: *Attendit Dominus*, eaque omnia in æterno sapientia

sue libro scripta manent. In die autem iudicii librum suum aperiet Deus, seu omnia hominum peccata, quae in mente ejus scripta sunt, manifestabit, et quisque judicabitur juxta ea, quae in libro ejus scripta fuerint. *Et iudicati sunt mortui, ex his quae scripta erant in libris* (Apoc. 20, 21). Quis ergo hunc in die iudicii decipere poterit iudicem, qui omnia hominum peccata novit, qui ea omnia adnotat, qui ea in libro suo scripta servat, quique eorum omnium recordabitur: eum certe nullus decipere poterit: *Non tibi licebit decipere, non mentiri, non sub ovis pelle latere* (August.). Decipi possunt terreni iudices, quia non omnia sciunt: et liget ea nossent crimina, in quae sententiam sunt laturi, non possunt simul iudices esse et testes. At in die iudicii Christus erit iudex doctissimus, qui omnia hominum crimina clarissime cognoscet: ipse etiam erit testis oculatus, qui peccatores omnes peccantes vidit: *Ego iudex et testis* (Jer. 29, 23): ideo falli et decipi non poterit. O peccator, tuum nunc facile decipere potes confessarium, quia licet sit iudex a Deo constitutus ad iudicandos in hoc mundo peccatores, quid in cordibus eorum lateat, non videt. At in die iudicii nullus erit locus simulationibus, locus nullus erit fallacis et dolis, quia tunc Christus, qui cordium intima intuetur, erit iudex doctissimus, qui falli et decipi nequaquam poterit. *Quid ergo ages*, inquit Augustinus, *apud talem iudicem, quem fallere non poteris?* Quid ages tunc, si lethali aliquo crimine inquinata reperitur anima tua? Certe nil tunc ad tui justificationem, nil ad hunc iudicem placandum agere poteris: ergo age nunc poenitentiam, et tunc sapientissimus ille iudex peccatorum tuorum ad vindictam non recordabitur: *Si impius egerit poenitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor* (Ezech. 18, 21). Veram, sinceram et severam in hoc mundo poenitentiam age, ut securus ad tremendum Dei iudicium appareas, in quo Christus erit iudex doctissimus, qui falli non poterit: *ac etiam iudex aequissimus, qui non poterit corrumpi.*

II PARS.

In die iudicii Christus corrumpi non poterit.

Iudices a Deo et a terrenis principibus instituuntur, ut cuiusque jura tueantur et ut non juxta dominantes odii, invidiae, respectus humani et turpis lucri passiones, sed ut juxta leges judicent. Verum ipsi iudices a lege saepe deviant, jura pluries violant, ac in ipsa justitiae administratione injusti fiunt et iniqui, quia ut potestatibus obtemperant, ut amicis placeant, vel ut propriae passioni consulant, jura omnia subvertunt. O pessimam malorum hujusmodi iudicium corruptelam! Quam deplorans D. Cyprianus, ait: *Inter leges ipsas delinquitur, inter jura peccatur: innocentia nec illis ubi defenditur, reservatur; qui sedet erimina vindicaturus admittit et ut reus innocens pereat, fit nocens iudex.* Norunt omnes nil in iudice magis indecorum, nil magis exitiosum turpi hoc corruptibilitatis vitio. Sit ille doctissimus: imperialia omnia et regalia jura calleat: sit ille in pauperes misericors et omnibus benignus et affabilis. Integritatem et incorruptibilitatem si ab eo tollas, omnem ejus itidem tolles decorem, omnesque alias ejus virtutes et laudabiles qualitates denigrabis et quasi delebis. Etenim sicut si in muliere continentia desit, omnia deesse videntur, ita in iudice, in quo incorruptibilitas deficit, omnia deficere censentur; et licet bonus homo dici possit, nunquam tamen bonus iudex erit, quamdiu constantem incorruptibilitatem non possidet. At ubi nunc iudices, qui precibus, muneribus vel aliis modis corrumpi nequeant? Paucos hujusmodi reperire est; ut enim ait D. Augustinus, *usque adeo hoc inolevit malum, ut jam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa venalis sit.* Ex hac iniquorum iudicium corruptela fit ut famosi quique rei parum iudices timeant, probe scientes, quod muneribus, precibus, amicorum vel potentum sollicitationibus eos corrumpere, debitas

que suis criminibus penas devitare poterunt. At si terrores iudices haud multum timeant rei, Christum iudicem plurimum pertimescere debent omnes peccatores: quia in tremendo ultimi iudicii die tanta erit integritate praeditus, ut nullo modo corrumpi possit: *Talis erit iudex, quem nec fallere, nec corrumpere poteris* (Aug. lib. de decem choris 2). Ita ab omni corruptela manus suas puras habuit aequissimus iudaici populi iudex Samuel, ut in sua incorruptibilitatis probationem non recusaverit iudicium totius subire populi, dicens: *Loquimini de me coram Domino et coram Christo ejus; utrum bovem cuiusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi* (1 Reg. 12). Cui populus testificans respondit: *Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam*. O vere incorruptum iudicem! Quanto magis in extremi iudicii die Christus erit iudex incorruptus, qui nulla arte, nullo munere, nec quocumque modo corrumpi poterit. Unde Basilus Seleucus eum *iudicem integrum et corrupti nescium* vocat. Non satis unquam in historis laudatur Martinus Curius Dentatus senator, cui ad forum sedenti cum Samnites ingens auri pondus attulissent, illud accipere recusans, dixit: *Mementote, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse*. At in die iudicii tanta Christus integritate et incorruptibilitate pollebit, ut non solum pecunia, verum nec oblati quibusque muneribus, nec humano respectu, nec advocatorum, testium, vel adversariorum arte, nec quocumque modo corrumpi possit. Non quidem pecunia, quia ipse est Dominus Deus noster, cujus est omne aurum et argentum, et qui bonis nostris non indiget: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quantum honorum meorum non eges* (Ps. 15, 2). Non etiam oblati muneribus, quia *non est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum* (2 Paral. 18, 7). Nec utique respectu humano, seu ut magnatibus placeat, eorumque benevolentiam capiet, qui tunc attoniti et tremebundi stabunt reges et principes, in quos Christus non minus quam in agasones sententiam dicit. Quo-

modo ergo tunc corrumpi valeret Christus iudex? Forte advocatorum circumventionibus, testium malitia, vel adversariorum quorundam arte? iis sane modis corrumpi nequit, quia ut ait divus Augustinus, *Christum iudicem nullus advocatus circumvenit, nullus testis illudit, nullus adversarius corrumpit*. Quo ergo modo corrumpi poterit Christus? Nullo equidem, quia iudex erit integerrimus, omnis corruptionis inscius. Tanta integritate et incorruptibilitate praeditus cupiebant iudices suos antiqui Thebani, ut nec aliqua corruptionis suspicione eos notari posse optarent; et idco eos aereantes manus pingi curabant: *Thebis iudicum imagines visuntur absque manibus* (Plutarc. lib. 1 de jud.). Non illos delineabant habentes manus ligatas, contractas, vel clausas, sed *absque manibus* ait Plutarchus, ut indicarent, veros iudices capi et corrumpi non posse muneribus, cum nec munera capere possint. De antiquis Aepopagitis fertur, quod non solum sine manibus, etiam sine auribus et sine oculis pingi solerent. Pingebantur *sine auribus*, quia impertunis precibus non flectebantur: *sine oculis*, quia objecta sibi reorum miseria ad miserationem non movebantur: *sine manibus*, quae oblata quaque recusabant dona, nec ullis muneribus corrumpi poterant. O praecleara incorruptibilitatis symbola! quae Christo perfectiori modo, quam cuique alteri conveniunt. Ipse etenim in formidando extremi iudicii die respectu reproborum erit sine auribus: quia quantumvis clamet et vociferentur, non exaudiet illos: *Tunc invocabunt me et non exaudiam* (Prov. 1); erit sine oculis, quia reprobos non aspiciet, ut parcat et eorum miseretur (Ezech. 5, 11): *Non parceat oculus meus et non miserebor*: erit sine manibus, quia de muneribus nostris non curat, nec donis quibusque corrumpitur: *Ipse est Deus magnus et potens et terribilis, qui personam non accipit, nec munera* (Deut. 10, 16). O quam integer et incorruptus erit ille iudex! o quam formidandum et meticulosum erit peccatorum a tam incorruptibili iudice iudicari! *Meticulosus est omni viventi, inquit summus pontifex Innocentius tertius, causam coram te agere criminalem: quia cum sis potentissimus, manus tuas nemo potest*

effugere; cum sis sapientissimus, oculos tuos nihil potest latere; cum sis æquissimus, animum tuum nemo potest corrumpere. Trepidant rei ac toti contremiscunt, cum ad se veri et incorrupti iudicis tribunal sistuntur. Si terrenum timent iudicem, qui corporalem solummodo vitam auferre potest, quanto magis timere debent Christum iudicem incorruptum, qui potest corpus et animam perdere in gehennam! Eum timere debent omnes penitus homines: *Timeat Dominum omnis terra;* ac illum magis timere debent peccatores, qui læsæ divinæ majestatis sunt rei, quia cum ad ejus tribunal judicandi sistuntur, integritatem ejus corrumpere et manus ejus evadere non valebunt. Quavis aureo ei tunc montes offerrent, illum corrumpere et severioris ejus justitiæ sententiam declinare nequibant: *Argentum eorum et aurum eorum non poterit liberare eos in die ira Domini* (Soph. 3, 18). Itaque, fratres, convertimini ad Dominum Deum vestrum, a viliis vestris pessimis declinate, omnimoda sollicitudine bonis vacato operibus, ac omnes actiones vestras sic facite et sic dirigite, quasi mox incorrupto huic iudici rationem reddituri: *Tamquam ad tremendum converturi iudicium actiones nostras dispensemus* (Chrys. hom. 1. ad pop.). O homo, si certo scires, te cras ad formidandum Christi judicantis tribunal esse vocandum, quanto studio tuam hodie satageres mundare conscientiam! Quanta cura, tua hodie peccata confitereris! Quam sollicite aliena restitueres! Quam perfecte omnes tuas actiones perageres! Sic sic semper te habetas: sic omnia tua opera facias, ac si mox judicandum esses; sic sic in omnibus te geras ac si profuturus sistendus esses ante terribilem illum iudicem, qui corrupti non poterit, *nec etiam flecti.*

III PARS.

In die iudicii Christus flecti non poterit.

Doctoris officio functus est Christus in Judea et Samaria, ubi homines verbo et exemplo mirabiliter erudit; Redemptoris munus obivit in Calvarie monte, ubi dirissimum et probrosam Crucis supplicium pro hominum salute perpassus est; æquissimi autem iudicis partes agit in valle Josaphat, ubi adversus peccatores iratus, tanta eos cum æquitate, tantoque cum rigore judicabit, ut a nemine flecti et placari queat. Ut enim ait S. Gregorius, eum nunc flectere possent peccatores jejuniis, elemosynis, aliisque veræ penitentiae operibus; tunc illum nullo modo placare et ad commiserationem inclinare poterunt: *Judex supremus ante iudicium placari potest, in iudicio non potest* (Mor. 14, 30). Toto cælo differunt primus et secundus Christi adventus. In primo enim visus est sub forma pueri pannis involuti ac in vili præsepio reclinati; in secundo vero sedebit super sedem majestatis suæ tanto cum apparatu, ut timorem et terrorem omnibus spectantibus sit incensus. In primo manus et omnia infantilia membra fasciis involuta habuit, in secundo autem personam goret gigantis et strenui præliatoris, qui adversus impios decertabit: *Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum* (Is. 42, 13). In primo siluit et solis fletibus dolores quos patiebatur expressit; in secundo ut parturiens loquatur, adversus peccatores quasi leo rugiet, ac tonanti voce æternis eos ignibus adjudicabit, dicens: *Discedite a me, maledicti in ignem æternum.* In primo mansuetus fuit et pacificus, pacemque hominibus per angelos suos annuntiare voluit; in secundo autem pacem peccatoribus non offeret, aut tanta in eos accendetur ira, ut nequam flecti queat. Et ideo perbelle adnotavit Rupertus abbas, Christi judicantis tribunal simile futuram Salomonis throno, cujus sedes erat aurea et gradus eburnæ. *Sedes enim Christi*

judicantis erit aurea, quia sicut inter metalla nullum auro purius, ita Christi justitia erit omnino pura, nec ulla in eo gratiæ et misericordiæ species videbitur. *Gradus* etiam tribunalis Christi judicantis erunt eburnei, quia sicut ebur sumitur ex elephante, qui est animal inflexibile, ita Christus erit iudex inexorabilis et inflexibilis, qui nullo modo flecti et placari poterit: *Ante iudicium placari potest, in iudicio non potest.* Supremi quoque hujus mundi monarchæ ad commiserationem flecti possunt et sæpe flectuntur, etiam erga famosos graviorum criminum reos, quibus nonnunquam gratiam et indulgentiam impertuntur. At Christus, qui totius mundi supremus est monarcha, in extremi iudicii die manebit inflexibilis, nec quocumque modo ad misericordiam flecti et inclinari poterit, cum illa die quoad impios non misericordiæ, tantum erit justitiæ tempus: *Erit tunc non misericordiæ, sed iudicii tempus, nec ulla erga impios futura illic miseratio* (S. Bern. in ps. *Qui habitat* 8). Quamdiu in hoc mundo remanent peccatores, Deus erga illos patiens, bonus et misericors est: *Patiens* quidem, cum blasphemias, sacrilegia et enormia quævis eorum scelera tacens perferat: *Bonus*, cum eis, licet inimicis sibi que infensissimis sacramenta et gratias suas non denegat: *Misericors*, cum eis parcere et indulgere paratus sit, quotiescumque ad ipsum converti voluerint. At in die iudicii haud amplius in peccatores se patientem, bonignum et misericordem exhibebit, imo adversos illos ita iratus et quasi furibundus exhibebit, ut ad misericordiam quocumque modo non flectatur: *Judice furibundo et misericordiam nesciente, flet illa discussio* (Petr. Dam. serm. de S. Vict.). Clament tunc peccatores quantum voluerint! Sanguineas fundant lacrymas! Potentes patronos et intercessores adhibeant, si possint! Furibundum illum iudicem ad misericordiam flectere non valebunt, quia *Judeæ illi nec gratia prævenietur, nec misericordia flectetur, nec fletibus, aut pœnitentiæ mitigabitur* (Aug. lib. 4 de symb.). Tunc peccatores amare flebunt et pœnitentiam agent: *Pœnitentiam agentes et pro angustia spiritus gementes* (Sap. 5, 3). Tunc flebunt, qui prohibitis gaudiis

et illicitis voluptatibus se in hoc mundo dederunt; tunc pœnitentiam agent, qui dom in seculo vixerent, a pœnitentiæ abhorruerunt. *Pœnitentibus* eos, quod Dei legem violaverint, quod concionatorum verba parvipenderint et parentum monita pro nihilo habuerint: *pœnitentibus* eos, quod pœnitentiam in hoc mundo non egerint, quod pietatis exercitiis sædulo non vacaverint, quodque sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum debita cum reverentia non receperint: *eos pœnitentibus*, quod viros pietate insignes imitati non fuerint, quod se totos Dei obsequio non mancipaverint et quod labore multo ad altioris perfectionis apicem non conscenderint (1). *Pœnitentiam agentes.* Omnis autem eorum pœnitentiæ erit vana et infructuosa, quia tunc Christus iudex ad misericordiam flecti nequibit: *Erit ibi pœnitentiæ, sed infructuosa* (Aug. in Ps. 31). O peccator, quo ergo tunc te vertes? Quomodo ante sapientissimum, æquissimum et inexorabilem hunc stabis iudicem? Quid ages, cum ad formidandum iudicem illius tribunal siseris? Quid facies, o iudex inique, qui toties vera justitiæ leges violasti? Quid ages, stulte concionator, qui non animarum saluti, sed vanitati et proprio honori invigilasti? Quid tu, confessarie officioso et indulgens, qui inveterata peccatorum ulcera non sanare, sed operire et lenire studuisti? Quid tu, mercator fraudulente, qui

(1) Nemo profecto damnabitur eo quod ad perfectionis apicem non conscenderit, vel quod plura pietatis exercitia cuique libera omiserit, vel viros pietate insignes non similitatus etc., cum peccatorum observantia tantum sit de necessitate salutis, prout dixit I. Christa: *Si via ad vitam ingrediti, seræ mandata*; attamen plures fortasse illa die pœnitentibus en omisisse, quia vocanti Deo ad altiora, scilicet ad observantiam consiliorum evangelicorum, ad majorem vitam austeritatem, non respondentes, potioribus meminerunt priorum auxilii quibus destituti non passim sineque, nec mundi illecebras sperare, nec æternam beatitudinem consequi valuerunt. Re quidem vera narrat historie infelicem exitum quorundam qui vocationi religiosæ obstituerunt; nullique SS. Patres dubitant de æterna salute juvenis illius, de quo refert Evangelium, qui, dicente Christo, *si vis perfectus esse, vende omnia que habes et veni sequere me, non annuit consilio, imo abiit tristis.*

fraudibus et dolis facultates tuas multiplicasti? Quid tu paterfamilias, qui filios salutis viam non docuisti et operariorum mercedem toties fraudasti? Quid tu, peccator quicumque quid, inquam, facies, cum apparebis coram severo hoc iudice, qui nec decipi, nec corrumpi, nec flecti poterit? *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus?* (Job. 31, 14). Certo non erit tunc tempus pro salute tua aliquid agendi: age nunc quod tunc egisse voles, age nunc poenitentiam, ut securus tunc ad Christi iudicantis tribunal accedas. Inutilis erit poenitentia, quæ tunc fiet; e contra poenitentia in hoc mundo peracta tua debet crimina, immundam tuam purgabit conscientiam, Deum adversus te iratum placabit; facietque, ut absque ulla formidine ad Christi iudicantis tribunal te sis. Age ergo poenitentiam, non qualemcumque, verum sinceram, austeram, integram et constantem. Piget te modo poenitentiam agere? heu! si serio et saepe mente et spiritu ad Christi iudicantis tribunal te sis, suavissima tibi foret illa, quam duram et acerbam arbitraris poenitentiam. *Velim, inquit S. Basilus, cogites horribile illud et involerabile Christi tribunal, in quo præsidebit iudex in alto et excelso throno, adstabit autem omnis creatura ad gloriosum eius conspectum contremiscens, adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus, rationem reddituri. Mox illis, qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam et deformes assistant angeli, igneos cultus præferentes, atque ignem spirantes, noctique cultu similes præter mazorem et odium in genus humanum. Ad hæc cogita profundum barathrum, et inextricabiles tenebras, et ignem carentem splendore, urendique vim habentem. Denique vermium genus, venenum emittens. Hæc si serio cogitares, ab omnibus haud dubie peccatis abstineres, et duris quibusque severioris poenitentia operibus sedulo et hilariter incumberes. Vis scire, cur multis inquieris peccatis et cur de perpetratis poenitentiam non agas? Hujus rei causa est, quia formidanda Dei iudicia non recogitas, Dei iudicia a facie, seu a mente tua auferuntur. Cur superbus tantopere*

tumet? Cur tanto studio ad temporalia anhelat avarus? Cur impudicus tot foedis libidinibus carnem suam deturpat? Cur tanta licentia quilibet impius in Deum suum peccat? Ratio est, quia a mente et facie ejus auferuntur Dei iudicia: *Auferuntur iudicia tua a facie ejus* (Ps. 9, 26). Si enim peccatores extremi iudicii diem saepe mente revolvent, ac serio cogitent, Christum tunc fore iudicem, qui nec decipi, nec corrumpi, nec flecti poterit, procul dubio a peccatis abstinere, et serio poenitentiam agerent. Illum ergo diem tota intentione et attentione cogitate; illum crebro mente versate et poenitentia operibus facile adhaerebitis, mores mutabitis, bonisque vacabit operibus, quæ æterna vos beatitudine dignos efficiunt. Amen.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

DE ADVERSITATIBUS.

Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi
(Matt. 11, 2).

Manus et cor Dei sunt principia et causæ omnium adversitatum, quæ hominibus hic in terris morantibus adveniunt. A Dei quidem manu sunt maris tempestates, aeris intempéries, temporalium facultatum jactura, famæ ruina, omnes morbi, et omnia mala pœnæ, quæ hominibus accidunt: *quia non est malum in civitate, quod Deus non fecerit* (Job. 19, 21). Unde quicumque aliqua in hoc mundo afflictione premitur, ad Deum suum debet referre flagellum suum, ac cum sanctissimo Job dicere: *manus Domini tetigit me*: quia cum in presentiarum adversitate aliqua affligimur, a Dei manu tangimur, quæ omnium malorum pœnæ, omniumque adversitatum quas patimur, principium est et origo. At non solum Dei manus,

verum et cor ejus est principium omnium tribulationum, quibus in hoc mundo gravamur, cum a Dei corde tribulationes nostras volente et ad bonos fines dirigente procedant: nec enim credendum quod Deus, qui infinite bonus et sanctus est, ad alium, quam ad bonum finem nos plectere velit. Non specialiter inquiram, cur Dei manus sanctum Joannem Baptistam Christi Salvatoris dignissimum præcursorem tetigerit, et cur Deus eum carceri mancipari et in vincula conjici voluerit. Tantum scrutabor Dei cor quoad omnes, qui modo tribulantur; et inquiram, cur eos Dei cor affligi et tribulari velit, vel, quod idem est, cur Deus omnis generis homines in hac vita adversitatibus premi sinat. *Ace.*

Hominum in hoc mundo degentium alii peccatores sunt, alii justi, omnes vero a celesti patria exules sunt. *Qui peccatores sunt*, summa cura et sollicitudine laborare debent, ut a peccatis declinent et ad Deum convertantur. *Qui justi*, de virtute in virtutem pergere, ac totis conatibus ad perfectionem anhelare debent, ut eam aliquando assequi valeant. *Cum a celesti patria omnes exules sint*, ad eam suspirare, et ad eam obtinendam omnes continue laborare debent, ut eam tandem aliquando consequantur. Deus autem omnis generis homines in hoc mundo versantes ob fines sanctos percutit et affligit: aliquos scilicet, ut convertat, alios ut perficiat, omnes ut salvet. Deus enim percutit homines peccatores, homines justos, et homines a celesti regno exules. *Percutit: 1. homines peccatores*, ut eos convertat; *2. homines justos*, ut eos perficiat; *3. homines a caelo exules*, ut eos salvet et ad celestem patriam perducat.

I PARS.

Deus percutit homines peccatores, ut eos convertat.

Cum Deus sit omnium nostrum conditor, omniumque supremus gubernator et Dominus, in nos omne jus habet: et ideo nullam nobis facit injuriam, cum nos calamitatibus et

adversitatibus affligit. Imo licet centuplo duriora in nos staret, de illo conqueri non possemus, quia quocumque modo erga nos se gerat, utitur jure suo; nec ab illo rationem exigere possumus, cur sic nobiscum agat. Si tamen quis rationem scire cupiat cur Deus homines peccatores affligat, et variis calamitatibus in hoc mundo subiciat, dicam, quod hoc agat, ut eos a via iniquitatis avertat, et ad veram conversionem perducatur: *Deus tribulationes irruere permittit, ut ad ipsum ferventius confugiamus* (Chrys. hom. 10 in Matt.). Equidem Deus Herodem horrendo morbo affligi voluit; Judam proditorem suspensio perire, ejusque viscera discrumpi permisit; Arium, Calvinum, aliosque aliquos famosos peccatores dirissimis suppliciis affecti, ut hi etiam in præsens scelerum suorum penas luere inciperent, et ut aliis hominibus essent in formidandum divinæ justitiæ exemplum. Certum tamen, quod fere omnes peccatores in hoc mundo plectat Deus, ut illos ad morum mutationem, et ad perfectam conversionem adducat: non enim vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat: *vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut concertatur impius a via sua, et vivat* (Ezech. 33, 11). Erga peccatores habet se Deus, sicut pius pater, qui filios videt a justitia semitis deviare, et a debitis pietatis officiis declinare: videt plusquam par est undequaque vagari, improborum se immiscere consortio, ludis et licentiori vitæ indulgere, ac paternas leges impudenter violare; ut ergo eos ad se reverti et ad recte vivendum inducat, modo precibus utitur, modo blanditis, nunc promissis et nunc minis; cum autem hæc omnia non presunt, flagella adhibet, eosque plectit, ut illos ad ea quæ muneris eorum sunt, perficienda compellat. Similem in modum Deus vagantes et lascivientes peccatores, nunc precibus, nunc predicacionibus, nunc promissis, et nunc minis ad se adducere conatur; si hæc omnia eos ad morum conversionem non inducant, flagellis eos cædit; eosque morbis, egestate, vel aliis adversitatibus dire plectit, ut eos convertat et sanet; *percutiam et ego sanabo*. Videte quomodo se gerat Deus erga Paulum,

qui peccator, Ecclesie catholice infensissimus hostis et fidelium crudelissimus erat persecutor: ut illum convertat Deus, cecitate eum percudit, in terram dejecit ac ita affligit, ut vix e terra surgere valeat. Nec frustra Deus hunc peccatorem percudit; Paulus enim adversitate et tribulatione totus mutatur, et ad Deum convertitur; ita ut ex persecutore predicator, ex Dei hoste servus ejus zelantissimus, et ex peccatore fit homo justus, nec non ad implendam in omnibus Dei voluntatem paratissimus, dicens, *Domine, quid me vis facere?* (Act. 9, 6). Ecce cur Deus percussit Paulum; et ecce cur percudit alios peccatores. Paulum percussit, ut eum converteret; et alios peccatores morbis, calamitatibus, variisque adversitatibus percudit, ut eos a peccatis avertat, et ad veram morum conversionem perducat. Unde D. Augustinus, exponens haec Davidis verba; *in ira populos confringes*, legit; *in ira populos deduces*. Quia Deus quasi irascens peccatores afflictionibus et tribulationibus percudit, ut eos convertat, et ad se adducat. Et ideo subdit D. Augustinus, *O Domine, irascere et deducis; saevis et salvas; terres et vocas: imple tribulationibus, ut in tribulationibus positi omnes recurrant ad te*. Tria erant in arca testamenti, lex, scilicet, manna et virga; quae indicant tria, quibus utitur Deus ad convertendos peccatores. Dat enim Deus peccatoribus legem suam, quae eos illuminat ut miseriam suam agnoscant, atque deinde eam detestentur. Dat eis etiam manna, seu internas consolationes et gratias suas, ut eos suaviter alliciat et ad se trahat. Dat tandem eis virgam, seu illos plectit virga et adversitatibus, quae sunt optimum medium ad convertendos peccatores. Cum enim Deus peccatores infirmitatibus, aliisque adversitatibus plectit, ad eum accelerare et converti solent; *multiplicatae sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt* (Ps. 15, 5). Et ideo dicit D. Augustinus, quod virgae et flagella seu tribulationes, quibus Deus peccatores percudit, eos a pessimo somno, in quo torpescunt, excitat, eosque licet rebelles ad Deum ire et converti compellit; *flagellum Dei torpentem excitat, nolentem compellit*.

Si omnia prospere cederent peccatoribus, de salute nihil curarent, nec de conversione quomodocumque forent solliciti; ideo Deus, ut eos ad sedulo conversioni et saluti studendum inducat, virga illos percudit, et tribulationum spinis eos pungit. Sicut enim filius prodigus ad patrem redire coactus est, cum fame et egestate fuit compulsus, ita et Deus, ut prodigos et insensatos peccatores ad se redire, et ad poenitentiam suscipiendam compellat, egestate, morbis, vel aliis afflictionibus eos premit. Sic regulus ad Christam properavit, illum quaesivit et in eum credidit, cum filius suis infirmitate percussus est. Sic Manasses peccatorum suorum vincula abruptit, et ad poenitentiam se accinxit, cum gravi caecarum pondere in captivitate pressus fuit. Sic plerique peccatores ad Deum currunt, et ad eum convertuntur, cum infirmitate quadam gravi laborant, vel cum alta adversitate affliguntur; *mala, quae hic nos premunt, ad Deum nos ire compellunt* (S. Gregor.). Nostis, a via justitiae et aequitatis aliquando declinasse regium prophetam; scitis, cum animam suam homicidio et adulterio foddasse; si autem ab illo quaeratis, quid fecerit Deus, ut illum converteret et ad poenitentiam adduceret; respondabit, quod Deus eum spinis, seu tribulationibus ad conversionem et ad poenitentiam excitavit; *conversus sum*, inquit, *in aranna mea, dum configitur spina*; seu, ut vertit D. Augustinus, *configa est spina, et conversa est anima mea* (Ps. 31, 4). Sicut autem tribulationum spinas cordi prophetae illius infixit Deus, ut illum converteret, ita et spinis tribulationum alios peccatores configit, ut eos convertat; *spina nostra tribulatio est* (S. Bern. in Cant. 48).

Si peccatores Deus non pungeret, si spinas non infligeret, si tribulationes tanquam spinas, aut quasi calcaria non admooveret, dormitarent, obliviscerentur, divagarentur, et ad Deum per veram conversionem redire non curarent: ideo spinis et tribulationibus pungit eos Deus ut illos ad poenitentiam et ad perfectam morum conversionem adducat. Vides peccatorem segnem, desidiosum, et in rebus salutis pigrum; qui parum, aut nullo modo de conversione curat; qui patris, praedicto-

rum et amicorum monita parvipendit: si eum pungat Deus; si spinis et adversitatibus illum stimulet, ad se redit, de conversione cogitat, Deique obsequio sese addicturum ac rebus salutis vacaturum proponit. Vides peccatorem obduratum, qui a multis annis prava ligatur consuetudine; qui ita peccatis adhaeret, ut ea nequaquam derelinquere velit; qui de conversione morum agre audit: si autem plectat eum Deus; si spinis viam ejus sepiat; si morbos vel alias afflictiones immittat; tunc obduratus ille peccator aliquo modo flectitur, de conversione cogitat, multaque pro salute sua, et pro Dei gloria se facturum statuit. Sunt enim adversitates quasi spine, quibus Deus peccatores pungit, ut eos ad conversionem adducat: *conversus sum dum configitur spina*. Heu! tamen multi tribulationibus non convertuntur. Cum infirmantur, vel alia adversitate affliguntur, volunt mores mutare, statimque imposterum bene agere: tunc avari se liberales fore pollicentur; tunc usurarii et fures aliena restituere promittunt: tunc ebriosi, maledici, alique omnis generis peccatores futurae conversionis proposita eliciunt: transacta adversitate, de conversione non curant, omniumque propositorum obliviscuntur. O quam grave est, quod quis, immissa a Deo adversitate, non convertatur: *non grave est plagia affici, sed plagis meliorem non affici, gravissimum est* (S. Greg. Nazian. orat. 15). Hoc quidem gravissimum nullique inter peccatores mihi miseriores videntur, quam qui adversitatibus quas patiuntur, ad morum conversionem non adducuntur: eorum siquidem certa videtur damnatio. Quod delineatum et probatum videtur visione illa Jeremiae prophetae (c. 1), qui primo vidit virgam, et deinde vidit ollam succensam. Vidit primo virgam: *virgam vigilantem ego video*. Deinde vidit ollam succensam: *ollam succensam ego video*. Virga illa, quam videt propheta, denotat afflictiones, quibus Deus peccatores plectit: olla vero succensa, significat infernum, qui in aeternum succensus erit. Videt autem Jeremias primo virgam, deinde ollam succensam ut doceat, quod si peccatores virga correctionis et afflictionis ad conversionem non inducantur, in ollam succensam, seu in infer-

num, aeternum cremandi, cadent. Itaque si percutiat vos Deus, si adversitatibus vos affligat, convertimini ad Dominum Deum vestrum, qui peccatores percutit, ut eos convertat, et qui justos percutit, ut eos perficiat.

II PARS.

Deus percutit homines justos, ut eos perficiat.

Nulli fere sunt justi, qui in levia saltem peccata interdum non decidunt, qui aliquid inordinate affectionis non habeant, et quibus aliquid in praesenti vita, vel in igne purgatorii purgandum non supersit. Deus autem, cujus summa in homines justos bonitas, eos in hoc mundo affligit et percutit, ut per leves tribulationes, quibus eos plectit, et a peccatis purgantur, et a purgatorii poenis preserventur. Illos etiam Deus percutit, ut perficiat, atque ad progrediendum in via virtutis excitet et compellat. Non enim justos tentat et affligit Deus, ut eos perdat: verum ut tentationibus et afflictionibus eos ad proficiendum inducat; *fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum* (1 Cor. 10, 13). Salomon ait Deum, qui est sapientia aeterna, victimas suas immolasse: *sapientia immolavit victimas suas* (Prov. 9, 2). Quae verba exponens Tertullianus, ait, quod Deus filios suos jugulaverit: *jugulavit filios suos*. Filii quos Deus jugulat, sunt haud dubie viri justi, qui speciali modo Dei filii sunt. Vides martyrem, qui tyrannorum severita sanguinem fudit? Ecce filium quem Deus jugulat. Vides sanctissimum confessorem, qui jejunis, vigiliis, aliisque mortificationibus carnem suam donat? Ecce filium quem Deus jugulat. Quot tandem sunt viri justi, quos Deus adversitatibus affligit et cruciat, tot sunt filii quos Deus jugulat: *jugulavit filios suos*. Si autem Deus filios suos jugulat, quomodo intelligendus idem Salomon dicens, quod Deus filiis vitam inspirat: *sapientia filijs suis vitam*

inspirat? (Ecc. 4. 12). Si jugulat, quomodo vitam inspirat? Si vitam inspirat, quomodo jugulat? Jugulat eos, isque ille-
tidem vitam inspirat, quia cum eos tentationibus, tribulationibus
et adversitatibus vexat, quasi jugulat; cum vero gratia, virtutum,
et perfectionis munera tribuit, iisdem vitam inspirat. Unde di-
cendum, quod justos in hoc mundo *Dominus mortificat et
vivificat* (1 Reg. 2, 6): mortificat, cum eos percutit et adver-
sitatibus cruciari sinit; vivificat vero, cum eos afflictionibus
perficit, atque ad vitam perfectionem adducit. Docet Spi-
ritus Sanctus, justos a Deo probari eodem prorsus modo,
quo aurum ab aurifice probatur; *tamquam aurum in fornace
probat* (Sap. 3, 6). Cum ex aurifodina educitur, et an-
tequam igne purificetur aurum, nil nisi terra videtur; cum
in fornace probatur, ibi purificatur, illi perficitur, ita ut non
atropius vocetur terra, sed aurum: nam, ut ait Tertullianus,
nomen terre in igne relinquit, ut scilicet auri nomen sortia-
tur. Sicut autem aurifex aurum in ignem mittit, ut illud pro-
bet et perficiat, ita Deus justos tribulationibus et adversitati-
bus affligit, ut illos probet et perficiat. Cum mente revolvis
Jobum simeto decumbentem, Petrum cruci affixum, Paulum
vinculis ligatum, Clementem carceri mancipatum, Bartholo-
mæum crudeliter excoarctatum, aliosque viros justos variis tri-
bulationibus vexatos, dicito: ecce aurum quod igne probatur
et perficitur; ecce homines justos, quos Deus adversitatibus
affligi vult, ut eos tribulationibus tamquam igne probet et
perficiat; *tamquam aurum in fornace probat illos*. Justos
Deus in fornacem tribulationum mittit, non tamquam lignum,
ut absumantur et destruantur, verum tamquam aurum, ut
probeantur et perficiantur. Alia utitur similitudine Christus,
ut doceat, justos tribulari et afflictionibus vexari, ut perfi-
ciantur, non ut destruantur, dicens, se esse vitem; Patrem
æternum esse agricolam; et justos, qui bonorum operum fru-
ctus afferunt, esse palmites. Sicut autem agricola arbores bo-
nas a luxurie frondium et a vermibus purgat, ut perficiantur,
utque meliores et copiosiores fructus afferant, ita Deus justos
tribulationibus purgat, ut eos perficiat, utque uberiores fru-

ctus afferant; *omnem palmitem qui fert fructum, purgabit
eum, ut fructum plus afferat* (Joan. 15, 2).

Deus non solum justos et electos, etiam impios et re-
probos cum palmito confert, alia tamen rationem impij di-
cuntur palmites non ferentes fructum; et ideo a Patre æterno
tolluntur et in ignem mittuntur: *omnem palmitem in me
non ferentem fructum tollet eum*; justus vero suus pal-
mites ferentes fructum, et ideo a Patre æterno excoluntur,
putantur et purgantur, ut copiosiores fructus afferant; *palmes
fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur,
ut ad uberiores gratiam perducat* (S. Greg. lib. 7, ep. 32).
Non vult Deus, ut viri justi in via virtutis deficiant, sed ut
proficiant; non vult ut in virtutis via languant et repant,
sed ut fiant perfecti; *estote ergo eos perfecti, sicut et Pater
vester celestis perfectus est* (Matth. 5); quapropter eos in
hoc mundo tentari et tribulari permittit, ut ab omni inquina-
mento peccati purget, utque eos in virtute perficiat. Hinc
S. Joannes anachoreta uni ex fratribus seclari tertiana labo-
ranti, rogantique, ut ab eo curaretur, respondit: *Rem tibi
necessariam cupis abijcere. Ut enim corpora nitro, vel
aliis hujusmodi lenimentis curantur a sordibus; ita anime
languoribus, aliisque hujusmodi castigationibus purificantur
et perficiuntur* (Ruffin. in vitis Patr.). Hæc omnia clarissime
patent in divo Paulo, qui pluribus adversitatibus, tentationibus,
et tribulationibus vexatus fuit; quarum longam seriem ipse
contexit dicens; *in laboribus plurimis, in carceribus abun-
dantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.
A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter
virgis cæcus sum, semel lapidatus sum, ter naufragus
facti*. Cur Deus, cujus summa bonitas, vult Paulum virum ju-
stum, amicum et apostolum suum, tot tribulationibus vexari?
Hoc vult, ut in via virtutis magnos progressus faciat, et qui
jam perfectus erat, magis perficiatur. Magna erat Pauli cha-
ritas; affligit tamen illum Deus, ut illum ad altiores charitatis
gradus acquirendos excitet. Mirabilis ejus erat patientia; per-
cutit tamen illum Deus, ut patientiam ejus augeat. Ardentis-

simo flagrabat zelo, illum tamen affligi vult Deus, ut zelus ejus magis inardescat; plectit tandem illum Deus, ut eum in omni virtutum genere perficiat, quia virtus tribulationibus et adversitatibus purior et perfectior evadit; *virtus in infirmitate perficitur* (2 Cor. 12, 9). Quod respectu Pauli, hoc et respectu aliorum justorum Deus quotidie peragit; hos etenim jam morbis, jam egestate, nunc bonorum jactura, nunc aliis adversitatibus affligit, ut qui justi et perfecti erant, justiores et perfectiores evadant. Scit Deus, quod *marcet sine adversario virtus* (Senec. *de provid.* 2, 2); ideoque ne in viris justis marceat, ne langueat virtus, eos flagellis et adversitatibus stimulat, ut virtuti acquirendæ perfectius incumbant. Nonne scitis dixisse Deum, se eos castigare quos amat; *ego quos amo, arguo et castigo* (Apoc. 3, 19). Quod et asserit D. Paulus dicens, *quem enim diligit Dominus, castigat* (Heb. 6). Si justos Dominus diligit, quomodo castigat? Si eos castigat, quomodo diligit? Castigat sane eos et diligit, quia non castigat et plectit ut perdat; verum ut eos justiores, sanctiores, et in virtute perfectiores efficiat. Exultate ergo justi in Domino; gaudete in adversitatibus et tribulationibus vestris, quia non odii, sed amoris divini signa sunt. Plectit vos Deus, quia amat; plectit vos, ut perficiat, *ac etiam ut salvet.*

III PARS.

Deus percussit homines, ut eos salvet.

Sicut non eget Deus bonis nostris temporalibus, ita nec eget charitate nostra, humilitate nostra, poenitentia nostra, et aliis bonis nostris spiritualibus: nobis enim, non Deo, prodest, quod justus, sancti et paradiso digni simus: *Quid prodest Deo, si justus fueris; aut quid ei confers, si immaculata fuerit vita tua?* (Job. 22, 3). Terrenus quisque Rex ita aliis dominatur, ut subditorum sibi hominum plurimum egeat, ac ab iis sua potentia, gloria, suaque felicitas pendeat: nisi enim rex populum habeat,

cui imperet, nec rex, nec potens, nec gloria inelytus erit: at Deus ita coeli et terræ Dominus est, ut coelo, terra, omnibusque quæ in coelo et in terra sunt minime egeat, ab iisque illius potentia, opes et gloria minime pendeant. Sicut enim Deus antequam mundum conderet, absque ullis creaturis beatissimus in se fuit, ita et post mundum conditum beatissimus in se est independenter ab omnibus creaturis. Unde si jam cælum, terram, omnesque creaturas ad nihilum redigeret, nullum inde pateretur damnum, semperque potentiam et gloriam nullis terminis circumscriptam haberet: ac ut ait Tostatus, *etiamsi omnes angeli et homines pereant, nullo Deus afficitur damno, cum de bonis ejus nihil desit: ipse enim est sibi totum bonum.* Licet autem Deus nec angelis, nec hominibus egeat, istis tamen et illis gratias dedit, quibus si bene usi essent, salvati omnes fuissent. De istorum et aliorum salute curam habuit, ac ita sollicitus fuit de hominum salute, ut pro iis incarnari, pati, et mori voluerit. Nec hic hæsit Dei in homines bonitas; ut enim eos salvet, confert eis gratias, sacramenta, et alia media spiritualia ad salutem necessaria. Imo et sæpe flagellis eos cædit, pluribusque eos adversitatibus affligit, ut saluti eorum consulat. Videt Deus, terrenas voluptates non posse cum virtute consistere, a salutis via avertere, et ad infernum plerumque homines trahere. Videt Deus, voluptates sæculi esse viscum tenacissimum, quo multos capit, et ad infernum trahit tartareus anceps: *Voluptates sunt viscus spiritualium poenarum* (S. Aug. ser. 33 *de tem.*). Videt tandem Deus homines infirmos esse et debiles, nec ullo vinculo ad malum fortius trahi, quam a funiculis voluptatum, a quibus quasi incautantur, fasciantur, et ad gravia quævis scelera pertrahuntur. Ut ergo homines a peccandi licentia coercerent, ac salvet, voluptatibus illos immergi non sinit; imo illos morbis, aliisque adversitatibus percussit. Certum est, prosperitate homines excæcari: sicut enim nimia humorum copia, nimia pinguedo, nimisque solis fulgor corporeos offuscant et nonnunquam excæcant oculos, ita divitiarum copia, nimia vivendi licentia, nimiaque prosperitas,

mentis oculum ofuscant, et quandoque totaliter excecant, hominesque infatuant. Quod in Salomone, hominum sapientissimo, verissimum comprobatur, cui cum prospere cuncta succederent, a nimia qua fruebatur prosperitate in tantam cecitatem devenit, ut Dei sui quasi oblitus, idolis cæcus immolaverit, ac, ut ait S. Bernardus, *blandientibus secundis rebus Salomon ex toto desipuit*. Sicut autem Salomon, et alii homines prosperitate excecantur et quasi infatuantur, ita et adversitate illuminantur. Vexatio dat eis intellectum, ita ut qui in prosperitate Dei et salutis obliviscantur, adveniente deinde adversitate, Deum quaerant, et de salute solliciti fiant, ac cum regio vate dicant: *In die tribulationis meae Deum exquisivi* (Ps. 76, 2). Igitur Deus, ut homines salvet, subtrahit eis prosperitatem, a qua excecarentur, et immittit adversitatem, a qua illuminantur, ac ad Deum quaerendum, nec non ad propriae salutis invigilandum inducuntur.

Felices communiter censentur hi, qui prospera gaudent fortuna, infelices vero qui adversa. Si vero finis inspicatur, felices quidem quibus adversa, infelices vero quibus prospera cedit fortuna, quia prospera hujus mundi a Deo et a salute avertunt, adversa vero ad Deum et ad cœlum adducunt; *Felix fortuna a vero bono devotus blanditiis trahit, adversa plerumque ad vera bona reducens unco retrahit* (Boët. de Cons. phil. 8). Verum est, quod prospera fortuna dicatur ventus prosper; hoc tamen spero et jucundo vento ad orcam navigatur: adversa etiam fortuna dicitur ventus adversus, ac adverso hoc flatu ad cœlum tenditur. Sicut enim divitem epulonem prosperitas ad infernum duxit, ita et alii qui nimia prosperitate fruuntur ad inferos æternum cruciandi pergere solent. Sicut e contra Lazarum in sinum Abrahamæ paupertas et adversitas duxerunt, ita et alios homines adversitas in cœlum adducere consuevit: sapienter ergo et misericorditer Deus homines in hoc mundo egestate, morbis aliisque adversitatibus percudit; hac enim virga a damnationis periculo eripit, eorumque salutis consulit. Aliter Deus, et aliter homines de mundi prosperitate et adversitate judicant. Homines, qui juxta corporis sensus, juxta sæculi opinionem, vel juxta naturæ

corruptæ propensionem res censent, divitias paupertati, et prosperitatem adversitati facile præferunt. Deus vero, cujus rectum et infallibile est judicium, tribulationes et adversitates deliciis sæculi et hominum prosperitati anteposit. Cum enim de divitibus illis, quibus omnia prospera, loquitur, eos miseros et infelices vocat; vae vobis divitibus. Cum autem eos qui adversitatibus variis premuntur, alloquitur, eos felices æstimat, ac vult ut gaudeant, quasi summa felicitate potiantur: *Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me; gaudete et exultate* (Matth. 5, 12). Divites Deus infelices dicit, quia divitiis et mundi prosperitate ad infernum plerumque trahuntur; felices vero et beatos vocat illos, qui in hoc mundo tribulationibus vexantur, quia adversitates hujus mundi ad æterna cœli gaudia homines ducunt. Et hæc est præcipua ratio cur Deus homines hic in terris percudit et affligit. Non ergo vos miseros censentis, cum adveniunt tribulationes; non turbetur cor vestrum, neque formidet, cum percudit vos Dei manus; potius gaudete et exultate. Imo et omni gaudio replemini, cum occasiones patienti pro Christo sese offerunt; quia patientia et tribulationibus acquiritur cœli gaudium et omne gaudium: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis* (Jacob. 1). Præclare adnotavit insignis ille artis medicæ magister Galenus, rusticus a Deo nunquam terre sterilitatem petere: semper ab eo messis, et aliarum rerum abundantiam postulare: *Rusticorum votum est; o Jupiter, plue mel*. Quod autem de rusticis Galenus, hoc fere de omnibus hominibus dici potest: nihil enim a Deo petunt nisi mel consolationum, mel divitiarum, mel voluptatum et honorum sæculi. Si recte saperent homines, a Deo non tale mel postularent; ab eo potius fel tribulationum et adversitatum paterent. Si saperent, non clamarent ad Deum dicentes: o bone Deus, plue mel consolationum et deliciarum; e contra clamarent: o Domine, plue fel tribulationum: o Domine, immitte afflictiones et adversitates: o Domine, percute nos, ut ad te convertamur, ut in via virtutum proficiamus, et ut æternam beatitudinem assequi mereamur.

O homo, tu, quisquis ille sis, attende quale sit Dei cor in omnibus tribulationibus, quibus te affligit, et illum in omni tribulatione laudare et benedicere non desinas: serio meditare quid intendat Deus, cum variis te adversitatibus agitari permittit; et plurimas illi gratias repende. In tribulationibus tuis ne adversus Deum murmures; dic ei cum propheta: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Dicat, si velit, Josephus Pharaoni: *Bonum mihi, quia exaltasti me.* Dicat Ruth benefactori suo Booz: *Bonum mihi, quia ditasti me.* Dicat Assuero regina Esther: *Bonum mihi, quia coronasti me.* Angelo dicat Tobias: *Bonum mihi, quia illuminasti me.* Lazarus dicat Salvatore: *Bonum mihi, quia ad vitam revocasti me.* Tu autem in omni tribulatione et angustia Deo dicito: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Bonum quidem hoc mihi et optimum: quia me affixisti et humiliasti, ut ad te converterer, ut in via virtutis proficerem, et ut coeleste regnum perducerer. Sic in adversitatibus tuis Deum alloquere; ac in iis divine voluntati te conformem exhibe, et hoc age quod Deus intendit, quodque a te fieri exigit. Vide, quid velit Deus; et hoc fac quod vult Deus. Te tribulari vult Deus, ut ad veram morum conversionem te inducat: ad eum serio convertere. Multis te Deus adversitatibus premit, ut te in omni virtutum genere perficiat: tu totis conatibus in virtutis via proficere satago. Gravia te in hoc mundo pati permittit Deus, ut cruce et tribulationibus ad paradisi gloriam te perducat: Dei voluntati obtempera, ac inmissas tibi a Deo adversitates tam patienter, tanque constanter fer, ut iis mediantibus eternam beatitudinem assequi merearis. Amen.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

DE DEO.

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis (Joan. 1, 26).

Hominum multi, ut bruta animantia viventes, nec sursum extollunt mentis oculos, ut authorem a quo facti sunt contemplantur, nec unquam mente revolvunt cur a Deo facti, et in hoc mundo sint positi. Si hac de re divum Augustinum consulerent, ab eo discerent, se factos non ad temporalia magno affectu ambienda, sed ad Deum cognoscendum et amandum. *Creavit Deus hominem, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret.* Probe scio, nullum esse ita stolidum, si saltem aliquo rationis radio polleat, qui aliquam de Deo notitiam non habeat; de Deo omnes norunt saltem, quod sit; nec est aliquis qui ejus existentiam ignoret, quia ratio naturalis, coeli, elementa, omnesque creature ita Deum esse sudent et demonstrant, ut de hoc nullus dubitare possit. Licet autem noverint omnes Deum esse, non tamen omnibus nota sunt evidenciores ejus perfectiones; in medio omnium stat per suam essentiam, presentiam et potentiam; pauci tamen eum, ut ab hominibus cognosci potest, perfecte noverunt; *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* In genia sua plurimi profanis scientiis acquirendis totaliter impendant; alii temporalibus negotiis ita vacant, ut nec de Deo, nec de salute cogitent; et alii ita se vino, abdomini, libidini, aliisque dedunt vitii, ut eorum mens in medio carnis et sanguinis sepulta vix unquam ad coelestia et divina contemplanda erigatur. O christifideles, sursum corda extollite, mentes sursum elevate, Dei cognitioni et considerationi attendite; quis et quam magnus sit Dominus, perpendite; scitote, quis sit ille Deus, qui ratione suae immensitatis in medio vestrum stat. Ut autem aliqua de Deo

O homo, tu, quisquis ille sis, attende quale sit Dei cor in omnibus tribulationibus, quibus te affligit, et illum in omni tribulatione laudare et benedicere non desinas: serio meditare quid intendat Deus, cum variis te adversitatibus agitari permittit; et plurimas illi gratias repende. In tribulationibus tuis ne adversus Deum murmures; dic ei cum propheta: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Dicat, si velit, Josephus Pharaoni: *Bonum mihi, quia exaltasti me.* Dicat Ruth benefactori suo Booz: *Bonum mihi, quia ditasti me.* Dicat Assuero regina Esther: *Bonum mihi, quia coronasti me.* Angelo dicat Tobias: *Bonum mihi, quia illuminasti me.* Lazarus dicat Salvatore: *Bonum mihi, quia ad vitam revocasti me.* Tu autem in omni tribulatione et angustia Deo dicito: *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Bonum quidem hoc mihi et optimum: quia me afflixisti et humiliasti, ut ad te converterer, ut in via virtutis proficerem, et ut coeleste regnum perducerer. Sic in adversitatibus tuis Deum alloquere; ac in iis divine voluntati te conformem exhibe, et hoc age quod Deus intendit, quodque a te fieri exigit. Vide, quid velit Deus; et hoc fac quod vult Deus. Te tribulari vult Deus, ut ad veram morum conversionem te inducat: ad eum serio convertere. Multis te Deus adversitatibus premit, ut te in omni virtutum genere perficiat: tu totis conatibus in virtutis via proficere satago. Gravia te in hoc mundo pati permittit Deus, ut cruce et tribulationibus ad paradisi gloriam te perducat: Dei voluntati obtempera, ac inmissas tibi a Deo adversitates tam patienter, tanque constanter fer, ut iis mediantibus eternam beatitudinem assequi merearis. Amen.

DOMINICA TERTIA ADVENTUS.

DE DEO.

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis (Joan. 1, 26).

Hominum multi, ut bruta animantia viventes, nec sursum extollunt mentis oculos, ut authorem a quo facti sunt contemplantur, nec unquam mente revolvunt cur a Deo facti, et in hoc mundo sint positi. Si hac de re divum Augustinum consulerent, ab eo discerent, se factos non ad temporalia magno affectu ambienda, sed ad Deum cognoscendum et amandum. *Creavit Deus hominem, ut summum bonum intelligeret, intelligendo amaret.* Probe scio, nullum esse ita stolidum, si saltem aliquo rationis radio polleat, qui aliquam de Deo notitiam non habeat; de Deo omnes norunt saltem, quod sit; nec est aliquis qui ejus existentiam ignoret, quia ratio naturalis, coeli, elementa, omnesque creature ita Deum esse sudent et demonstrant, ut de hoc nullus dubitare possit. Licet autem noverint omnes Deum esse, non tamen omnibus nota sunt evidenciores ejus perfectiones; in medio omnium stat per suam essentiam, presentiam et potentiam; pauci tamen eum, ut ab hominibus cognosci potest, perfecte noverunt; *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* In genia sua plurimi profanis scientiis acquirendis totaliter impendant; alii temporalibus negotiis ita vacant, ut nec de Deo, nec de salute cogitent; et alii ita se vino, abdomini, libidini, aliisque dedunt vitii, ut eorum mens in medio carnis et sanguinis sepulta vix unquam ad coelestia et divina contemplanda erigatur. O christifideles, sursum corda extollite, mentes sursum elevate, Dei cognitioni et considerationi attendite; quis et quam magnus sit Dominus, perpendite; scitote, quis sit ille Deus, qui ratione suae immensitatis in medio vestrum stat. Ut autem aliqua de Deo

ad auditorum utilitatem proferre valeam, ipsius Dei auxilio egeo. Ave.

Ut magnam de Dei perfectionibus ideam mentibus nostris ingerat S. Cyprianus, eum ita excelsum et supra animorum nostram captum ita eleratum dicit, ut a nobis videri, comprehendi et satis estimari nequeat: *Deus nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec estimari, sensu major est* (S. Cyp. l. de idol.). Dei majestas ita sublimis, nostraque ita infirmæ et debiles sunt mentes, ut sine auxilio supernaturali, seu sine lumine gloriæ illas elevante, ad Dei visionem pertingere nequeant. Sicut enim aquila, perspicacissimis licet polleat oculis, solem videre nequit, nisi radios suos ipse prius immiserit, ita nec hominum mentes Deum videre possunt, nisi prius dato a Deo lumine gloriæ ad eum videndum eleventur et roborentur, *Deus nec videri potest*. Deus etiam a mentibus nostris comprehendi nequit. Sicut enim ab orbe terrarum primi mobilis globus comprehendi non potest, quia terrarum orbis cœlesti quovis globo longe minor est, ita impossibile est quod mens nostra finita et limitibus septa Deum infinitum comprehendat. Sane, ut ratiocinatur Doctor Angelicus, ad comprehendendum ens infinitum requireretur intellectus infinitus; intellectus autem noster finitus in se et in suis operationibus Deum, qui infinitus est, comprehendere nequit: *nec igitur comprehendendi, nec insuper a nobis Deus satis estimari potest*. Cum enim a nobis comprehendi non possit, nec a nobis etiam satis estimari potest. *Nec eum magis estimamus*, ut subdit S. Cyprianus, *quam cum eum inestimabilem dicimus*. Aliquam in genere de Dei perfectionibus ideam jam quisque vestrum habet ex hoc quod diximus, eum tantum esse, ut nec videri, nec comprehendi, nec satis estimari queat. Verum ut specialius de Deo disseramus, eum considero in eo quod est, in eo quod habet, et in eo quod potest. 1. *In eo quod est*, dicam, quod omnia sit; 2. *In eo quod habet*, dicam, quod omnia habet; 3. *In eo quod potest*, dicam, quod omnia possit. *Deus omnia est, omnia habet, omnia potest*, en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Deus omnia est.

Non omnes in eodem homine reperiri possunt perfectiones. Unde cum de alicuius principis vel alterius hominis proprietatibus loquimur, affirmationi negationem plerumque addimus, et dicere solemus; hic homo est et non est: est dives, non est in pauperes misericors; est doctus, non humilis; est ingenio præditus, non iudicio. Cum autem de Dei perfectionibus disserimus, minime dicendum, quod sit et non sit; quod sit hoc et non illud, quia Deus est omne esse et omne bonum, ipse est omnia; *Deus non quidem hoc est, et hoc non est, sed omnia est* (S. Dionys. de Divin. nom.). Nequaquam de Deo dicere licet; est hoc et non est hoc; est justus, non misericors; est sapiens, sed bonus; est potens, non fidelis: cum enim de perfectionibus ejus sermonem habemus, dicendum; est justus, est misericors, est sapiens, est bonus, est potens, est fidelis, est omnia. Semper dicendum est, quia omnia est formaliter vel eminenter: *Non quidem hoc est, et hoc non est, sed omnia est*. Res magnæ paucis explicari verbis nequeunt, et ideo qui panegyricam de Deo orationem instituit, plurima adhibent verba, variosque concervant gloriæ titulos, ut aliquam de ineffabilibus et inexplicabilibus ejus perfectionibus ideam exhibere valeant. Modo enim dicunt: Deus est ens a se, ens immensum, summe sapiens, summe bonum et in omni perfectionis genere infinitum. Modo aiunt: Deus est totius orbis creator, firmamentum naturæ, omnis gratiæ auctor, redemptor hominum, beatorum merces et æternæ beatitudinis objectum. Modo ut varia beneficia, quæ Deus hominibus impendit, explacent, dicunt: Deus est amicus fidelis, afflictorum consolator, errantium dux, animarum medicus, in eo sperantium protector, omnium hominum pater, bonitatis oceanus et perpetuus misericordiarum torrens. Tandem, ut paucis multa enarrent, dicunt,

quod Deus est id, quo nil majus, nil melius nilque perfectius excogitari potest. Fateor, Deum multiplicatis hujusmodi titulis laudari posse, sicut et eum laudaret qui diceret: in Deo est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile; in eo sunt omnes divitiae, omnis gloria, omnis majestas, omnis potentia et omnis sapientia: in eo tandem modo infinito est quidquid creatura rationalis amare et concupiscere potest, ut illi bene sit. Hominum sapientissimus Salomon docet modum abbreviatum et perfectum divinarum perfectionum panegyricum conficiendi, dicens, eum omnibus in rebus esse: *Consummatio sermonum, ipse est in omnibus* (Eccli. 43). Quasi dicat, quidquid ad Dei laudem et gloriam dici potest, paucissimis his verbis continetur: *Deus est in omnibus*; vel, ut habet versio graeca: *Deus est omnia*. O praclarum et facilem modum laudandi Deum! vis eum breviter laudare. Non dicas, Deus est hoc, Deus est illud; duobus verbis dicitur: *Deus est omnia*; et perfectam ad ejus gloriam orationem conficies, quia Deus non solum est quidquid de eo speciatim dicere posses, ipse *omnia est* vel formaliter vel eminenter. Ait Moyses ad Deum: *Ecce ego vadam ad filios Israël et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi quod est nomen ejus, quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum*. Sic dices filiis Israël: *qui est, misit me ad vos* (Exod. 3, 14). Cur vocat se Deus, eum *qui est*? Nonne dici potest de quolibet lapide, de quovis bruto, et de quovis homine, *quod est*? Nonne omnes angeli, omnes homines et omnia creata aeque vere sunt ac Deus? Omnes sane creaturae haud dubie sunt et vere sunt, et ideo videtur Deum non satis se a creaturis distinguere, cum ait se esse eum qui est: *Ego sum qui sum: qui est, misit me ad vos*. Falleris, o homo, qui sic ratiocinaris. Fateor quidem Deum esse, et creaturas etiam vere esse; at maxima intercedit differentia inter esse Dei et esse creaturarum: Deus est a se, et creaturae sunt ab alio; Deus est ab aeterno, et creaturae sunt solum in tempore: esse creaturarum est contingens, et esse Dei est absolutum; esse creaturarum est limitatum et qualibet creatura ita est hoc ens, ut non possit esse aliud ens; esse vero Dei est illimitatum, in-

finitum, et ut ait D. Dionysius, Deus est ita hoc ens, ut sit et complectatur omne ens; *Deus, inquit, non quovis modo est ens, sed simpliciter et incircumscripse, totum esse pariter complexus et anticipans*. Ne credas habere Deum esse contingens et circumscriptum instar creaturarum: habet enim esse absolutum et infinitum complectens omnia entia aeterni existentia, ac etiam futura, quorum omnium perfectiones possidet eminenter et per anticipationem, antequam illa existant in semetipsis. Quia sicut imago, antequam fiat, est, et perfectus est in mente artificis, quam deinde sit in seipsa, siquidem in artificis mente quodammodo vivit, et quidem eadem ipsa vita artificis: ita omnes creature sunt in Deo, et Deus est omnia entia non solum quando ea existunt, verum etiam per anticipationem, et antequam existant, quia tunc in eo sunt, tanquam in principio suo, a quo manare debent. Et sic Deus est omne ens, *Totum esse pariter complexus et anticipans*. Ne arbitraris Deum ita esse unum ens, ut omnia alia a se entia excludat; est enim unum ens, quod omnia alia entia in se complectitur, et ut loquitur sanctus Gregorius Nazianzenus, *Deus universum esse in seipso continet, tanquam infinitum quoddam et interminatum essentiae pelagus*. Cum mare dicimus, itidem omnia flumina, rivulos omnes, omnes fontes, omnesque mundi aquas quodammodo dicimus, quia omnes hae mediate vel immediate a mari oriuntur; sic cum Deum dicimus, itidem omnia penitus entia dicimus, quia Deus est quasi infinitum quoddam pelagus, a quo ea omnia oriuntur. Et ideo praclare dixit D. Dionysius, Deum esse omnia, quia omnia a Deo, tanquam a principio et causa sua procedunt; *Deus omnia est, tanquam omnium causa*. Effectus, ut ait Doctor Angelicus, perfectus est in causa sua, quam in semetipso; cum igitur omnes creature sint effectus, qui a Deo, tanquam a prima causa, producti sunt, dicendum quod omnes creature sint in Deo, et quod Deus sit, quodammodo omne ens, quia est omnis entis causa et principium, *Deus omnia est, tanquam omnium causa*. Perbelle dixit S. Gregorius Nazianzenus Deum esse omne ens, et nullum esse ens creatum, *Tu omnia, tu nihil*

rerum (in Carn.). Si Deus est omnia, quomodo est nihil rerum? Si est nihil rerum, quomodo est omnia? Deus sane simul et semel et est nihil rerum, et est omnia. *Est nihil rerum*, quia non est formaliter angelus, non est formaliter homo, lapis vel alia aliqua creatura; hoc enim nec est, nec esse potest. Licet autem Deus non sit aliqua creatura formaliter, est tamen *omne ens formaliter vel eminenter*. Dixi *formaliter*, quia sunt aliqua perfectiones in creaturis, quae nullam in se imperfectionem includunt, ut bonitas, sapientia, iustitia, et hae formaliter, modo tamen infinito, sunt in Deo, qui est formaliter bonus, justus, sapiens. Aliae habentur perfectiones, quae non sunt simpliciter simplices, quae scilicet quamvis sint vere perfectiones, sunt tamen imperfectae, eo quod aliquid perfectius excludant; sic esse arboris, esse plantae, esse bruti sunt entia corporea, quae sunt bona et suo modo perfecta, sed imperfecta in hoc quod excludunt spiritualitatem, quae est quid longe perfectius, et ista bona non sunt formaliter in Deo; maxima enim blasphemiam esset dicere Deum esse formaliter solem, lapidem, vel aliquid aliud ens creatum. Etsi vero Deus non sit formaliter aliquid ens creatum, verum tamen est, quod sit omnia entia creata eminenter, quia omnia ab eo, velut ab origine et a primo suo principio procedunt. Et sic licet Deus non sit formaliter aliqua creatura, est tamen omnia, quia omnia ab eo manant; Deus omnia est, tamquam omnium causa, *in qua omnia unice sunt conjuncta, supervenit et praesistentia supressentialiter* (D. Dion. ib.). O homo, sursum cor tuum subleva, ut contempleris Deum tuum, in quo omnia, a quo omnia et qui omnia est, *Deus meus et omnia* (Aug.). Admirare Deum tuum, cum solum dilige, ei toto corde adhere, quia hic est unus et omnia, ipse est unum bonum omnia continens bona, et unum ens, quod simul omnia est. Solum Deo adhaerebat, eoque solo potiri optabat propheta, quia quaecumque concupiscere poterat, in eo collecta et unita inveniebat, *a te quid volui super terram?* Deo similiter dic, et ex corde dic; te solum diligo, te uno frui cupio, ad te omnia mea diriguntur vota, nilque volo praeter te, Domine, quia tu

omnia es, *a te quid volui super terram?* (Ps. 72, 25). O quanta hominum caecitas, qui derelicto Deo, corda sua vilibus creaturis consecrant! Ut quid per multa vagaris homuncio? Unum quare bonum, in quo omnia bona. Ne imiteris miseros illos peccatores, qui pro momentanea voluptate et pro modico lucro Deum, in quo omnia bona et qui omnia est, impudenter derelinquunt; ei totis affectibus adhaere nec illum per peccata tua a te unquam expellas. Cum Tobias a peregrinatione, quam susceperat, non revertetur, flebat pia mater, eamque tadebat et ponebat quod filium dimisisset, dicens, *Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis* (Tob. 10, 5). Dic similiter Deo, per peccata a te separari non debueram, poenitet me, quod a te declinaverim, teque peccatis adhaerendo dereliquerim; numquam amplius a te dividar, tibi toto vitae meae tempore adhaerebo, quia tu Deus meus et omnia es. Est ergo Deus omnia: *Deus etiam omnia habet.*

II PARS.

Deus omnia habet.

Duplex generatim est dominium, jurisdictionis unum et proprietatis alterum. *Dominium jurisdictionis* est potestas gubernandi subditos. *Dominium proprietatis* est potestas legitima, seu jus quod quis habet disponendi de re aliqui pro libitu, ita ut possit illam dare, consumere, vastare et de ea prout placuerit disponere, sine cujusquam injuria. Certum est autem in Deo perfectissime et eminentissime esse dominium jurisdictionis super omnes creaturas rationales, quia ipse supremum in omnes, omni loco et tempore, quod omnia jurisdictionem habet, tamquam *Rex regum et Dominus dominantium* (1 Tim. 6). Nec aliquis dubitat, quin ille sit supremus legislator, qui pro suo arbitrio potest nobis leges imponere vel laxare, qui, prout libuerit, potest permittere et prohibere,

qui omnibus juxta merita aut demerita premia largiri, vel penas infligere potest; qui tandem est rex omnipotens in cujus ditione cuncta sunt posita: *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tunc resistere voluntati* (Esther 13, 9). In Deo sane est dominium jurisdictionis in omnes creaturas rationis competes; in eo est etiam dominium proprietatis in omnes omnino creaturas, quarum omnium est perfectissime dominus et quæ omnes ad ipsum attinent. Ut enim ait propheta: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo* (Ps. 23, 1). Quæ verba exponens Doctor Seraphicus ait, quod non solum terra et omnia quæ in ea sunt, etiam cælum et omnia quæ intra cæli concavum continentur, ad illum pertinent: *Domini certe non solum terra et plenitudo ejus, imo etiam cælum et plenitudo ejus*. Vide, quot aves in cælo, quot pisces in mari, quot plantæ, quot animantia, quotque aliæ creaturæ sunt in terra, mirare omnium creaturarum multitudinem et pulchritudinem, et scito, quod earum omnium dominium habeat Deus jure creationis, quia eas omnium creavit, nec est ulla, quæ de manu ejus non procedat. Qui magni et potentes sunt in sæculo, dominium in res suas habent aut occupatione, aut donatione, aut successione, aut emptione; Deus autem non habet dominium proprietatis in omnes creaturas occupatione, quasi res antea nullius fuerint domini, et ipse veluti in vacuum mundi possessionem sit ingressus; ante ipsum non erat mundus, nec aliquis mundi dominus. Non habet etiam Deus dominium proprietatis in creaturas donatione, successione vel emptione, ita ut illud Deus ab alio comparaverit; non enim ab alio hæc comparare potuit, cum ante mundi creationem non alius, verum ipse solus in se esset. Omnium rerum dominium habet Deus titulo creationis, quia omnes omnino creaturæ ab eo sunt ut principio et causa, quæ illas e nihilo eduxit et continuo conservat. Hic titulus est prestantissimus et summum jus in omnes creaturas Deo tribuit. Cum enim omnia solus creaverit, cum totum esse rerum omnium sua sapientia, suaque omnipotentia inxerit, cumque

omnia ab eo indesinenter conserventur, ita ut si vel unico momento ea suo influxu privaret, mox ad nihilum redigerentur, inde sequitur quod summa et essentialiter sit dependentia creaturarum a Deo, quodque essentialiter ei subjiciantur et per consequens, quod ratione creationis summum in eas dominium habeat. Namque nullum majus jus, aut dominium, quam sit illud quod competit ratione dependentiæ et subjectionis essentialis. Hoc creationis titulo in libro Esther innuitur Deum habere proprietatis dominium in omnes creaturas, his verbis: *Dominus, tu fecisti cælum et terram, et quicquid cæli ambitu continetur, dominus omnium*. Seu ut clare et præclare explicat Doctor Seraphicus, « Domini omnia sunt propria, cælum et terra, corporalia et spiritalia, omnis natura, omnis gratia, omnis cælestis gloria, omnia sunt Domini propria ». Jamvero quo titulo ea sunt Domini propria? Titulo creationis, seu quia ipse omnia condidit: *Tu fecisti cælum et terram, Dominus omnium es*. Hoc Dei in omnia creata dominium explicat divus Paulus similitudine domini et juris quod habet figulus in vas fictile quod fecit: *O homo, inquit, tu quis es, qui respondeas Deo? Seu, tu quis es, qui a Deo factorum rationem exigas? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus tui ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam* (1. Rom. 9)? Quibus verbis ostendit, quod sicut figulus habet perfectam dominium in vas fictile quod fecit, ita ut possit illud conservare vel frangere; et eo ad honesta vel sordida, prout voluerit, ministeria uti, quin de eo possit vas conqueri, sic in omnes omnino creaturas Datus perfectam proprietatis habet dominium, ita ut eas, tamquam res suas, annihilare vel conservare; usque ad libitum uti possit, nec quisquam de injuria conqueri, aut rationem factorum possit exigere, quia ille omnium creator et dominus est: *Tu dominus omnium es*. Hæc similitudo figuli clarissime explicat dominium proprietatis, quod Deus in omnes habet creaturas; attamen longe adhuc magis est dominium Dei in omnia creata, quam figuli in vasa, quæ fecit. Nam figulus non habet dominium perpetuum in

vassa, quæ fecit; etenim si illa alteri donet vel vendat, nullum amplius earum retinet dominium: Deus autem perpetuum in omnia creata habet dominium, nec potest hoc dominio ad unicum momentum spoliari. Verum quidem, quod Deus hominibus, omnia quæ habent, dederit, quodque iis dare non desinat; ita autem dat, ut eorum quæ dat, semper dominium retineat. Unde licet cunctis et semper sua distribuat, non tamen inde minus sit dives; cum semper Dominus omnium permaneat: *Dat cunctis Dominus, nec habet minus*. Et ideo sanctus Dionysius summam Dei in creaturas liberalitatem vocat *superplenam largitionem*; quia scilicet Dei largitionibus non evacuantur thesauri ejus, nec quocumque modo minuuntur; semper pleni perstant; cum donat, nihil amittit, ac semper plenus, et æque dives remanet. Postquam unum dedit regnum, unum imperium, imo et totum terrarum orbem, non ideo minus dives est; nam quæ dedit, ad eum attinent et in ea primum semper et supremum habet dominium; nec aliquid habere possumus, quod ad Deum non attineat. Unde divus Augustinus, Deum alloquens, ait: *Quis habet quidquam non tuum, Domine?* Nullus utique: quia Deus ita omnia largitur ut in ea dominium proprietatis retineat, semperque sit Dominus omnium. Deum vocat S. Dionysius *inaccessibilem singularitatem*; quia Deus in hoc est inter dominos singularis, quod alii e locis, quorum sunt domini, egrediantur vel egredi possint; Deus vero e loco dominationis suæ nonquam egrediat, nec egredi possit: tanta enim a Deo est creaturarum dependentia, ut ab illius dominio nulla subtrahi valeat. Vide omnes creaturas quæ in cælo, quæ in terra, et ubique sunt; et ubicumque creaturas videris, scito quod hæ creature ad Deum attinent, earum dominus est, dominio ejus subjaçent; Deus ab earum dominio subtrahi, neque a loco dominationis suæ egredi quomodocumque potest; nec prorsus fieri potest ut aliqua creatura ejus potestati et dominio pleno, perfecte et totaliter non subjiçatur. O quam dives est Deus! Cum ejus sint omnia creata. Non hoc solum vel illud regnum Deus possidet; omnia regna, omniaque creata ad eum attinent. Domini est terra,

Domini est cælum, Domini sunt omnia creata, de quibus ut de rebus suis ad libitum statuire potest. O homo! poterat Deus nullum tibi dare bonum; nec ideo aliquam tibi fecisset injuriam, quia cum sit Dominus omnium, cunctis ad arbitrium uti potest; et penes eum est ea dare, vel non dare; et ea dare cui, quando et quomodo voluerit. Tanta tamen ejus fuit in te bonitas, ut tibi misero, tibi indigno, tibi ingrato innumera bona contulerit. Quid enim habes, quod a Deo non acceperis? A quo habes domum, in qua habitas, panem, quo pasceris, divitias, quibus frueris? Nonne a Deo? A quo habes memoriam, intellectum, corporis sanitatem, oculos, manus, scientiam et omnia alia tam spiritualia, quam temporalia bona quæ possides? Nonne a Deo? Omnia sane a Deo habes; ideo æternus benefactori tuo gratias rependere teneris. Aulici, accepto aliquo officio, vel aliqua pensuicula annua a principe, semper se ei obstrictos agnoscunt, illius se servos ubique profitentur, omnique studio ei obsequi conantur. Quanto magis Deo gratias agere, eique fideliter et summo cum affectu deservire debes, cum ab eo et te, et omnia tua habeas! Ne ergo pecces in Dominum tuum et in benefactorem tuum; ne illi injuriam irrogas; fideliter obsequere ei, qui omnia habet et a quo omnia habes. Insuper attende quod Deus, qui omnia est et omnia habet, *omnia etiam potest*.

III. PARS.

Deus omnia potest.

Regulus est quicumque rex terre, si conferatur cum Deo, qui est *magnus Dominus et Rex magnus*. Terrenorum enim regum regna augustissimis continentur terminis; summi vero Regis imperium, quidquid conditum est, suo continet sinu. Illi paucis mortalibus imperant; Deus vero omnibus tum viventibus, tum vita functis dat jura. Illi brevissimo tempore aliis dominantur; Deus vero tota imperat æternitate. Illi

terrenos habent thronos; Dei vero thronus cœlum est; *cœlum sedes mea* (Isa. 66). Quod autem magis cœlestis regis magnitudinem prædicat et manifestat, ipsius est potentia absoluta et infinita; cæteri enim reges aliqua solummodo possunt, eaque possunt subjecti Deo; Dei vero potentia a nemine coarctatur; Deus nulli subjacet, et omnia potest quae possibilia sunt: *Apud Deum omnia possibilia sunt* (Matth. 19, 26). Aliquem potentiae divinae radium effulgere perspiciamus in creaturis: videte terram, cujus circuitus ad septem mille leucas gallicas et ultra profenditur. Inspicite aquam, aërem et ignem: quae elementa sunt ipsa terra longe ampliora. Sursum mentes erigite ad contemplandum portentosam cœlorum magnitudinem; si enim tanta est elementorum magnitudo, quanta est magnitudo cœli Lunæ, intra cujus concavum omnia elementa clauduntur? Quanta est magnitudo cœli Veneris, cœli Martis et aliorum cœlorum, qui cœlo lunæ longe altiores et ampliores sunt? Certe tanta, ut vix ab humano ingenio concipi possit. Asserunt astronomi quamlibet ex illis stellis, quas instar candelarum in firmamento lucentes videmus, esse omni terrarum orbe multo majorem; si autem tanta est magnitudo cujuslibet stellæ in firmamento, quanta est magnitudo ipsius firmamenti, in quo lucent tot et tantæ magnitudinis sidera? Quanta insuper est magnitudo primi mobilis, quod supra firmamentum est? Quanta tandem magnitudo empyrei, quod supra omnes alios cœlos elevatur? Certe cœlestium illorum globorum tanta est magnitudo, ut humanae mentis capum excedat. A quo facta sunt tam immense cœlorum moles? a Deo utique, qui *in principio creavit cœlum et terram* (Gen. 1, 1). Quomodo hæc a Deo facta sunt? Non quidem multo labore; unico voluntatis suæ actu: *Ipsè dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt*. Nec credas in unico hoc mundi opere exhaustam esse Dei potentiam; quia sicut unico voluntatis suæ actu totum perfecit orbem, ita unico voluntatis suæ actu mille et innumerabiles mundos isto pulchriores, ampliores et præstantiores a nihilo educere posset. Mirare Dei potentiam in istius mundi opere,

et eam in infinitum majorem esse credas, quia innumerabiles mundos isto majores, imo et quidquid possibile facere potest; cum ipso sit omnipotens et omnia sint ei possibilia: *Ego Deus omnipotens*. Infinitam Dei potentiam perfecte noverat Job vir sanctissimus, cum Deum alloquens dicebat: *Scio, quia omnia potes*; seu, ut explicat Liranus, *Scio quia omnia potes quae possibilia sunt*. Centum alii mundi sunt possibiles; hoc potest Deus. Mille et centum mille mundi sunt possibiles, hoc potest Deus. Quidquid tandem non solum mens humana et mens angelica, verum etiam quidquid mens divina potest concipere, ut possibile, hoc Deus potest perficere; quia omnia possibilia agere potest: *Scio quia omnia potest, quae possibilia sunt*. Quam mirabilia et quam multa fingere potest mens humana? Quanto mirabiliora, majora et plura mens angelica? In infinitum plura et magis miranda potest mens divina concipere; quidquid autem homines, angeli et Deus, ut possibile concipere valent, hoc omne Deus solo nutu, solo verbo potest in opus explicare et facere; quia Deus omnia quae sunt possibilia, potest facere. Deus facere non potest quod est impossibile, quod fieri repugnat et quod contradictionem implicat; quia quod est impossibile, fieri nequit. Deus potest facere omne quod naturaliter et supernaturaliter possibile est, modo hoc malum non sit. Unde axioma apud theologos commune hoc est; quod *Deus facere potest quidquid non dicit imperfectionem, nec involvit contradictionem*. Deus quidem facere non potest peccatum et quidquid dicit imperfectionem; nec ideo minus potens est, quia, ut ait divus Thomas, *peccare est deficere*; et si Deus peccare posset, debilis esset et non omnipotens. Deus etiam non potest facere quidquid involvit contradictionem, seu quidquid simul et semel includit esse et non esse; et sic non potest facere baculum sine duobus terminis; si enim in eo deessent duo termini, esset simul *baculus* ex hypotesi, et esset etiam *non baculus*; quod repugnat, quia idem non potest simul esse et non esse. Nec ideo inferendum, quod Deus sit minus potens, vel quod non sit omnipotens; si qua namque res a Deo fieri nequeat, hæc

impossibilitas se tenet ex parte rei, ut ait divus Thomas, quæ fieri non potest, et quam fieri repugnat non se tenet ex parte Dei, cuius potestas est infinita, et qui omnia possible facere potest. Dei sapientia est quasi regula et mensura divine potentie, quoad ea quæ exterius a Deo fiunt. Sicut in *moralibus* dicimus, prudentiam esse regulam virtutum et actionum humanarum, ita et in personis divinis sapientia est regula potentie, quoad operationes externas. Sicut in personis divinis est eadem sapientia, ita et eadem potentia; et sicut in iis sapientia est infinita, ita et infinita est potentia; cum tamen Deus ad extra suam manifestat potentiam, id modo et tempore fit, quo conveniens esse iudicat ejus sapientia. Suam Deus in opere creationis manifestavit potentiam, cum mundum creavit, idque ex infinita sapientia sua ordinatione factum est; nunc autem Deus plures soles et plures mundos non creat, quia hoc non congruum iudicat infinita ejus sapientia. Si enim æterna ejus sapientia diceret, mille soles et mille mundos isto pulchriores esse faciendos, mox ejus potentia illos e nihilo educeret; Deus enim omnipotens omnia facere potest, quæ ab infinita ejus sapientia ut possible concipiuntur; et omnia facit, quæ infinita ejus sapientia dicit esse faciendæ; nilque ei est impossibile eorum quæ possible sunt: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*. O quam magna Dei est potentia! Et quis Deo, qui omnia potest, obtemperare rennet? Heu! si non solum angeli, verum et ignis, grando, nix, glacies, nec non alia omnes creature sensu carentes Deo in omnibus obtemperant, cur tu, homo, qui ratione præditus es, Deo, qui omnia potest, non parebis? Videmus, quod qui terrenis serviunt principibus, magna reverentia coram illis se gerant, et illis in omnibus obsequantur; quanto tu majori reverentia Deo, qui maximus et potentissimus est, servire et in omnibus obtemperare debes? O homines, servite Domino, obtemperate Domino; imo et eum timete, quia omnia potest: *Dico autem vobis anteis meis; ne treemini ab his, qui occidunt corpus et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis; timete eum, qui, postquam occiderit, habet*

potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc time (Luc. 12, 4). Ecce qui timeendus sit. Et sane quis non timeat eum, qui, cum omnia possit, potestatem habet mittendi in infernum et æternis tartari suppliciis adjudicandi? timeamus tortores et tyrannos, qui brevi aliquo tempore nos cruciare et qui vitam corporis auferre possunt; quanto magis timere debemus Deum, qui cum omnia possit, potest nos in ardentissimam inferni fornacem præcipitare, ibique in æternum nos torquere? Timeo eum, qui cum sit omnipotens, horrenda hæc pœna vos plectere potest. Verum et in eo confidite: si enim Deus omnia possit, poterit a nobis omne malum avertere, poterit impedire, ne omnes homines, omnes dæmones, omnesque creature, vel in minimo nobis noceant; poterit et impedire, ne in infernum cadamus. Hæc poterit facere, et hæc faciet, si ei fideliter obsequamur. Itaque servite Domino in timore, servite ei in spiritu et veritate, et confidite, quod per potentiam suam a temporalibus et æternis vos preserverabit malis, quodque sempiterna in cœlo vobis bona conferet. Amen.

DOMINICA QUARTA ADVENTUS.

DE VIA AD CÆLUM.

Rectus facite semitas ejus (Luc. 3, 4).

Post exitum Adami lapsum, a cœlo exulaverunt homines, prohibitum illis fuit ingredi in æterna tabernacula et quasi generali interdicto eis clausæ fuere paradisi fores, ita ut cœlestè regnum adipisci, et æternam beatitudinem nullis hominum assequi quomodocumque posset. At Christus Dominus, ut summus pontifex, formidandum hoc sustulit interdictum; cruce sua, velut clave aurea paradisi januas aperuit, nosque docuit vias

quas tenere debemus, ut ad cœlestē regnū ire et pervenire valeamus. A colī via aberraverat Adamus et ab ea aberrabant omnes filii ejus; Christus in hunc mundum veniens, novās instituit vias, quas si tenemus, in cœlum recta ibimus; *Initiavit nobis viam novam* (Heb. 10, 20). Inspiciamus, quāso, hunc salutis doctorem, sequamur hoc exemplar, quod nobis monstratum est, videamus quibus viis incesserit Christus, easdemque, quas ipse, semitas tenemus, ut ad cœlum directe tendamus et aliquando perveniamus. *Rectas facite semitas ejus*; quæ sint illæ viæ quibus quisque se committat oportet, ut ad cœlum pergat, ista edoceam concione, Ave.

Cum Christus sit exemplar quod imitari et dux quem sequi quisque debet, ut sciamus quibus viis incedere et ad cœlum ascendere debeant homines, sedulo scrutandum, quas ipse vias tenuerit, quibusque viis ad cœlum ascenderit. Hæ autem viæ quibus in hoc mundo Christus incescit, ut ad cœlum ascenderet, sunt crux, mundi contemptus et obedientia. Prima viæ quàm Christus tenuit, est *crux*; gravia etenim perpessus est, ut æternam beatitudinem, sibi quidem jam aliunde debitam compararet: *Nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* (Luc. 24, 25). Secunda viæ qua incescit Christus, est *mundi contemptus*: sæculi enim auram et gloriam ita contempsit, ut leges ejus oppugnaverit, sequæ de hoc mundo non esse protestatus sit: *Ego non sum de hoc mundo* (Joan. 8). Tertia viæ qua perrexit Salvator, est *obedientia*: ideo enim super omnes cœlos exaltatus fuit, quia Patris voluntati in omnibus obtemperavit: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum* (ad Philip. 2). Ecce semitas quibus incescit Christus et ecce itidem vias quas quisque tenere debet ut ad cœlum pergat: ut enim ad cœlum perveniamus, non fugienda crux, at pro Dei amore ferenda; non æstimandus mundus, imo contemnendus; non devianandum a lege, sed ei fideliter obediendum. Crux igitur, mundi contemptus et obedientia, ecce tres ad cœlum vias. *Cruz* quidem, quia quisque in præsentī propter Deum pati et crucem ferre debet, ut salvetur: *mundi con-*

temptus, quia quisque mundi honores et leges spernat necesse est, ut cœlo dignus fiat: *obedientia*, quia divinis legibus quisque obedire tenetur, ut ad cœlestia regna perveniat. *Cruz, mundi contemptus, obedientia*, tres ad cœlum viæ: et habes tres hujus concionis partes.

I PARS.

Cruz est viâ ad cœlum.

Audistis non semel concionatores dicentes, crucem esse viam ad cœlum: hoc crebro audistis, et quia sæpe audistis, ad hæc verba parum attenditis, et vix est qui sibi suadeat, firmiterque credat, crucem et passionem esse viam qua ad cœlum itur. De hoc tamen nullatenus dubitandum, quia si Spiritui Sancto credamus, non per delicias et voluptates sæculi, verum *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 24). Hæc de re nullo modo ambigendum, quia si Christus, Dei filius unigenitus per crucem et passionem ad cœlum ascendit, quis censeat, alios homines viâ deliciarum et voluptatum ad cœlum ituros? *Si oportuit Christum pati et ita intrare in gloriam suam*, quis judicet, alios homines ad gloriam non suam et ad æternam beatitudinem sine ulla passione posse pervenire? Si Christus, ut ait Tertullianus, *favos post fella gustavit, nec antea rex gloriæ a cœlestibus salutus est, quam rex Judæorum proscriptus in crucem* (de Cor. mil. 14), quis æstimet, alios homines cœlestis beatitudinis mella in paradiso gustaturos, si prius fel et amaritudinem passionum in hoc mundo non prælibarint? Carte hic in terris portanda crux, ut viâ regis crucis eamus in cœlum, quam si cum Christo ferre renuimus, nec dura sustinemus, cum illo in paradiso non regnabimus: *Si sustinebimus et coregnabimus* (2 Tim. 2, 12). Est quædam viâ, quæ hominibus juxta mundi leges viventibus videtur recta, quæ tamen non recta, sed curva et obliqua est: et ideo ad infernum, non ad paradysum ducit.

Est via quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt ad mortem (Prov. 14, 12). Via illa, quæ videtur et quæ revera non est justa et recta, est via florida et amœna voluptatum, honorum et divitiarum sæculi, quam qui ambulant, sæpe credunt sibi quæ blandiuntur se via cœli incedere; falluntur tamen, quia hæc via, quæ iis videtur recta, ad infernum ducit. Alia est via, quæ vero recta est, qua justos Deus ad cœlum deducit: *Justum deducit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei* (Sap. 10, 10). Ista via recta, qua recte in cœlum itur, est via crucis et adversitatum, per quam justos suos deducit Dominus; est via laboriosa, via penitentiae, via virtutis, via crucis; ista via est vero recta, quam sequentes non aberrant a via cœli, nec declinant ad dexteram vel ad sinistram, et directe ad paradysum tendunt. Et ideo Christus, qui via rectissima ad cœlum ascendit, homines ad hanc viam tenendam invitat, dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie et sequatur me* (Luc. 9, 23). Quasi dicat: ego ad cœlum pergo via crucis, quæ est via rectissima; si vos ad cœlum ascendere cupitis, hac eadem incedite via, alioquin cœlum non ingrediemini. Ecce viam rectam, quam necessario tenere debent qui in cœlum ascendere cupiunt; ut enim dicitur in libro de imitatione Christi (2, 12): *Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ, nisi in cruce. Tolle ergo crucem tuam et sequere Jesum et ibis in vitam æternam*. Duplex a Christo Domino nobis proponitur via, lata una et angusta alia; via lata et ampla est via deliciarum, via arcta et angusta est via virtutis et crucis; viam amplam et spatiosam sequuntur impii, viam arctam et angustam tenent justii. Duplicem hanc viam præclare describit S. Ambrosius his verbis: *Dux sunt viæ, una justorum, altera peccatorum: uno angustatis, altera iniquitatis. Justorum via angustior est, injustorum latior, illa sobrietatis angustior, illa ebrietatis latior*. Et paulo infra comparans latam hanc viam cum angusta, ait: *Hic libertas cupiditatum, illic servitutis injuria; hic convivium, illic jejuniûm; hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lacryma-*

rum; hic saltatio, illic oratio; hic cantus dulces, illic gemitus graves (in Ps. 1). Ecce vias toto cœlo oppositas; quo autem ducunt hæc viæ? Quoniam via lata ducit, et quoniam ducit via arcta? Lata via ducit in longinquam inferni regionem, in qua fames est valida, sitis acerbâ, dolores continui et cruciatus sempiterni: *Spatiosa via est quæ ducit ad perditionem* (Matt. 7). Arcta vero via in felicissimam paradisi ducit regionem, quæ omnibus divitiis, honoribus, voluptatibus, deliciisque exundat: *Arcta via est quæ ducit ad vitam*. Qui per viam latam et deliciarum ambulant, habent dæmonem ducem, inquit S. Basilius, et ideo eunt in infernum: *Via illa facilis et lata, pronoque cursu declivis, habet decipientem dæmonem malum, qui per voluptatem se sequentes, ad perditionem trahit* (in Ps. 1). Econtra, ut subdit Basilius, qui via arcta crucis et mortificationis incedunt, a bono angelo ducuntur, et ideo ad finem beatum, et ad celestem beatitudinem pergunt. *Aspera vero et acclivi et ardua via angelus presidet bonus, qui per strenuos labores ad finem beatum sequaces suos deducit*. O quam terribilis et formidanda est via voluptatis et deliciarum, cum ducat in infernum! O quam amabilis, et optanda via crucis, et mortificationum, cum ad sempiternam paradisi gaudia perducat! Per pauci tamen sunt amatores crucis, pauci per viam spinis, tribulisque adversitatum consitam pergere volunt. Cum ab hominibus queritur, an velint assequi paradysum, respondent omnes, æquidem; cum deinde iis proponitur crux, ut via ad cœlum, abeunt retrorsum. Si ab iis petas, an salvari cupiant, non est qui non respondeat, se salvari velle; jamvero dic eis, quod ut salventur, debent injurias condonare, aliena restituere, cuique quod suum est tribuere, illicitis voluptatibus abrenuntiare, penitentiam agere, inordinatos passionum motus recte componere, carnem rebellem domare et alia quævis aspera, quæ in hominis christiani vita occurrunt, perferre; hoc opus, hic labor est: hanc viam crucis tenere renunt; salvari vellent, crucem perferre nollent. Sciant vero, quod, ut habet prædictus liber de Christi imitatione, *non est alia via ad vitam, nisi via sanctæ crucis et quotidiane mortificationis*. Ambula

*ubi vis, quære quodcumque volueris, et non incentes altiore
viam supra, nec securiorem viam infra, nisi viam sanctæ
crucis. Itaque, fratres, via crucis incedite; quæcumque dura
et aspera in virtutis via occurrunt, strenue sustinete, ut ater-
nam beatitudinem assequamini. Non terreant vos labores hujus
vitæ, quia merces magna dabitur. Ne animo deficiatis, cum
portanda vobis crux proponitur, quia est via quæ ducit ad
regnum. Durum et grave ne consensitis crucem ferre, quia
quidquid patimur in hoc mundo, leve et quasi nihil est com-
paratione facta bonorum quæ obtinentur in cælo. Certi estote,
quod si cæli cives aliquid ex his quæ mundus habet optare pos-
sent, nostras utique cruces optarent et in hunc mundum ve-
nire cuperent, ut cruce et mortificationibus ampliorem in cælo
coronam acquirerent. Optemus nos quod illi optarent, si aliquid
ipsis optandum superesset; optemus cruces, ambiamus pro
Christo pati, ut via crucis ad cælum ire et infinitæ gloriæ,
omniumque bonorum thesaurus in cælo comparare valeamus.
Si durum vobis adhuc videtur crucem sustinere, inspicite reges,
principes et omnes qui nunc cruciantur in inferno: mente
revolvite, quanta hi pati vellent in hoc mundo, ut ab inferno
liberarentur, et ut ad cælum pervenire daretur. Certe, ut
niebat S. Guillelmus, ex Aquitania duce penitens eremita
factus: *His qui in inferno cruciantur abunde sufficeret extra
infernum saccus Hieronymi, tunica Benedicti, mattula Eu-
lali, lacrymæ Arsenii, nuditas Apostoli, olla Elisei.* Hi
sane cruces nostras levissimas censerent respectu paradisi
quem expectarent. Duras similiter non æstimemus cruces, quæ
in virtutis via occurrunt: eas amemus, eas amplectamur, eas
viriliter perferamus: cum crux sit vera ad cælum via. Neque
vero obliviscamur aliam ad cælum viam, nempe *mundi con-
temptum.**

II PARS.

Mundi contemptus est via ad cælum.

Mundi nomine, quem contemnendum propono, non intel-
ligenda immensa hæc machina ex cælis, sideribus et ele-
mentis compacta, quam Deus tanta arte creavit et ordinavit,
ut nihil in ea sit, quod infinitam authoris sapientiam et po-
tentiam non prædicet. Hunc quidem mundum minime despici,
verum mirari oportet, quia a Deo est, quia perfectus est, et
quia omnia quæ in eo sunt, non solum bona, etiam valde bona
sunt; *videlicet Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde
bona* (Gen. 1, 31). Magnus hic mundus, qui in se bonus et
perfectus est, bipartitur in celestem et sublunarem. Si autem
celestem cum sublunari conferamus, mundus sublunaris con-
temptibilis videbitur respectu celestis, quia in sublunari omnia
bona sunt parva, transitoria, et malis permixta: in cele-
sti vero bona omnia sunt infinita, pura et perpetua, quo-
rum possessione sancti in æternum beantur. In mundo sublunari
habetur alius mundus, qui, ut ait S. Joannes, *totus in
maligno positus est.* Iste mundus, inquit S. Augustinus, est
congregatio hominum impiorum, qui reguntur legibus pessimis,
exitiosis, et ad tartara ducentibus. Vel est congregatio ho-
minum pessimorum, qui vivunt juxta mundi spiritum, qui non
est alius, quam spiritus luxuriæ et superbiæ, avaritiæ, et alio-
rum vitiorum, quæ in mundo sunt communia; ut enim ait
S. Joannes Evangelista, *omne, quod est in mundo, concupi-
scentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia
vitæ* (1 ep. 2, 16). Si ergo despiciendus mundus sublunaris
præ celesti, magis adhuc contemnendus mundus ille mali-
gnus, cujus totus affectus est ad carnis voluptates capiendas,
ad vanos honores ambiendos, et ad divitias comparandas. Hic
mundus contemnendus non solum quoad personas, ex quibus

is coalescit (1), etiam quoad leges quibus hæc personæ reguntur, et quoad bona labilia, ad quæ anhelant, quorum possessio ducit ad interitum.

Hunc mundum Christus toto vitæ suæ tempore contemnendum docuit; *tum* verbis quæ protulit; *tum* lege sanctissima quam instituit; *tum* mirandis virtutum exemplis quæ exhibuit. Denique hunc mundum despiciendum docuit Christus ipso die quo in cælum ascendit. Ut enim refert S. Hieronymus, Christus ascendere volens in cælum, pedum suorum vestigia terræ exarata reliquit, ut scilicet doceret mundum istum esse contemnendum, pedibus terendum et conculcandum: nec quemdam in cælum ascendere posse, nisi hunc mundum contemnat et despiciat. Multos reperire est qui mundum non sub pedibus, sed in capite gestant: hi scilicet, qui Dei et salutis obliti, mundi bona æstimant, admirantur, et nimio affectu prosequuntur. Mundum in capite gestant magnates, causarum patroni, mercatores, et omnes qui mentes at corda sua terrenis bonis totaliter infigunt. In capite mundum habent puellæ, quæ tot cirris, cincinnis, margaritis et inauribus ornate procedunt. Mundum supra caput deferunt, imo et toto corpore circumferunt viri et mulieres, qui vanis, proflis et profanis vestibus ornati superbe incedunt. Mundum tandem in capite et in corde gerunt, qui diu noctuque, mente et corde terrenis voluptatibus et cupiditatibus inhiant. At hæc omnia contemnere, imo et totum mundum quasi calcare debent quicumque ad cælum sibi gradum statuunt:

(1) Quæ ratione propheta dicere licuit, *iniquis olio habui*, sic nunc hæc asserit contemnendus eos, qui mundi spirita ducuntur, seu amatores mundi, quorum profecto doctrinæ, figmenta, mores, cupiditates, studia detestari oportet, ne eorum lenocinis et blanditiis capiamur, quorum consuetudine utimur, nec ab his auferri possimus, alioquin deberamus, ut ait Apostolus, ex hoc mundo exire. Sicut autem olium propheta haud erat impedimento quominus vel ipsa iniquos et adversarios sincera caritate diligeret, eoque videns tabesceret super eorum castitate et perditione; ita pariter contemptus amatorum mundi nil prohibet quominus eos omnes ardenti caritate prosequamur, et magna commiseratione eorum deficiamus insaniam, ferventibusque precibus ad salutis transitum perducere conemur.

qui enim mundum, et quæ mundi sunt, in capite vel in corde gerunt, ab iis deprimuntur et ad inferna trahuntur; qui autem mundum, et quæ mundi sunt, contemnant, conculcant et sub pedibus habent, ab iis elevantur et in cælum evehantur; *sublinabunt nos, si fuerint infra nos* (Emiss. serm. de Ascens.).

Mundus aliis est in ruinam, aliis in scalam. Iis qui toto corde terrena sapiunt, qui mundi voluptatibus nimio affectu adherent, qui perversis mundi legibus reguntur, his, inquam, mundus est in ruinam; in corporis enim et animæ iacturam incurrunt, et in infernum æternum cruciandi projicientur. Aliis autem est mundus veluti scala, qua ad cælum ascendant: his scilicet, qui mundum despiciunt, conculcant et sub pedibus habent. *Felices*, inquit Richardus a sancto Victore, *quibus vertitur in scalam, quod aliis esse solet in ruinam*. Hanc ambitæ felicitatem; mundum et omnia quæ in mundo sunt, contemnite et sub pedibus habete; ex iis scalam vobis facite, qua ad cælum ascendatis: statum eo altius evehes, quo basin celsiorem subjeceris: fac basin e terrenis cunctis compositam; ea omnia pedibus subice et calca, teque ad cælum evehent. Summus sacerdos olim in fronte laminam gestabat, in qua nomen Dei exaratum erat: ex ora autem vestimenti ejus malgranata pendebant. Cur malgranata in ora vestimenti et juxta pedes summi sacerdotis? Respondet S. Cyrillus Alexandrinus, malgranata significare regna, urbes, et omnes mundi regiones, ac ideo summum sacerdotem habuisse malgranata in pedibus, ut ostenderet, omnia mundi bona esse proterenda ad assequendam beatitudinem. Illustria habemus exempla multorum, qui omnia mundi bona conculcarunt, et qui mundi contemptu viam sibi pararunt ad cælum. Nonne tricondites infulas conculcarunt Gregorius, Coelestinus? Nonne episcopales mitras pro nihilo habuerunt Bernardus, Bruno, Aquinas, et alii multi? Nonne regia diademata præverunt et abjecerunt Pipinus Caroli Magni primogenitus, Ramirus rex Arragonie, Sigibertus Angliæ, Veremundus Castellæ, et alii non pauci? nonne imperialia diademata et totum mundum conculcarunt multi, ut se Dei

obsequio mancipant? Et quis recenseat, quot viri et quot adolescentule, sprotis mundi pompis et illecebris, vitam religiosam amplexati sunt, ut ad cœlum sibi iter sternerent? Ecce qui omnia mundi bona perfectissime contemperunt, ecce qui mundi contemptu sibi viam ad paradysum fecerunt. Optabile quidem esset, ut omnes eadem via pergerent; quia vero nequeunt omnes a mundo abstrahi et religiosam vitam sectari, debent omnes saltem corde et animo a mundo avelli, ut mundi legibus non regantur, neque mundi bonis cor agglutinatum habeant: quia mundi contemptus est via tenenda, quamque tenere solent viri justi, ut ad cœlum ascendant: hoc esse speciale specimen electorum solet, ut cuncta, quæ præterflunt sub se esse videant, atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcant (S. Greg. 31 Mor.). Itaque fratres, nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt (Jacob. 4, 4). Nolite diligere mundum, quia si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Nolite diligere mundum, ac potius illum odio habete, quia quicumque voluerit esse amicus sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt; quia ea contemnite, et ad cœlum ubi Christus est, anhelate: quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (ad Colos. 3). Nolite tandem diligere mundum, et ea quæ in mundo sunt; quin illa despiciat, et conculcate, ut viam vobis ad cœlum faciatis. O homo! in quantopere satius tibi est mundum contemnere, quam cœlum amittere! contemne ergo mundum, conculca mundum, fuge mundum, ut ad cœlum ire valeas: fuge crudeles terras, fuge litus amarum. Imitare mirandas illas aves, quæ paradisi aves vocantur, quia fere nunquam in terra quiescentes, semper in aère volitant, et versus cœlum sublimantur. Ne in terra nimis quiescas, ne terrenis adhaereas; ad cœlum, et coelestia suspira, ut tandem aliquando ad cœlum pervenire queas. Ne similis efficiaris maledicto illi serpenti æquissima Dei sententia damnato ad rependum super terram: super pectus

tuum gradieris, et terram comedes. Ne supra terram reptes veluti serpens, ne terrenis nimis adhaereas; satago imitari columbam illam, quæ nullum invenit locum in terra, in quo quiesceret pes ejus: cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus (Gen. 8, 5). Ne in terra quiescat cor tuum, ne mundum et quæ mundi sunt nimis diligas; mundum contemnas, et via tibi ad cœlum late patebit, eoque tutius adhuc te perducet obedientia.

III PARS.

Obedientia est via ad cœlum.

Æquissimum obedientiæ tributum Deo debemus cuncti, ac ut loquitur S. Bernardus: Deo necesse habemus reddere obedientiæ nummum. Ad solvendum autem Deo hunc obedientiæ nummum, ad ei præcipienti obediendum et ad omnia ejus mandata servanda movere et accendere nos debent summa ejus in nos authoritas, summus ejus in nos amor, summa ejus in nos beneficentia, summa ejus in ferendis legibus æquitas, necnon gravissima supplicia, quibus plectit suas leges violantes. Ad eandem obediendum ulterius nos impellere debet vita æterna, quam hujusmodi obedientia acquirimus: hæc enim obedientia est via vera, via secunda et via recta quæ ducit ad paradysum. Hoc præclare docuit Christus, a quo cum quis petisset, quæ via tenenda ad obtinendam beatitudinem? *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* (Matt. 19) respondit Salvator: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ecce viam qua pergere debes, ut eas in cœlum; si enim a mandatis aberres, a cœli semita devias; si autem Dei mandatis obedias, viam tenes quæ te ducet ad vitam. Si viam libertatis rosis stratum eligas, in infernum ibis; si via mandatorum incedas, Deique mandatis obtemperes, paradysum ingredieris, quia obedientia est via quæ ducit ad vitam. Vis scire, inquit idem Salvator, qui ibant, et qui non ibant in paradysum? Paradysum

hanc possidebunt qui solummodo in me credunt, vel qui nomen meum sepe in ore habent: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum colorum* (Matt. 7). In regum et in anam Patris coelestis intrabunt veri obediētes, qui voluntatem ejus faciunt, et qui mandatis ejus obtemperant: *Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse intrabit in regnum colorum*. Ecce viam qua itur in caelum. Si Deo obedias, et mandata ejus serves, perfrueris vita aeterna. Si autem Deo non obtemperes, et mandata ejus violas, non vitam, sed mortem aeternam tibi thesaurizabis: *Hic est liber mandatorum Dei, et lex quae est in aeternum: omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem* (Bar. 4, 1). Israelitis in mari luto viam fecit Deus, qua ad repromissionis terram pergerent: *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum* (Hab. 3, 15). Nobis vero in hoc mari, seu in hoc mundo, qui est velut mare amarissimum, viam Deus aperuit, qua in caelestem patriam tendamus: viam scilicet mandatorum, quorum observatio ducit in vitam aeternam. Haec via inaccessit propheta, ut ad caelum pergeret: *Viam mandatorum tuorum cucurri* (Ps. 118). Haec eadem via incedere debent omnes, ut caelum assequantur. Unde idem propheta ait, illos beatos esse, qui in via mandatorum Dei ambulant: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Hi in lege Dei ambulant, qui Deo praecipiente obediunt, qui mandata ejus custodiunt, qui quae ab illis minime divertant, et hos beatos dicit propheta. Ad hanc vero obediētiā uterius nos impellere debet vita qua obediētia Deo et mandatis ejus exhibita, est via ad beatitudinem et ad caelestem gloriam. Sancta Perpetua, quam plurimum commendat S. Augustinus, in ecstasim rapta, vidit scalam auream, undique cultris et gladiis circumseptam, per quam scandendum erat in caelum. Aurea haec scala nihil aliud est quam obediētia, quae tuto ad caelum perducit; haec autem scala circumspēcta dicitur cultris, id est praecipis divinis, quae omnia fideliter custodienda sunt, ut illuc perveniat. Praecipit Deus, ut parentem honore prosequaris licet mo-

rosam, iracundum et malignum: ecce cultrum in scala obediētia. Praecipit Deus, ut diligas inimicum, ut ei beneficias, utque pro persecutentibus ores; ecce cultrum in obediētia scala. Imperat Deus, ut aliena restituas, ut frenes concupiscentiam, ut a carnalibus voluptatibus abstineas; haec quidem dura: sunt tamen cultri in scala obediētia occurrentes. Quantumvis dura videantur Dei praecipia, integre et perfecte tibi servanda scias, si caelum ingredi velis, quia obediētia est scala et via qua ad caelum itur. Homini Deus vitam, mortemque aeternam proponit, dans ei potestatem eligendi quod placuerit: *Ante hominem vita et mors; bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi* (Eccli. 15, 18). Si mandata servaverit, aeternam vitam consequetur, quia obediētia et mandatorum Dei custodia ducit ad vitam aeternam; si autem ea non servaverit, aeterna morte plectetur, quia sicut obediētia est via ad vitam, ita et inobediētia est via ad mortem aeternam: serva ergo Dei mandata, ut vitam aeternam obtineas. Nec unum dumtaxat aut alterum praecipitum est servandum, ut ad caelum eatur; omnia penitus, nullo excepto, sunt fideliter custodienda, ita ut si vel unicum praecipitum violas, in paradisum non sis iturus, nisi prius transgressionis hujus penitentiam egeris. Vide quid acciderit Moysi. Nonne vir ille tantus ac talis propter unam inobediētiā apud aquas contradictionis, quia scilicet non statim Deo obeditur petram percitens, ab ingressu terrae promissionis exclusus est (1)? Sic tu, si omnia Dei mandata non cu-

(1) Levi diffidentia potius quam inobediētia deliquisse videtur Moyses: ideo levi poena multatus, ac destitutus temporali eaque brevi consolatione videndi terram promissionis, pro qua assequenda licet plurimos pertulisset labores et adversitates, nā tamen alioquin scielat esse hanc regionem nisi unbram vero terrae promissionis, quae est caelestis patria: propterea tantus ille vir, qui majores divitias aestimavit thesauro Aegyptiorum *improperium Christi*, quemque *noceat Dominus: facie ad faciem*, hanc nimium contristatam credidit propter illam exclusionem. Quisque vero contendere debet, ne una gravi inobediētia a terra viventium excludatur, eaque amissione aeternum fere cogatur. N. E.

stodieris; si vel unicum violaveris, ad promissa colorum regna minime pertinges. Quod apta similitudine explicat S. Basilius. Sunt, inquit, qui cæteris Dei mandatis servatis, in uno solo impingunt: hi similes sunt homini illi, qui iter faciens, civitatis alienius spectandæ studio, et toto emenso itinere, ad portas usque hujus civitatis perveniens, reperto ante portas diversorio, ibi quiescit, ac modicum quod est viæ vel ob pigrum ire detrectans, vel ob vanam aliquam, quam in diversorio libat voluptatem, ulterius pergere renuens, simul et toleratum itineris laborem inanem reddit, et spectaculo eorum quæ in urbe sunt, privatur. Similem in modum a cælestis civitatis ingressu privatur qui vel unicum præceptum violaverit. Currat quantum voluerit per viam multorum mandatorum, si vel unicum non servaverit, hoc est diversorium, in quo quiescit, et quo impediatur, ne cælestem civitatem ingrediatur. Non ergo crucem solum portes, nec solum contempnas mundum; crucem porta, et mundum ita contempne, ut omnia Dei mandata serres. Imitare regium prophetam, qui non ad aliqua dumtaxat, sed ad omnia Dei mandata servanda cor suum dirigebat: *ad omnia mandata tua dirigebar* (Ps. 118). Hæc est obedientia justorum, qui corda sua non solum flectunt ad aliqua Dei mandata custodienda, verum ad omnia; tu quoque omnia penitus Dei mandata servare contende. Et si in aliquo deficias, ad poenitentiam remedium, quod Christus in Ecclesia reliquit, quam citissime confuge, ut amissam recuperes gratiam, et ut viam tibi aperias ad felicitatem æternam. Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI

DE OBDURATIONE PECCATORIS.

Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum.
(Luc. 2, 34).

Tanta est hominum in peccato obduratorum malitia, perversitas tanta, ut ex bonis etiam aliorum actionibus peccandi et in deterius ruendi occasionem sumant. Quis enim credat Christum, qui in hunc mundum venerat ut pro peccatis hominum fieret propitiatio, iis peccandi causam fuisse? Quis censeat Christum, qui venerat ut tolleret peccata mundi, et ut opera diaboli dissolveret, alios ad peccandum induxisse? Hoc quidem nemo credere, censere nemo debet: quia revera Christus, qui Deus et impeccabilis erat, nec fieri causa peccandi, nec aliquem ad peccandum inducere potuit. Cum ergo de eo dicatur quod in multorum ruinam positus sit, hoc ita intelligendum, quod obduratis peccatoribus occasio ruendi et in peccatum cadendi fuerit: non sua intentione, sed eorum malitia, quæ tanta extitit, ut ex Christi miraculis et bonis operibus, quibus ad bene agendum excitari debuerant, occasionem illi invadendi, calumniis eum afficiendi, in eum blasphemandi, aliisque peccata perpetrandi sumpserint. Ecce primam ideam, quam relin, ut quisque vestrum de obdurato peccatorum in mente sua gerat; ecce hominum in peccato obduratorum ingenium; quod ejusmodi est, ut etiam ex molle venenum, ex luce cæcitatem, et ex præclaris aliorum actionibus laude et imitatione dignis peccandi causam arripiant. De hujusmodi peccatoribus obduratis, seu de obduratione et obstinatione peccatorum late tota ista concione disseremus. Amen.

A tempore quo peccavit Adam, homo quilibet est portentosum quoddam monstrum, quod ex duobus hominibus totaliter

stodieris; si vel unicum violaveris, ad promissa colorum regna minime pertinges. Quod apta similitudine explicat S. Basilius. Sunt, inquit, qui ceteris Dei mandatis servatis, in uno solo impingunt: hi similes sunt homini illi, qui iter faciens, civitatis alienius spectandae studio, et toto emenso itinere, ad portas usque hujus civitatis perveniens, reperto ante portas diversorio, ibi quiescit, ac modicum quod est viae vel ob pigrum ire detrectans, vel ob vanam aliquam, quam in diversorio libat voluptatem, ulterius pergere renuens, simul et toleratum itineris laborem inanem reddit, et spectaculo eorum quae in urbe sunt, privatur. Similem in modum a caelestis civitatis ingressu privatur qui vel unicum praeceptum violaverit. Currat quantum voluerit per viam multorum mandatorum, si vel unicum non servaverit, hoc est diversorium, in quo quiescit, et quo impediatur, ne caelestem civitatem ingrediatur. Non ergo crucem solum portes, nec solum contempnas mundum; crucem porta, et mundum ita contempne, ut omnia Dei mandata serres. Imitare regium prophetam, qui non ad aliqua dumtaxat, sed ad omnia Dei mandata servanda cor suum dirigebat: *ad omnia mandata tua dirigebar* (Ps. 118). Haec est obedientia justorum, qui corda sua non solum flectunt ad aliqua Dei mandata custodienda, verum ad omnia; tu quoque omnia penitus Dei mandata servare contende. Et si in aliquo deficias, ad poenitentiae remedium, quod Christus in Ecclesia reliquit, quam citissime confuge, ut amissam recuperes gratiam, et ut viam tibi aperias ad felicitatem aeternam. Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI

DE OBDURATIONE PECCATORIS.

Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum.
(Luc. 2, 34).

Tanta est hominum in peccato obduratorum malitia, perversitas tanta, ut ex bonis etiam aliorum actionibus peccandi et in deterius ruendi occasionem sumant. Quis enim credat Christum, qui in hunc mundum venerat ut pro peccatis hominum fieret propitiatio, iis peccandi causam fuisse? Quis censeat Christum, qui venerat ut tolleret peccata mundi, et ut opera diaboli dissolveret, alios ad peccandum induxisse? Hoc quidem nemo credere, censere nemo debet: quia revera Christus, qui Deus et impeccabilis erat, nec fieri causa peccandi, nec aliquem ad peccandum inducere potuit. Cum ergo de eo dicatur quod in multorum ruinam positus sit, hoc ita intelligendum, quod obduratis peccatoribus occasio ruendi et in peccatum cadendi fuerit: non sua intentione, sed eorum malitia, quae tanta extitit, ut ex Christi miraculis et bonis operibus, quibus ad bene agendum excitari debuerant, occasionem illi invadendi, calumniis eum afficiendi, in eum blasphemandi, aliisque peccata perpetrandi sumpserint. Ecce primam ideam, quam relin, ut quisque vestrum de obdurato peccatore in mente sua gerat; ecce hominum in peccato obduratorum ingenium; quod ejusmodi est, ut etiam ex molle venenum, ex luce caecitatem, et ex praeclaris aliorum actionibus laude et imitatione dignis peccandi causam arripiant. De hujusmodi peccatoribus obduratis, seu de obduratione et obstinatione peccatorum late tota ista concione disseremus. *Ave.*

A tempore quo peccavit Adam, homo quilibet est portentosum quoddam monstrum, quod ex duobus hominibus totaliter

oppositis et invicem contrariis constat. In eodem enim homine habetur quasi duplex homo quorum unus ad bonum, et alter ad malum proclivis est: quorum unus amat illicita, in peccatis delectatur, et piis virtutum exercitiis inhærerere renuit: alter vero illicita odio habet, peccata quevis detestatur, virtutesque acquirere satagit. O monstrum horribile! Quod autem majori adhuc admiratione, vel potius majori horrore dignum censeo, hoc est, quod sicut in eodem homine duo distingui possunt homines inter se continue dimicantes, ita et sæpe aliqui inveniantur homines, quorum quilibet dno habet corda, carneum unum, et aliud saxeam: *carneum*, quod a natura habet; et *saxeam*, quod ingratitude et malitia sua ipse sibi fecit: *carneum*, quod est molle et tractabile; *saxeam*, quod durum, peccato mordicus adhærens, et ad omne opus bonum peragendum inflexibile. Qui hujusmodi saxea corda gerunt, sunt homines, quos obduratos et ad malum obstinatos vocamus, quorum tanta exiat miseria, ut in evidentissimo ruinæ et damnationis periculo continue versentur. Ut autem iis pro modulo nostro subveniamus, de malo quo infestantur, seu de obduratione disseramus, ejusque explicemus signa, causas et remedia. Videamus 1. *signa*, quibus dignosci possit peccatoris obduratio; 2. *causas*, a quibus procedat; 3. *remedia*, quibus sanari valeat. *Signa, causa et remedia obdurationis*: en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Obdurationis signa.

Quicumque in mortale aliquod peccatum incidit, vere peccator Dei que inimicus est; non tamen omnis hujusmodi peccator dicitur obduratus; ille solum qui in peccato perseverat, nec etiam omnes qui in peccato aliquando perseverant, obdurationis vitio laborant; ex his qui peccaverunt et qui in peccato perseverant, alii minime, alii vero ut obdurati habendi. Ut autem di-

gnosci possit, qui ex his sint et qui non obdurati, plurima adduci solent signa, ex quibus tria seligam, quorum primum sumitur a peccato, secundum a gratia, tertium a peccatoris voluntate. *Primum* sumitur a peccato, quod obstinati peccatoris cor haud amplius gravat et torquet; *secundum* a gratia, a qua peccator obduratus non trahitur; *tertium* ab hujusmodi peccatoris voluntate, que nullis motivis, nullisque mediis ad declinandum a malo, et ad bene agendum adducitur.

1. Cum homo justus in grave aliquod peccatum cecidit, interius eum mox rodit conscientia, internis cor ejus lancinatur cogitationibus, et peccati pondere ita gravatur, ut conficiatur tædio, ac quandoque præ angustia vix somnum capere, et seipsum perferre possit. Si vero peccata sua multiplicet, diuque in iis perseveret, iis assuecit, cum illis quasi fœdus iuit, eaque sibi familiaria reddit: ac tandem ita in peccatis obfirmatur, ut lætetur cum male fecerit, nullumque in corde suo peccati pondus, nec ullos in conscientia angores et cruciatus sentiat; *cor durum senetipsum non exhorret, nec sentit* (S. Bern. de Cons.). De elementis docent philosophi, quod in centro suo non gravitent, et sic aqua, et terra, que extra centrum graves sunt et ponderose, in proprio centro nullius sunt ponderis et gravitatis. Quod autem de his elementis dicitur, dicendum pariter de peccato; quamdiu enim peccator nondum est obduratus, peccatum illi grave est pondusque illius sentit et sæpe fert, quia peccata nondum sunt in centro. Verum cum peccator in malo obdurescit, peccata in corde ejus quasi in centro sunt, et ideo ibi non gravitant, nec aliquem tunc peccator dolorem a peccatis et pro peccatis habet; quin contra in his delectatur et sibi complacet. Quod præclare docuit hominum sapientissimus his verbis: *impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*; vel, ut habet alia versio, *impius, cum in centrum venerit peccatorum contemnit*. Antequam peccator in obdurationem incidat, et antequam peccata in corde ejus velut in centro sint, Dei pertimescit judicia, formidat eum de æternis inferni supplicii cogitat, et terribilem Dei justitiam timet; postquam in statu peccati diu perseveravit, post-

quam sua multiplicavit crimina, ita pervicax fit, ut Dei iudicia, inferni supplicia, terribilem Dei justitiam, nec quidquam aliud pertimescat, eo quod tunc peccata in corde ejus velut in centro maneant, ac ibi non gravitent, nec cor ejus ullo modo lancient. *Impius, cum in centrum venerit peccatorum, contemnit.*

2. Ecce primum obdurationis signum, quod ab ipso peccato sumitur, quod in hominis obstinati corde non est grave nec ponderosum. Secundum autem obdurationis signum sumi potest a gratia, quam licet in corde peccatoris indurati suas operationes efficiat, non tamen illud ad bene agendum trahit. Et ideo obfirmatorum hominum corda adamantini comparantur, *cor suum posuerunt ut adamantem* (Zacha. 7, 12). De adamante illud mirandum narratur (1), quod licet summæ sit duritiæ, solo tamen perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissolvitur. Unde valde congruit similitudo inter adamantem et peccatorem obduratum: istius cor est durissimum et indomabile coram Deo; mollissimum vero in se et in omnium libidinum fluxum flexibile. Alia, vero nosiroque intento congrua similitudo est adamantis cum corde obdurato: sicut adamas trahit, et non trahitur, ita cor durum et adamantinum hominem ad vitia trahit, et a divinæ gratiæ illicis non trahitur. Divina gratia in corde peccatoris obdurati, sicut et in aliis operatur; illud excitat; illud movet; et ut illud ad declinandum a peccato et ad virtutis incumbendum alliciat, jam Dei bonitatem, et jam ejus justitiam; jam paradisi gloriam, jam inferni supplicia ei objicit; adamantinum vero hominis pervicacis cor gratiæ divinæ lenociniis et illicis ad bonum operandum non trahitur: *Cor suum posuerunt, ut adamantem*. Vere adamantinum erat Judæ cor, quod nullis divinæ gratiæ blanditiis alliciebatur, vel ut loquitur Origenes, induratum

(1) Hæc veteris opinio inter fabellas amandatur a recentioribus scientiæ naturalis cultoribus; cum ergo veræ sint oportet ea, ex quibus ducuntur similitudines, ideo hodiernæ amplitudine non congruit, ab eaque adhibenda abstinendum.

Judæ cor gangræna erat vitiarum: *animæ Judæ gangrænam habenti*. Norunt omnes carnem gangræna vitiatam omni sensu carere: sive enim novacula cadatur, sive in eam scalpellus immittatur, omnis sensus expers esse probatur, Judæ pariter anima, inquit Origenes, gangræna erat vitiatæ, quia induratus et indignus ille apostolus omnis sensus expertem se prodebat quoad beneficia a Christo accepta. Ad apostolatus enim dignitatem eum Christus exverat: potestatem ei contulerat miracula faciendi, testem esse voluerat prodigiorum, quæ ubique operabatur, multisque eum gratis et favoribus affecerat; his omnibus beneficiis a pessimo magistrum prodendi proposito amoveri, et ad virtutem sectandam trahi non potuit, quia cor ejus induratum et a gangræna putrefactum erat. Idem dicendum de aliis peccatoribus induratis: postquam enim diu in peccatis perseverarunt, corda eorum ita obdurescunt et quasi gangræna vitiantur, ut divinæ gratiæ motus fere non sentiant, nec ullis divinæ gratiæ impulsibus ad surgendum a peccato atque ad salutis semitam pertrahantur.

3. En secundum indurationis signum, quod sumitur ex parte gratiæ; est et aliud indurationis signum, quod sumitur ex ipso corde; seu, quod idem est, ex ipsa peccatoris voluntate, quæ cum in iniquitate obfirmatur, nullis motivis, nullisque modis potest, aut vix potest a peccatis avelli, et ad bonum allici. Ad hoc enim nec a prædicatoribus in cathedra tonantibus, nec a confessoribus ad salutaria vocantibus, nec ab amicis in spiritu charitatis corripientibus, nec ab aliis quibusque excitari potest, sive consiliis, sive minis, sive promissis ad hunc finem utantur, quia illius peccatoris cor, seu prava voluntas his omnibus propositis motivis et mediis fortiter resistit: *Cor durum*, inquit Doctor Seraphicus, *forte est ad rebellandum, sive ad resistendum*. Cum peccatoris alienius voluntas non tenaciter peccatis assuevit nec omnino deficit, ad declinandum a malo et ad virtutem sectandam adducitur vel gratia ad compunctionem intus excitante, vel pietate duritiam frangente, vel amicorum precibus, vel morbis a Deo iniussis, vel aliis multis rationibus et mediis. Peccator vero obduratus his omnibus resistit: ut

enim ait Doctor mellifluus, *cor durum ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur* (de Consid. I.). Dic indurato peccatori, Christum pro ipsius salute flagellatum, crucifixum, et dirissima passum; non inde ad compunctionem excitabitur. *Nec compunctione scinditur*. Dic ei, instare tempus Paschatis, vel alterius Festi, in quo omnes fideles studiosius pietatis operibus vacare solent: *nec pietate mollitur*. Dic illi: rogo te, ut honori et saluti tuæ consulas: rogo, ut declines ab hoc et illo peccato, cui te omnes addictum esse norunt, et ut valodicas huic creature, quæ tibi ruina, damnationisque æternæ occasionem præbet: *nec movetur precibus*. Menti ejus objice formidanda supplicia quæ peccatoribus induratis Deus minatur: *minis non cedit*. Si tandem Deus gravi morbo, vel alia aliqua adversitate illum plestat, tantum abest, ut inde ad conversionem adducatur, quin contra *flagellis induratur*. En indurationis signa, quibus facile quisque agnoscere poterit, quæ natura, quæ in doles, et quod sit hominis indurati ingenium: ac itidem adnotare quisque poterit, maximam esse hominis indurati miseriam. Quid enim infelicitius peccatore, qui gravissimum peccati onus portat, et illud non sentit; qui gratiam Dei recipit, nec ab illa ad bene agendum adducitur; qui tandem voluntatem ita peccato adhaerentem habet, ut nullis mediis et modis ab eo avelli, et ad bona opera inclinari possit? O quam magna hæc indurati peccatoris miseria! Certe tanta, ut omnis fere salutis spes ei occludatur, ac in evidentissimo damnationis periculo versetur. Unde de peccatore indurato dicitur, quod male habebit in novissimo: *cor durum habebit male in novissimo* (Ecc. 3, 27). Male quidem habebit obduratus peccator in novissimo, seu in vitæ suæ termino, quia si Deus in manu forti, et modo quodam insolito a misero hoc statu eum non educat, infallibiliter ab hoc mundo ad æterna tartari supplicia migrabit. O infelieem, et sanguineis lachrymis lugendum indurati peccatoris statum! Time te indurata fiant corda vestra; cavete, ne in obdurationem cadatis. Quod ut quisque vitare valeat: *quæ sint obdurationis cause: investigemus*.

II PARS.

Obdurationis causa.

Proxima et quasi unica obdurationis causa est ipsa peccatoris voluntas: ideo enim homo in peccato obduratur, eique pertinaciter adheret, quia ei adherere vult; nec enim ei adhaereret, si nollet. Unde vero fit ut peccatoris voluntas ita in peccato obduretur, eique tanta cum pertinacia adhereat? Hoc aliquando a prava peccandi consuetudine, aliquando a nimia peccatoris presumptione, et aliquando ab ipsa Dei justitia provenit. Et ideo tres enumerari possunt obdurationis cause: quarum *prima* est peccandi consuetudo: *secunda* nimia peccatoris presumptio: *tertia*, æquissima Dei justitia.

1. Sciunt omnes, quanta sit consuetudinis vis; quæ quidem tanta est, ut res, quæ in principio difficiles videbantur, facilissimas efficiat; et quæ antea amara erant, dulcia et amabilia reddat. Hoc sæpe verum esse comprobatur in vite spiritualis exercitio; quod enim durum, amarum, et difficile incipientibus videtur, successu temporis dulcescit proficientibus et perfectis. At hoc verissimum esse experiuntur multi respectu peccati, quod in principio displicet, odio habetur, et aliqua cum cordis renitentia perpetratur, quod autem quis iterum et iterum in eadem peccata cadit, quod antea gravissimum ei videbatur, minus grave deinde censet. Et si peccatis assuescat, non solum non molestum est ei in peccata labi etiam in iis delectatur; et tandem a peccandi consuetudine, tamquam a maligna matre, obduratio generatur: *cum in peccatis suis coeperit permanere, de multitudine peccatorum noseitur desperatio, ex desperatione obduratio generatur* (Aug. lib. de nat. et grat. 26). Videmus nonnunquam pueros bene moratos, qui ipsam peccati speciem exhorrent, qui virtuti studiose incumbunt, et quibus nil magis placet, quam placere Deo. Hi sæpe processu temporis amare incipiunt, quod antea exhorrebant: in peccata

aliqua incidant, in iis delectantur, iis assuescunt; ac tandem prava peccandi consuetudine ita obdurantur corda eorum, ut peccatis mordicus adhaereant, nec ab iis avelli possint: *induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt recerti* (Jerem. 5, 3). Cave ergo, peccator, a peccandi consuetudine: licet enim peccatum in principio importabile tibi videatur, si ei assuescas, tibi dulcescet, et prava peccandi consuetudo te deinde in obdurationem pertrahet. Quod praclare divus Bernardus docet his verbis: *primum tibi importabile videbitur peccatum; processu temporis, si assuescas, judicabis non adeo grave: paulo post et leve senties: paulo post nec senties; paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur* (D. Bern. de consid. 1, 2). Ideo principiis obstandum et cavendum a prava peccandi consuetudine, quae cordis obdurationem generat. At non sola peccandi consuetudo, etiam nimia hominum praesumptio obdurationis causa est.

2. Accidit nonnunquam, ut peccator peccandi consuetudine ita sua multiplicet peccata, ut de oblinenda venia et de Dei misericordia desperet; ac deinde in abyssum peccatorum, et in obdurationem incidat. Verum et saepe peccatores in peccato indurantur ob nimiam veniae spem, et quia de Dei misericordia praesumunt. Volunt semper in peccatis perseverare, et tamen semper praesumunt, quod eorum miserebitur Deus; semper in Deum peccant, et semper in eos Deum misericordem fore nimis confidunt; tandem vana hac spe decepti et praesumptione sua delusi, in peccatis obdurantur et misere perunt: *obduratus ille fit, qui sic misericordiam Dei sperat, ut usque in vitae finem in criminum suorum perversitate permaneat* (Aug. de fide ad Pet.). Certum est, infinitam esse Dei in peccatores misericordiam: ast infinita est etiam ejus justitia: sic ergo in Dei misericordia confidendum, ut ejus justitia timeatur. Diabolus autem solita arte sua ab impiorum mentibus, quantum potest, terribilis justitiae Dei ideas et imagines delet, ac efficit, ut in ejus misericordia nimis confidant: Deum ita misericordem eis obijcit et delineat, ut omnia sperare, nihilque ab eo timere debeant. Et ideo cum Deum beni-

gnissimum et ad indulgentiam semper paratissimum censeant, non solum liberius et audacius ad malum currunt, etiam diu in eo perseverant: ac tandem ob praesumptionem, nimiamque in Deum confidentiam, in peccatis quibus assueverunt, totaliter indurantur. Igitur, o peccator, spera in Domino, quin de misericordia praesumas. *Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur* (Eccl. 5, 6); ne sic loquaris, quia si de Dei misericordia praesumas, tua multiplicabis crimina, et deinde in peccato cor obdurabitur; et hoc fiet permittente Deo, *qui est etiam obdurationis causa*.

3. Certum est Deum aliquando obdurare peccatores, et obdurationem eorum aliqua ratione esse a Deo. Si enim Deus peccatores non obduraret, cur de Pharaone diceret ipse Deus: *ego induravi cor ejus* (Exod. 10, 1)? Si obduratio non esset a Deo, cur Judaeorum corda ab eo obdurata esse dicerentur: *excavavit oculos eorum, et induravit cor eorum* (Joan. 12, 40)? Si obduratio a Deo non esset, cur apud Isaiam (63, 17) de Deo diceretur: *indurasti cor nostrum, ne timeamus te?* Indurat ergo vere Deus peccatores, et eos indurat justitia sua in poenam praecedentium criminum. Quia cum peccatores in gravissima et horrenda labuntur peccata et in illis diu perseverant, Deus aequissima justitia sua in horum criminum et hujus pertinaciae poenam corda eorum indurat, prout ait S. Isidorus: *induratio cordis in malum quandoque procedit ex divina justitia, in poenam praecedentium peccatorum*. Timeo, peccatores, totis contremiscentibus artibus, quia Deus ipse, quantumvis bonus, quantumvis misericors, ita justus est, ut peccatorum corda aliquando induret. Non tamen credendum, quod Deus peccatores induret positive, ita ut proprie et proxime inclinent voluntatem illorum ad adherendum peccato, et ad resistendum oblati salutis auxiliis et mediis; cum enim Deus peccare non possit, nec potest etiam positive et proxime inclinare voluntatem creatam ad peccatum, et ad adherendum peccato. Unde cum dicimus Deum justitia sua obdurare peccatores, hoc intelligi debet non quod eos induret positive; sed quod eos induret negative, vel permissive.

Peccatores Deus obdurat *negative*, seu denegando vel subtrahendo specialia quædam gratiæ dona, quæ si ipsis daret, non obdurarentur eorum corda. Postquam enim peccatores in gravi peccata incidierunt, multasque gratias contempserunt, Deus justo suo iudicio sæpe ingratitude, contemptum et contumaciam eorum punit, non quidem denegando eis auxilia ad salutem sufficientia, sed subtrahendo, vel non impertiendo gratias speciales, quibus adjuti non indurarentur. Et sic ait Augustinus, quod *peccatores non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*; eos obdurat subtrahendo misericordiam seu gratiam, a qua humanum cor mollificari, et ad bonum inclinari solet; et qua deficiente, durum remanet. Dat tamen semper iis gratiam, cuius auxilio a peccato surgere possent, si vellent.

Ecce quomodo Deus peccatores obduret *negative*; sed et Deus eos obdurat etiam *permissive*, quia scilicet illos indurari permittit. Et sic Glossa interlinearis explicans præfata Isaie verba, *indurasti cor nostrum*, ait; *Indurasti*, idest *indurari permisisti*. Posset quidem Deus, absolute loquendo, impedire, ne peccatores in obdurationem caderent, ad hoc autem non tenetur. Sicut ergo impedire posset, ne homines in peccatum caderent, et tamen eos in peccatum ruere sinit, ita licet impedire posset, ne peccatores in peccatis obdurarentur, eos tamen obdurari permittit. Ac proinde, sicut Deus est causa permissiva peccati, ita est causa permissiva indurationis in peccato. Nec inde aliquam injuriam facit peccatoribus qui indurantur, quia sua culpa indurantur; dat enim semper Deus gratias sufficientes quibus si bene uterentur, corda eorum non obdurarentur. Audite D. Augustinus hac de re præclare disserentem, *si a iustitia inquit, et a pietate quis deficit suo in præceptis fertur arbitrio; nec in hoc negotio quidquam divina voluntatis interponit* (ep. 105 ad Siet.). Si ergo in statum obdurationis veneritis, non in Deum, sed in vosmetipsos obdurationis vestræ culpam refundite. Dicite, et intus sæpe dicite: ego sum causa obdurationis mee, quia a peccatis surgere et christiane vivere neglexi; ego sum mee obdurationis causa, quia predicatorum verba

et sapientum consilia despexi; ego sum causa obdurationis mee quia divinæ gratiæ sæpe restiti, et in peccatis perseverare volui. Hoc coram Deo fatemini; ac remedia ad corda vestra emollienda, et ad curandam obdurationem vestram idonea quaerite, et sedulo sumite.

III PARS.

Obdurationis remedia.

Licet difficillime curetur animi durities, nullus tamen in statu vite adeo est obstinatus, quin possit ad Deum converti et sanari, si media et remedia ad curandam cordis obdurationem idonea sumat. Hæc autem remedia sunt 1. Dei verbum frequenter audire; 2. orationis exercitio incumbere; 3. novissima serio meditari.

1. Primum ad sanandam cordis duritiam remedium est, Dei verbum frequenter audire; ut enim in libro sapientiæ (c. 16) legitur, Dei sermo sanat omnia: *Tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia*. Quantumvis infirmi et obdurati sint peccatores, si frequenter et humiliter verbum Dei audiant, sanabuntur ab infirmitatibus suis, et indurata eorum corda emollientur, quia Dei sermo sanat omnia, et durissima quævis corda conterit et emollit, divina operante gratia, quam Deus simul cum verbo prædicationis infundere solet. *Dei sermo simul et semel est ignis et malleus*; est ignis sacer, quo iusti ad Dei amorem accenduntur: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus* (Jer. 23)? Est etiam malleus, quo obdurata quaeris corda conteruntur; et quasi malleus conterens peccatam. O viri iusti, Dei verbum frequenter audite, ut sacro hoc igne corda vestra ad Dei amorem magis et magis inflamentur. Vos quoque, indurati peccatores, conciones adite, Dei verbum frequenter audite, ut eo, quasi malleo, corda vestra conterantur, molliantur, in melius mutantur, et ad conversionem adducantur. Nonnulli indurati peccatores prima vice,

qua concionatores audierunt, ad se reversi Dei bonitatem admirati sunt, judicia ejus timuerunt, aeterna inferni supplicia formidarunt, peccata sua sunt detestati, seque totos ad Deum converterunt. Hoc quoad aliquos ita factum est; verum et omnes peccatores, quantumvis obdurati, si non semel dumtaxat, sed saepe concionibus intersint, et cum illis, qui de Deo loqui solent, versentur, paulatim verbo Dei conteruntur, et emolliuntur corda eorum, atque a viis suis pessimis sensim declinant, ac tandem ad Deum totaliter convertuntur. Quod perspicue explicat abbas Pastor similitudine guttarum aquae, quae super duram rupem frequenter cadentes, eam tandem perforant. *Natura aquae, inquit, mollis est, lapidis autem dura est, et si eas aqua plenum, pendeat supra lapidem, ex quo assidue stillans gutta cavit in lapidem, tandem perforat eum; ita et sermo divinus lenis, cor autem nostrum durum est: audiens ergo homo frequenter verbum divinum, aperitur cor ejus ad timendum Deum* (in vit. PP. 6). Et ratio est, quia Deus homines salvare statuit per stultitiam praedicationis, ut loquitur D. Paulus, et ideo simul cum verbo suo peccatorum cordibus gratiam infundere solet, quae corda eorum conterit et emollit. Ne itaque, peccatores indurati, vos taceat Dei verbum frequenter audire: *ac etiam orationis exercitio sedulo incumbere.*

2. Cum die quadam Christus simul cum discipulis ascendisset in naviculam, motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum dicentes: *Domine, salva nos, perimus* (Matt. 8, 25). O peccatores, cor vestrum est quasi procellosum mare, in quo varii passionum et vitiorum motus concitantur, ita ut passionum, vestrarum fluctibus saepe operiamini et obruamini, ac in evidenti salutis naufragio versemini: ut autem ab hoc periculo eripi et salvari valeatis, orate, frequenter orate, Dei auxilium crebro postulate, Deo saepe dicite, *salva nos, perimus*; et Deus per misericordiam suam tempestates sedabit, vestra pacabit et emolliet corda, vobisque conversionis et salutis gratiam im-

pendet. Ita ante conversionem induratus orat Augustinus, ut impossibile sibi videretur, a consueto illegitimo thoro abstinere, quod autem a se ipse non poterat, oratione potuit: ad orationem enim conversus, ferventer et frequenter oravit dicens: *Domine, da quod jubes, et jube quod vis*. Tandem ita exauditus est, ut quod antea sibi impossibile videbatur, postmodum facile, imo suave ipsi factum sit: *Quam suave, inquit, mihi subito factum est, carere vanitatis nugurum! Quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat* (Aug. Conf. 9, 1). O indurate peccator, conversionem tuam ut impossibilem inspicis? Putasne tibi impossibile fore abstinere a vitiis, quibus tanta cum voluptate adhæres? Et certe hoc sine Dei gratia non potes; ergo ora, frequenter ora, dabitque tibi Deus gratiam, qua possibile fiet, quod tibi impossibile videbatur. Novit Deus cordis duritiam emollire, duos hominum animos lenire scit; quando illi placet, aufert cor lapidem, et carneum dat; nullusque peccator ita in malo obfirmatus, quem Deus convertere nequeat; ad hoc vero precibus et obsecrationibus allici vult; igitur ora sicut Augustinus et ad Deum converteris sicut Augustinus, D. Chrysostomus, et Theodori lapsi et fere indurati animum flecteret, et ad non desperandum de Dei misericordia excitaret, dixit: *O frater, si caecodemon tantum potuit, ut te a veritate illo et fastigio virtutis in extremum malitiae detruderet, multo magis Deus in pristinam te poterit vindicare libertatem; neque in eam solum, sed in multo feliciorum perducere poterit, quam prior fuit* (ep. 5 ad Theod.). Hisdem Chrysostomi verbis, o indurate peccator, ad te monendum utar, dicamque tibi: cave ne de salute desperes; Deus enim, cujus potestas infinita et bonitas ineffabilis, cordis tui duritiam tollere, te in filiorum libertatem vocare, teque totum immutare potest. Quod haud dubie faciet, si eum frequenter et ferventer ores instar Augustini, qui cum se dura voluptatum et errorum consuetudine irretitum conspexisset, ad Deum confugit, ipsius misericordiam lacrymis et precibus multis imploravit, et hac ratione morum conversionem et eximiam sanctitatem a Deo obtinuit. Ora ergo, frequenter et ferventer ora ut ad Deum convertaris. Ad haec

ut ad morum conversionem facillius adducaris, *novissima tua serio meditare.*

3. O miserrime peccator, redi ad cor, intra animæ tuæ domum, et serio recogita, quod brevi tempore, hoc anno et hodie forsitan morieris, pariterque divitiis, honores, delicias, et quidquid te mundo agglutinat, relinques. Quid, quaeso, tunc tibi proderit divitiis abundasse, obscenis te dedisse voluptatibus, demoni et carni placuisse? Quid tibi tunc supererit, nisi dolor de præterito, timor de futuro, et forte salutis desperatio? Cogita adhuc, o infelix peccator, tremendum Dei iudicium ad quod vocaberis et in quo tremens adstabis coram Iudice, qui omnia tua dinumeravit scelera: qui quæcumque in corda tuo latent, clara cognoscit, et qui diram adversus te sententiam dicet, si peccatis non valedicas et mores non immutes. Perpende, apage, ineffabilia paradisi gaudia, quæ præparavit Deus diligentibus se. Considera, quanta suavitate, quanta pace, quanta læticia adimpleberis si illic pertingas; quam vero durum et importabile, si paradisi fores tibi claudentur, et pro modico lucro ac pro transitoria voluptate infinita et æterna paradisi bona perdidideris. Mente tandem revolve horrenda, gravissima et æterna inferni supplicia, quibus addiceris, si ad Deum non converteris. Recogita immensos illos ponarum thesauros, quos propter tuam duritiam et impenitentiam in inferno tibi coarcevas: *Secundum duritiam tuam et impenitentem cor thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis iusti iudicii Dei. Præfata omnia si serio mediteris ad Deum hand dubie confuges, ejus auxilium implorabis, quo mediante tua detestaberis crimina, et ad Deum converteris. Hæc sunt novissima, quorum meditatione indurati quique peccatores ad morum mutationem, et ad veram conversionem adducuntur. Sic enim dicit Sapiens: Memorare novissima tua, et in ceteram non peccabis (Ecc. 7, 40): dicam similiter, memorare sæpe novissima tua, et quantumvis obduratus sis, a peccatis resurges, et ad Deum converteris. Dei ergo verbum frequenter audi, orationis exercitio sedulo incumbere, novissima serio meditare, et profecto emolietur cor tuum, peccatis valedices, ad Deum converteris, et æternam beatitudinem consequeris. Amen.*

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

DE CHRISTI JACTURA.

Pater tuus et ego dolentes quærebamus te (Luc. 2, 48).

Postquam beatissima Virgo ex Ægypto rediit, simul cum sanctissimo Sponso Joseph devotionis causa Jerosolymam perrexit, quo Christum dilectum Filium duxerunt pii parentes, ibique solemne Paschatis festum septem diebus celebrarunt. Quibus expletis, cum redirent et Jerusalem in Nazareth, ab iis clam se subripuit Christus, et in urbe Jerosolyma remansit, ut ibi aliquem divinitatis et infinitæ sapientiæ suæ radiolum diffunderet, atque ibi quæ paternæ voluntatis erant, adimpleret: *In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse (Luc. 2).* Quanto ex Christi amissione affecti fuerint dolore Joseph et Maria, capere non valemus: scimus solummodo, quod dolentes illum sollicitè quæsierint: *dolentes quærebamus te;* quodque illum ita quæsierint, ut tandem illum invenerint: *post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio docturum.* Ecce quid hodiernum narret evangelium, ex quo discere possunt parentes, quod segnes esse non debeant in educandis filiis, et in eis ad pietatis opera excitandis, exemplo Joseph et Mariæ, qui Christum Filium ad solemne festum duxerunt. Ex hoc etiam discere possent omnes, quod cuncta sint relinquenda, ut opus Dei suo tempore agatur exemplo Christi, qui parentes, quos summe diligebat et venerabatur, reliquit, ut ea ageret quæ æterni Patris erant. Præclara alia ex hoc evangelio alicui possent documenta: quia vero pene totum est de Christo, quem parentes perdididerunt, inde sumam occasionem dicendi de iis qui Christum in ipsorum corde per gratiam suam inhabitantem infeliciter perdunt. Ave.

Cum Joseph et Maria Christum in civitatem sanctam Jerusalem duxissent, ibique cum illo aliquot diebus remansissent, eum perdidit, quassierunt et invenerunt. Eum perdidit; illis namque ad propria redeuntibus clam ipse se subtraxit et in urbe Jerosolyma remansit; *remansit puer Jesus in Jerusalem, requirentes eum*. Ita tandem quassierunt eum, ut illum in medio doctorum sedentem invenerint; *invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum*. Norunt omnes Christum Dominum in vobis esse, et in vobis per gratiam suam manere, quamdiu per adveniēns aliquid grave peccatum a vobis eum non expellimus. Jamvero heu! quot divinum hunc hospitem perdunt, et ab animabus suis expellunt per peccata lethalia quae perpetrāt? Hujusmodi miserorum, qui Christum amittunt et a se abiciunt, numerus sane est sine numero. Utinam infelices isti, qui Christum perdidit, illum sollicite quaerant, ac ita quaerant, ut inveniant. Ad quod agendum ut alliciamus, videbimus 1. quam facile perdat Christus; 2. quam miseri sint qui illum amiserunt; 3. quid agendam, ut illum inveniant.

I PARS.

Quam facile perditur Christus.

Antequam in caelum ascenderet Christus, se nobiscum usque ad mundi finem mansurum pollicitus est; *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi* (Matth.). Nobiscum sane semper est Christus in sanctissimo Eucharistiae sacramento, ubi a fidelibus adoratur et sumitur; nobiscum etiam est usque ad saeculi consummationem per auxilia quibus non fovet, et per innumera beneficia quibus non afficit. Speciali quodam modo manet cum hominibus justis, per gratiam scilicet habitalem et sanctificantem, qua in iis habitat et permanet, donec super-

veniat peccatum mortale, quo perditur Christus, et ab hominibus justis anima protinus discedit. Hanc enim sibi legem posuit Salvator, quod hominem nunquam desereret, nisi prius ab illo desereretur; quodque mox ut homo illum desereret declinando in mortalia peccata, ipse illum desereret et in eo per gratiam suam habitare desineret. O frater, tunc Christum perdis, cum in mortale peccatum laberis; exinde intelligis quam facile perdat Christus; eadem nempe facilitate qua quis peccato mortali delinquit; cum igitur nil facilius sit, quam labi in mortale peccatum (1), ita nihil facilius quam Christum perdere. Omnibus notum est virtutem in arduo positam, nec posse quemquam ad altiores virtutum gradus conscendere, nisi vim sibi in multis et diu faciat. Difficillimum est se in omnibus humiliare, injurias condonare, inimicos diligere, gravia patienter tolerare et quamlibet aliam virtutem sedulo sectari; e contra nil facilius, quam ad gravia quaevis peccata declinare. Quid enim facilius, quam prava cuidam cogitationi consensus praebere? Quid facilius quam mulierem concupiscere? Quid facilius quam blasphemum aliquid verbum proferre, vel aliud quoddam mortale peccatum perpetrare? Certe nil facilius, quia daemon, proclivis ad malum natura, inordinati passionum motus, divitiae, voluptates, pravorum hominum consortia et omnes fere creaturae factae sunt in *musiculam pedibus insipientium* (Sap. 14) (2), et homines ad

(1) Haec nimis generatim dicta videntur: quamvis enim cor unum etiam iustorum magna inconstantia laboret nec quisquam propter diuturnam virtutis exercitationem securitatem polliceri sibi debeat, id tamen raro contingit, ut qui recte agendi consuetudine velut aliam naturam induit, quo malum summo opere aversatur, et timere Domini ita concutitur omnia viscera ejus ut ad nomen peccati paveat, facillime labatur in lethale peccatum, et Christum suo e corde expellat. N. E.

(2) Ex hoc divino oraculo patet quod supra adnotavi, nimirum non quolibet, sed insipientes, qui dicuntur vanitate sensus sui, nullo negotio impingere, eiusque omnes creaturas in scandalum verti; non item sapientias, qui spiritu Dei aguntur: secus non fuisset Apostolus administras, fideles Galatas tam cito deceptos a falsis doctoribus et a recta vivendi forma abductos: *miror quod sic*

gravia peccata sæpissime inclinant. Nil ergo facilius, quam mortaliter peccare, nil etiam facilius, quam Christum perdere, quia adveniente vel unico mortali peccato, Christus perditur, et in hominis justi anima per gratiam suam habitare desinit. Nulla virtus est rarior perseverantia: nemo illam mereri potest et semper est donum Dei omnino gratuitum, quod facillime perditur: *tum* quia homo ex natura sua est inconstans, debilis et ad malum proclivis; *tum* quia dæmon soli justorum perseverantiae totis semper constitibus insidiatur; *tum* quia ipse Deus hoc sepe dono hominem privat, vel solum ob teporem et neglectas aliquas gratias, ob quarum negligentiam illum non perseverare et in mortalia cadere permittit. Ideo cum facile perdatur perseverantia donum, facile etiam perditur Christus qui tandem solum in homine remanet, quando in statu gratiæ perseverat. Ex jam dictis sole clarius est, homini facillimum esse Christum perdere: quam facilitatem Christum perdeudi aliunde adhuc auspice, ab infelici scilicet angelorum casu, quem cum mente revolve, a vero abesse non puto dicans, nihil hominibus facilius, quam in mortalia cadere, ac proinde nil eis facilius, quam Christum Dominum perdere. Nostis quanta scientia et pulchritudine, quanta nobilitate et fortitudine, quotque mirandis aliis donis in creatura sua a Deo ditati sint coelestes illi spiritus: nostis etiam, quod pretiosum gratiæ sanctificantis donum a Deo acceperint, quodque *in iis Deus erat simul condens naturam et largiens gratiam*. Verum, proh dolor! multi ex angelis ita facile gratiam perdidērunt, ut vix duobus aut tribus instantibus in statu gratiæ perseveraverint. Hen! si angeli, qui hominibus longe nobiliores, sapientiores, digniores et constantiores erant, tanta facilitate a statu gratiæ declinarint, et Deum a se per peccata expulerint; quanto facilius homini infirmo,

tum cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium (ad Gal. 1); quod adnotate oportet, ne fideles nimium terreantur, si prout dixerit auctor, plus sequo urgeatur hæc magna facilitas Dei gratiam amittendi.

N. E.

ignaro et inconstanti in mortalia cadere, et Christum a se expellere! Certe nil hoc ipsi facilius vel potius ipsi difficillimum est, quod Christum non perdat et per adveniens aliquod mortale peccatum a se non expellat. Ab angelis ad protoparentes pergo. Istorum deploro casum, et ex casu eorum recte infero, nihil aliis hominibus facilius quam in mortalia cadere et Christum perdere. Primis illis parentibus prohibuerat Deus, ne de ligno scientiæ boni et mali comederent: Eva autem fructum arboris scientiæ boni et mali intuita, pulchritudinem ejus admirata est, ac tandem, suadente tartareo serpente, de fructu vetito comedens, peccavit mortaliter, et sic gratiam sanctificantem, Deumque suum perdidit. Adam vero audivit Evam suadentem, ut de eodem fructu comederet; mulieris suasionibus facile annuit, et de fructu vetito comedens, Dei præceptum violavit, et sic accepta a Deo pretiosissima justitiæ originalis et gratiæ sanctificantis dona, unius pomi morsu et comestione perdidit. Ecce quam facile gratiam sanctificantem perdidērunt Adam et Eva: ecce etiam quam facile illam perdere solent alii homines. Sciunt, nil in hoc mundo gratia sanctificante pretiosius: probe norunt unicum hujus gratiæ gradum majoris esse pretii et valoris, quam terrens omnia; eam tamen perdunt momentanea voluptate carnali, iniquo alicujus pecuniolæ lucro, pravo inordinata concupiscentiæ desiderio, uno detractionis verbo, et quasi pro uno pomo. O quam facile gratiam perdidērunt primi parentes! quam facile gratiam et Christum perdunt eorum poster! Ex omnibus Adæ posteris, unicus in exemplum nobis sit vates regis. Videamus quam facile sanctus ille propheta gratiam perdidit: *Perambulabam*, inquit, *in innocentia cordis mei, non cogitabam rem injustam* (Ps. 100); cum autem in cordis sui innocentia perambularet propheta, nilque mali cogitaret, vidit mulierem levantem se. Vidit illam, et quia nimis attente eam, aspexit eam; deinde concupivit, adulterio postea illam fornavit; ac tandem ab adulterio cum muliere perpetrato, ad mariti ejus homicidium declinavit. En quam facile gratiam perdidit David: en quam facile a statu gratiæ ad statum peccati migraverit: et ecce itidem, quam facile homines

gratiam et Deum suum perdant. Aliqui transeunt nil mali cogitantes, et transeundo nimis curiose aliquam vident mulierem, pulchritudinem ejus admirantur, ac tandem eam luxuriose concupiscunt; ecce peccatum mortale, ecce gratiam perditam. Alii mulierum consortio nonnunquam se immisceant, tum pietatis, tum honeste recreationis, tum societatis civilis causa, et licet tunc nil minus quam peccare cogitent; quia tamen frequentius cum hisdem versantur et colloquia miscent, suadente diabolo, earum aspectu delectari incipiunt, fœdæ cogitationes imaginatione et intellectum conturbant, ac tandem veneræe cuidam cogitationi voluntas assentitur, et sic mortale peccatum committitur, gratiaque sanctificans misera perditur. His et aliis innumeris experimentis certo constat, nil homini facilius quam in mortalia cadere; ac proinde nil ei facilius quam gratiam sanctificantem et Christum perdere. Hanc ergo tam facilem Christi jacturam timere quisque debet, atque summo studio cavere ne eum perdat sive ne per adveniens aliquod lethale peccatum a se expellat. O frater, si in statu gratiæ sis, et Christum per gratiam suam possideas, time ne cadas, time ne a statu gratiæ descidas et Christum perdas; *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (S. Paul. 1 Cor. 10). Hoc sane timore anxianti et confugi debent justorum quorumcumque corda, quia nemo tam justus et tam perfectus, qui in gravi crimina cadere et Christum perdere facillime non possit. Timete ergo justi: cum timore et tremore salutem vestram operamini, ac ita timete, ut maximâ cura et sollicitudine caveatis, ne in lethalia incidatis. *Qui pavet, cavet*, inquit Bernardus; quare ita pavete, ut caveatis. Cavete ab omni quod ad lethalia vos inclinare potest, cavete ne cum his loquamini personis, ne illa adeatis loca et ne his occasionibus vos exponatis in quibus grave adest periculum gratiam et Christum perdendi. Hæc cavete, quia facile perditur Christus; *ac etiam quia miseri sunt qui Christum perdiderunt.*

H PARS.

Quam miseri sunt, qui Christum perdiderunt.

Babylonem summa sollicitudine a vitiis, quibus scatebat, purgare et ad morum mutationem adducere conatus erat Jeremias propheta; videns autem suos omnes inutiles esse labores, miseramque hanc urbem ad pejora semper declinare, ab ea discedere, eamque derelinquere statuit: *Curavius Babylonem, et non est sanata; derelinquamus eam* (Jerem. 51). Quid simile egit Christus Salvator respectu Judæorum; cum enim verbis, exemplis, miraculis omnibusque modis eos a vitiis, quibus scatebant, avocare pertentasset, ac videret pro illis tempus laboremque in cassum torere, ab eis discessit, dicens: *Vado ad eum qui me misit. Quæretis me et non invenietis* (Joan. 7, 33). Quis infelices non censeat Judæos ob Christi Salvatoris discessum? Quis eos miseros non credat, eo quod perdat Deum suum, redemptorem et benefactorem suum, a quo innumera perceperant beneficia? Quis pariter illos non dicat miserimos, qui in mortalia peccata incidunt? Nonne isti Christum a se expellunt? Nonne Christum, qui in ipsis per gratiam sanctificantem habitabat, infeliciter amittunt? Antea Christus Dominus, Christus creator, Christus summus eorum benefactor in iis erat caritate et gratia; graviter autem delinquentes eum a se expellunt, eum amittunt, ipsoque instanti, quo prava voluntate malum amplectuntur, a gratia divina deseruntur. O quam magna hæc est jactura; o quam miseri, qui tantam jacturam faciunt! Quærebant olim philosophi, quod ex malis, in quæ homo incurrere poterat, gravissimum esset et maximum. Dixerunt nonnulli, malum nullum paupertate gravius, quia mox ut pauper quis efficitur, omnibus subditur, ab omnibus despicietur ac deliciis, gaudiis, necnon cunctis ad hominum solatium datis, privatur. Alii captivitatem, omnium malorum pessimum et dirissimum censuerunt, quia captivi-

tate tollitur libertas, qua nil optabilius, nil pretiosius: *Nec bene pro toto libertas venditur auro*. Rectius iudicasse videtur philosophorum princeps, cum dixit nullum malum morte acerbius et pejus, quia adveniente morte, privatur homo divitiis, honoribus, deliciis et dignitatibus, nec est aliquid quod homo magis quam mortem reformidet: *Omnium terribilium terribilissimum mors* (Arist. 1 Eth.). Hi philosophorum ethnicorum more ratiocinabantur. Si vero tanquam christiani, atque viri fidei divine radius illustrati, inquiramus quod ex malis, quae homini in hoc mundo accidere possunt, sit maximum, nullum meo quidem iudicio, majus ei evenire potest, quam quod Christi absentiam et jacturam patiar, quodque Christum, qui omnium est origo honorum, a se per peccatum expellat et perdat. Sicut enim sublinatibus et sensu carentibus creaturis nil magis noxium contingit, quam quod priventur solis lumine et influxu; ita et homini nullum majus in hoc mundo imminet malum, quam quod Christo, justitiae et gratiae sole privetur. Sicut etiam si sol in mundo lucere desineret, sterilis fieret terra, arescerent arbores et plante, fetris omnia involverentur tenebris, omnisque creaturarum decor et virtus periret; ita cum Christus justitiae sol ab anima discedit, operibus meritorum haec arida remanet, spirituali privatur vita, ad producendam quodcumque opus aeternae gloriae dignum inepta fit; et omnem, quem a divina gratia habebat, decorem infeliciter amittit. Et ideo miseri et miserissimi sunt, qui per peccata Christum a se expellunt et amittunt. Cum Jacob e domo socii sui Laban clam cum uxore sua Rachel et filiis suis aufragisset, Laban assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem et comprehendit eum in monte Galaad: cumque illum consecutus fuisset, illi tribus de rebus conquestus est. Prima est, quod clam abierit: *Cur ignorante me fugere voluisti?* (Gen 31). Secunda, quod non sibi tempus et facultatem dederit osculandi filios: *Non es passus ut oscularer filios et filias*. Tertia et maxima socii fuit querela, quod Jacob idola ejus furatus sit et abstulerit; se miserum existimans, eo quod idola perdidit: *Cur furatus es deos meos?*

Quid simile in libro Judicum (c. 18) legimus de quodam idololatra, nomine Michas: cum enim ab ejus domo simul cum idolis multa pretiosa fures abstulissent, ipse clamans eus secutus est. Fures autem respicientes Micham, dixerunt ei: cur clamas? Qui respondit: *Deos meos tulistis et dicitis: quid tibi est?* Quasi dicat: nocere mihi magis non potuistis, quam cum deos meos tulistis; nihil mihi gravius accidere potuit: et ideo clamo et gemitus effundo, me miserimum existimans, cum deos meos perdidit. Heu! si Laban, Michas et alii nonnulli viri idololatrae se miseros arbitrentur, eo quod idola et deos inanes perdidit; quanto miseres habendi qui incidentes in mortale peccatum, Christum Mariae Filium, aeterno Patri consubstantialem, caelique et terrae dominatorem amittunt et a se expellunt? Tanta quidem eorum est miseria, ut vix explicari possit. Cum mente revolve miseriam et infelicitatem personae unius, quae Christum, seu Christi gratiam amisit; mihi videre videor prodigum illum filium qui a paterna domo discessit, Essu qui primogeniture jura amisit, Adamum qui a paradiso terrestri expulsus est; vel aliquem ex angelis illis apostatis, qui paratum sibi coeleste regnum perdidit. Nec tamen haec mihi satis exprimunt praegravam miseriam eorum qui Christum, seu ejus gratiam amiserunt. Majorem et veriore miseriam illorum ideam habere videor, cum eos inspicio ut sarmenta a vite separata. Quid enim sarmentum, si a stipte sejungatur? Estne utile ad aliud vas, vel ad aliquam statum conficiendam? Ad nihil sane est utile, quam ad comburendum. Quando sarmentum viti jungitur, suaves et utiles producit fructus; a vite separatum ad nihil aliud utile et aptum est, quam ut comburatur. Unde praecclare dixit Augustinus, sarmentum debere esse, aut in vite, aut in igne; quod si in vite non sit, in igne esse debet: *Si in vite non est, in igne erit* (Tr. 81 in Joan.). Ecce aliquam miseriam eorum qui Christum amiserunt, imaginem: Christus enim est vitis vera et homines sunt palmites. Quamdiu autem homines Christo per gratiam juncti manent, mirabiles et aeternae gloriae dignos edunt fructus; postquam vero mortali aliquo peccato Christum amiserunt, heu infelices! aeterno so-

lummodo igni apti videntur. Non manentes in vite, debent esse in igne, et in igne aeterno erunt, nisi respiciant, et a misero suo statu resurgant. O miseriarum abyssus, qua mergantur hujusmodi homines! Equidem quandiu in hoc mundo vivunt suam non sentiunt miseriam, seque miseros non arbitrantur; mihi enim similes videntur puero in cunis existenti, quem tyrannus aliquis regno spoliavit. Quandiu hic puer usu rationis caret, nullo modo curat de jactura quam fecit: neque ideo flet, vel turbatur. Provecior aetate factus agnoscit quae et quanta sint bona quibus spoliatus fuit, et tunc flet, gemit, turbatur, ac saepe morore conficitur. Sic plerique peccatorum, qui eriminibus suis Christum a se expulerunt, quandiu in hoc mundo vivunt, quasi pauci rationis usu carentes non cognoscunt quam gravis, quamque exitiosa sit jactura quam fecerunt. Aliquando in inferno jacentes aperientur oculi eorum, ut videant: tunc cognoscent, quam amarum sit dereliquisse Dominum Deum suum; tuncque agnoscentes, quam gravis fuerit jactura quam in hoc mundo fecerant, lachrymabuntur, ingemiscunt, dentibusque suis frement et tabescent. Tunc autem, o peccatores, vani et inutiles erunt fletus vestri: in praesens ergo vestram noscite et dessete infelicitatem, et si lethali aliquo peccato Christi gratiam amiseritis, Christumque perdidistis, dum in hoc mundo vivitis, eum quaerite, ac ita quaerite, ut illum inveniat. Ad quod perficiendum videamus quid agere debeatis, ut Christum inveniat.

III PARS.

*Quid agere debeant qui Christum perdidierunt,
ut illum inveniant.*

Deseruit vos Christus, o peccatores, quia illum deserastis. Deseruit vos, cum in mortale peccatum lapsi estis, non tamen ita vos deseruit, ut illum invenire, illumque ad vos per gratiam suam revocare non valeatis. Eum quidem invenire potestis; ut

autem eum inveniat, quaerendus est tempore, loco et modo quo quaeri debet. Multi, inquit S. Bernardus, ex his qui Deum quaerunt, eum non inveniunt: *aut quia non quaerunt quando oportet, aut quia non quaerunt ubi oportet, aut quia non quaerunt sicut oportet.* Ex quibus melliflui Doctoris verbis facile colligitur quid faciendum ut inveniat Christus: ut enim illum inveniant peccatores, quaerere debent 1. quando oportet; 2. ubi oportet; 3. sicut oportet.

1. Est aliquid tempus, in quo Deus inveniri potest, et est aliquid tempus, in quo inveniri nequit, et ideo hortatur nos Isaias propheta, ut Deum quaeramus eo tempore quo inveniri potest. *Quaerite Dominum, dum inveniri potest.* Quod est illud tempus, in quo Deus inveniri potest? Totum sane hujus vitae tempus; quandiu enim in hoc mundo vivit peccator, Deo reconciliari potest, illumque invenire. Si ante mortem Deum peccator non invenierit, post mortem illum non inveniet; nec enim tempus erit amplius, quo illum invenire possit. Dum hic in terris moratur peccator, ad Deum redire, illumque invenire potest, quia totum hujus vitae tempus, est tempus gratiae et misericordiae. Nec tempore Deus a peccatore inveniri potest, non tamen tota hac vita ab eo facile invenitur. Absolute loquendo, peccator quantumvis induratus, quantumvis obsecratus Deum toto vitae suae tempore invenire potest; imo et fieri potest, ut Deum vitae suae termino inveniat, qui reliquo vitae tempore per aliquid lethale peccatum ab eo fuit separatus; hoc vero facile non fit, hoc raro fit, hoc fere nunquam fit. Et ideo peccatori non parva timendi ratio, si usque ad senectam, vel usque ad vitae exitum, Deum quaerere differat; tunc enim non facile invenitur: Sive ut convenientius loquar, tunc fere nunquam invenitur. Audite quomodo loquatur Deus: *Qui mane, inquit, vigilant ad me, invenient me* (Prov. 8, 17). Non ait, qui usque ad senectam, vel usque ad ultimum vitae terminum me quaerere differant, tunc invenient me; tunc ad eos veniam per gratiam meam, ut illos justificem, illosque aeterna gloria dignos efficiam. Econtra ait: *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Seu, qui in juven-

tute, vel mox post perpetratum peccatum quærent me, inveniunt me. Sic loquitur Deus; quia ab istis facile invenitur, non autem ab iis qui eum quærere differunt. O infelix homo, postquam in lethale aliquod peccatum occidisti, in eo obdormis, de Deo mox quærendo non curas: cum insennero, inquis, vel cum mortis tempus appropinquaverit, tunc revertar ad Dominum Deum meum; tunc Deum sollicite inquiram, illumque infallibiliter inveniam. Verum est, quod illum tunc invenire possis; at pro certo teneas quod tunc illum haud invenies, quia ultima hora quam difficillime inveniri solet. Itaque *ne tardes converti ad Dominum*; post commissum peccatum eum cito quære. Hoc est tempus, in quo quærendus est. *Jamvero ubi quærendus?*

2. Non est quærendus inter cognatos et notes: quia ibi eum non invenerunt Joseph, et Maria. Unde præclare dixit Sanctus Bernardus: *Quomodo te, bone Jesu, inter cognatos meos inveniam, qui inter tuos minime es inventus?* Ubi ergo quærendus Christus? Non in plateis, non in cauponis, non in locis profanis; non enim ibi invenitur Christus. Sicut inquit Doctor Seraphicus, crux non quæritur in ara porcorum, nec sacerdos in spelunca latronum: ita Christus non quærendus in locis profanis. Ubi ergo quærendus Salvator? Ibi quærendus, ubi a Maria et Joseph inventus est. Dicit sacer Textus: *Post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum.* Vis Christum invenire? Ne adeas hunc et illum locum, in quibus enim per peccata tua perdere consuevisti; ad templum, ad doctores et confessarios, ibique eum invenies. Christus a parentibus inventus est, sedens in medio doctorum, et quasi humilis discipulus, audiens et interrogans illos: *Audientem illos et interrogantem eos.* Vis Christum, quem perdidisti, invenire? Vade in templum: ito ad doctores et peritos confessarios: dic illis qua ratione Christum peccando perdidisti; audi quid consilii tibi dare dignabuntur; fac quod dicent, et eum invenies. Cum sponsam nec in lectulo, nec in plateis invenisset sponsa sacra, interrogavit vigiles qui custodiebant

civitatem, dicens: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* (Cant. 3, 3). Mox autem ut illos interrogavit, eum invenit: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Vis tu invenire Christum? Quære illum inter vigiles, seu inter pastores et confessarios, qui animarum saluti invigilare solent. Hos oportet adeas, eorumque stes consilio, ut Christum invenias. Ecce ubi quærendus: Christus: *quomodo vero quærendus?*

3. Ubi primum sanctissima Virgo se charissimum filium perdidisse perspexit, illum magno cum cordis dolore quæsivit: *Dolentes querebamus te.* Etsi sine ulla sua culpa eum perdidisset, eum tamen cum fletibus et lacrymis toto triduo quæsivit: quo edocetur quonam modo Christum quærere debeamus, ut illum inveniamus: eum siquidem quærere debemus *dolentes*, et vere penitentiam lacrymas fundentes. Cum enim per mortale peccatum amittatur Christus, penitentiam gladio eneandum est peccatum, et invenietur Christus. Christi inventioni solum obstat peccatum; et ideo si peccatum perimas, Christum invenies, peccatum autem perimes, si veram penitentiam agas: quære ergo Christum per penitentiam, quære in amaritudine anime tue, et illum invenies: *Invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione anime tue* (Deut. 4, 29). Via qua ad Deum iunus, et qua Deus ad nos venit, est in mari: *In mari via tua et semita tua in aquis multis* (Ps. 76). Illa via qua ad Deum pergitus et qua Deus ad nos venit, est in mari penitentiae: quia cum per penitentiam peccata delimus, ad Deum iunus, et Deus ad nos venit, et sic per penitentiam Christum invenimus. Quod nobis figuratum est in hoc quod Joseph et Maria Christum invenerunt *post triduum*, est enim in penitentia quoddam triduum et quedam via trium dierum, quam si sequamur, Christum infallibiliter invenimus. Hæc autem trium dierum via, quæ in penitentia reperitur, est via contritionis, confessionis et satisfactionis. Si Christum peccato aliquo mortali perdidisti, doleas de perpetrato peccato, confitere illud, per veræ satisfactionis opera Deo et proximo redde quod debes, et Christum Dominum tuum invenies, illoque in te per

gratiam suam inhabitante gaudebis. O quam felix eris, si Creatorem tuum, Salvatorem tuum et animæ tuæ sponsum invenias! Gavisa est sponsa cum sponsum invenit; gavissa est et Maria cum dilectum filium invenit; gaudet et tu si Christum invenire valeas: diem conversionis tuæ, in quo Christum invenies, inter dies lætitiæ et felicitatis tuæ annumera. Si vero tanta gaudeas felicitate, ut Christum invenias, tene eum, nec amplius illum a te per peccata tua expellas. Postquam sponsa sacra sponsum invenit, tenuit illum, nec usquam amplius illum dimisit: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam* (Cant. 3, 4). Postquam etiam Maria Christum reperit, tenuit illum, nec illum iterum perdidisse scimus. Sic tu, si Christum invenire merearis, tene illum, nec illum usquam a te peccatis tuis expellas; parum enim tibi prodesset eum multo labore quesivisse et invenisse, si rursus eum perderes. Imo, si eum rursus perderes, forte nusquam amplius eum invenires: preoccupatus enim morte, spatium poenitentiae forte invenire non posses. Si ergo inveneris, tene eum, custodi illum fugiendo occasiones peccatorum, obserando mentem seriis propositis et recipiendo sæpe poenitentiae et eucharistiae sacramenta. Tene eum, donec introducat te in æterna tabernacula. Amen.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM

DE EBRIETATE.

Vinum non habent (Ioan. 2, 3).

Si ab ebriosis, ventrique deditis hominibus petamus, quid de vino sentiant, in ejus elegia facile prorumpent, innumeras ad ejus laudem cantilenas component; cumque illud inspiciant veluti Deum, ad quem vota sua dirigunt, nil illo amabilius,

nil pretiosius, nilque excellentius esse dicent. Verum quidem, quod vinum sit creatura nobilis: quod sit liquor palato et gustui gratissimus; quodque, si moderate sumatur, acquirenda et conservanda valetudini non parum prosit. Cum vero immoderate bibitur, rationem perturbat, de rationali homine brutum animal efficit, sapientes quosque risui et omnium contemptui obijcit, ad luxuriam provocat, innumeraque mala et vitia parurit. Mea mentis non est vini usum damnare, sed abusum, seu ebrietatem; cui vitanda et detestanda summa cura invigilare debent fideles, ac potissimum attendant oportet: *Attendite vobis, ne forte graveatur corda vestra in crapula et ebrietate* (Luc. 21). In nuptiis, quibus adesse dignatur Christus, vinum deficit: *Vinum non habent*. Perpendite, quod in iis non deficiant mens et ratio ob ebrietatem et nimiam vini sumptionem, verum quod deficiat vinum. Cavete similiter in convivii vestris non tam a defectu vini, quam a defectu rationis ob nimiam vini potationem; a nimio abstinete vino; mentes et corda vestra non graveatur ebrietate, quæ, ut jam videbimus, maligna malorum multorum parans et mater est. Ave.

Omnium hominum corda variis sunt concitata et sæpe conturbata desideriis, ideoque ut monet S. Bernardus, quilibet homo, non secus ac Daniel, vocari potest *vir desideriorum*. Viri quidam desideriorum sunt plerique hominum, eorumque desideria plerumque divitias, sanitatem et sanctitatem spectant et ad illa diriguntur. *Divitias* quidem optant multi, ut paupertatis incommoda devitent, et ut in hoc mundo feliciter vivant. *Sanitatem* plures cupiunt, tanquam bonum omnibus optabile, sine quo alta temporalia bona nihil sunt, nihilque prosunt. *Sanctitatem* plurimi desiderant, ut Deo placentes æterna felicitate aliquando frui mereantur. O quam felices, qui in hoc mundo et divites, et sani, et sancti sunt! E converso quam horrendum monstrum est ebrietas, quæ ab homine divitias, sanitatem et sanctitatem tollit! Ebrietas enim est mater paupertatis, infirmitatum et vitiorum: *est mater paupertatis*, quia homines ad egestatem redigit; *est mater infirmitatum*, quia homines infirmitatibus conficit; *est mater vitiorum*, quia homines ad

gratiam suam inhabitante gaudebis. O quam felix eris, si Creatorem tuum, Salvatorem tuum et animæ tuæ sponsum invenias! Gavisa est sponsa cum sponsum invenit; gavissa est et Maria cum dilectum filium invenit; gaudet et tu si Christum invenire valeas: diem conversionis tuæ, in quo Christum invenies, inter dies lætitiæ et felicitatis tuæ annumera. Si vero tanta gaudeas felicitate, ut Christum invenias, tene eum, nec amplius illum a te per peccata tua expellas. Postquam sponsa sacra sponsum invenit, tenuit illum, nec usquam amplius illum dimisit: *Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam* (Cant. 3, 4). Postquam etiam Maria Christum reperit, tenuit illum, nec illum iterum perdidisse scimus. Sic tu, si Christum invenire merearis, tene illum, nec illum usquam a te peccatis tuis expellas; parum enim tibi prodesset eum multo labore quesivisse et invenisse, si rursus eum perderes. Imo, si eum rursus perderes, forte nusquam amplius eum invenires: preoccupatus enim morte, spatium poenitentiae forte invenire non posses. Si ergo inveneris, tene eum, custodi illum fugiendo occasiones peccatorum, obserando mentem seriis propositis et recipiendo sæpe poenitentiae et eucharistiae sacramenta. Tene eum, donec introducat te in æterna tabernacula. Amen.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM

DE EBRIETATE.

Vinum non habent (Ioan. 2, 3).

Si ab ebriosis, ventrique deditis hominibus petamus, quid de vino sentiant, in ejus elegia facile prorumpent, innumeras ad ejus laudem cantilenas component; cumque illud inspiciant veluti Deum, ad quem vota sua dirigunt, nil illo amabilius,

nil pretiosius, nilque excellentius esse dicent. Verum quidem, quod vinum sit creatura nobilis: quod sit liquor palato et gustui gratissimus; quodque, si moderate sumatur, acquirenda et conservanda valetudini non parum prosit. Cum vero immoderate bibitur, rationem perturbat, de rationali homine brutum animal efficit, sapientes quosque risui et omnium contemptui obijcit, ad luxuriam provocat, innumeraque mala et vitia paritur. Mea mentis non est vini usum damnare, sed abusum, seu ebrietatem; cui vitanda et detestanda summa cura invigilare debent fideles, ac potissimum attendant oportet: *Attendite vobis, ne forte graveatur corda vestra in crapula et ebrietate* (Luc. 21). In nuptiis, quibus adesse dignatur Christus, vinum deficit: *Vinum non habent*. Perpendite, quod in iis non deficiant mens et ratio ob ebrietatem et nimiam vini sumptionem, verum quod deficiat vinum. Cavete similiter in convivii vestris non tam a defectu vini, quam a defectu rationis ob nimiam vini potationem; a nimio abstinete vino; mentes et corda vestra non graveatur ebrietate, quæ, ut jam videbimus, maligna malorum multorum parans et mater est. Ave.

Omnium hominum corda variis sunt concitata et sæpe conturbata desideriis, ideoque ut monet S. Bernardus, quilibet homo, non secus ac Daniel, vocari potest *vir desideriorum*. Viri quidam desideriorum sunt plerique hominum, eorumque desideria plerumque divitias, sanitatem et sanctitatem spectant et ad illa diriguntur. *Divitias* quidem optant multi, ut paupertatis incommoda devitent, et ut in hoc mundo feliciter vivant. *Sanitatem* plures cupiunt, tanquam bonum omnibus optabile, sine quo alta temporalia bona nihil sunt, nihilque prosunt. *Sanctitatem* plurimi desiderant, ut Deo placentes æterna felicitate aliquando frui mereantur. O quam felices, qui in hoc mundo et divites, et sani, et sancti sunt! E converso quam horrendum monstrum est ebrietas, quæ ab homine divitias, sanitatem et sanctitatem tollit! Ebrietas enim est mater paupertatis, infirmitatum et vitiorum: *est mater paupertatis*, quia homines ad egestatem redigit; *est mater infirmitatum*, quia homines infirmitatibus conficit; *est mater vitiorum*, quia homines ad

multa crimina trahit. Ebrietas est 1. mater paupertatis: 2. mater infirmitatum: 3. mater vitiorum.

I PARS.

Ebrietas est mater paupertatis.

Ditari non solent qui vinum, plus quam par est, diligunt, et qui ebrietati se dedunt: *qui diligit vinum, non ditabitur* (Prov. 21). Tantum abest, ut ditentur, quin contra pauperes, egeni et miseri fieri solent; cum ebrietas sit paupertatis mater et genitrix, quae homines vino indulgentes temporibus facultatibus spoliare, et ad turpem egestatem religere solet: *qui diligit epulas, in egestate erit*. Hoc praecclare docuit Salomon dicens, omnem hominis ebriosis laborem esse in ore ejus: *omnis labor hominis in ore ejus*. Omnes fere ebriosis pigri sunt et desides, qui nunquam aut raro laborant, qui domesticis negotiis parum incumbunt, et qui ore et maxillis, non manu laborant: *omnis labor in ore ejus*. Domesticis rebus non vacantes, totique dediti ebrietatibus et commessationibus pauperes et inopes cito fiunt, ebrietasque in eis est maligna mater, quae pauperiem cito generat. Sic a multis exponitur ille Salomonis locus; quem paulo aliter explicat Doctor Seraphicus dicens, omnem viri ebriosis laborem esse in ore ejus, quia ille ore suo, suisque ebrietatibus brevi absorbit quicquid labore manuum suarum acquirere potest: *omnis labor in ore suo, id est, quicquid ex labore acquirit, ore suo gulose consumit*. Nonne videmus saepe artifices, suae artis peritissimos, qui quotidie plura lucrantur, et tamen nunquam ditescunt, ac semper egestate premuntur? Unde hoc? a vino quidem et ebrietate, quae absorbit quicquid illi labore acquirere possunt. Nonne plurimos videmus mercatores, qui omnium iudicio jam ditissimos esse oporteret, quia sive in emendo, sive in vendendo ita felices sunt, ut semper lucrentur, et tamen nunquam ad pinguiorem veniunt fortunam; semper in pau-

peritate ingemiscunt et deoectos fieri periclitantur? Unde hoc? ab ebrietate utique, quae velut pessima mater illos acquisitis spoliat et ad pauperitatem redigit. Quot sunt, qui *uno die bibunt multorum dierum labores* (S. Amb. de Elia et jeun. 12). Quot sunt, de quibus dicimus, ii quidem ditissimi essent, si a vino semper abstinentissent? Quot novimus, de quibus fatemur, si hic homo tanto affectu vinum non diligeret, Cresco ditior esset; quia mero se saepe ingurgitat, est Lazaro pauperior? Hoc saepe audire et dicere occurrit, et hoc verissimum est, quia ebrietas est turpis parens, quae pauperitatem gignit, hominesque cito pauperes efficit.

De Noe narrat S. Scriptura, quod inebriatus sit, licet sine sua culpa, quia non noverat vinum inebriandi vim habere. Jamvero ut refert sacer textus, postquam Noe inebriatus est, nudus factus est: *bibens vinum inebriatus est, et nuditus in tabernaculo suo* (Gen. 9, 41). Hoc plerumque accidit ebriosis, qui per ebrietatem nudi et miseri fiunt: si nimio non indulgerent vino, acquisita servare possent bona, et nova acquirere: quia bibere et inebriari amant, paulisper bonis denudantur, et ad pauperitatem declinant. Cum Callias quidam Atheniensis substantiam suam simul cum plurimo vino sorbisset, ad tantam reductus est pauperitatem, ut hyemis etiam tempore nudus incidere cogeretur. Unde hoc dicitario passim notabatur: *Hic a vino deplumatus est*. Simile quid dici posset de omnibus fere ebriosis, quia deplumantur et nudantur a vino, a quo omnes eorum divitiae absorbentur. Et ideo de iis dicit Isaias propheta, quod *absorpti sunt a vino*; dum enim ipsi vinum absorbent, interim a vino absorbentur jam eorum pecunia, nunc vestes, nunc praedia, quousque tandem nudi et pauperissimi fiunt, quia ebriosis fuerunt. O quam exitiosa mater est ebrietas, quae pauperitatem parit, ac ebriosis pauperes et inopes efficit. Insatiabilem et inexplebilem esse impiorum ventrem dicit Salomon: *venter autem impiorum insaturabilis*. Quae verba de gulosis et ebriosis exponens Doctor Seraphicus, ait, quod nunquam satiari possint: *gulosis nunquam potest satiari*. Si vir ebriosis pecunias habeat, diu nocturne in caupona

moratur; bibit et rebibit, quousque arca evacuat, nec tamen adhuc satiatur. Nunc domum, nunc vineam, nunc pratam vendit, ut crapulae et ebrietati vacet; nec tamen adhuc satiatur; nunc ab amico pecuniam mutuo accipit, nunc mulieris dotem pignori dat, ut inde habeat, quo bibat, nec tamen unquam venter ejus satiari potest: *gulosus nunquam potest satiari*. Venter ejus ita insatiabilis est, ut sua, uxoris, totiusque familia bona absorbeat, eumque ex divite pauperem faciat. Ingeniose Doctor Seraphicus virum gulosum et ebriosum cum sacco pertuso confect; *saccus pertusus est gulosus*. Si aurum, argentum, vel triticum inicitias in saccum pertusum, non in eo manebit, sed per foramina transibit et cito diffluet. Idem dicendum de viro ebrioso: esto quod divitiis, bonisque temporalibus alluat, cito haud dubie diffluet, perinde ac si illa miserit in saccum pertusum, qui ea diu non retinet. Vides hominem, qui alias domum habebat, jam non habet; alias habebat pecunias, jam non habet; alias prata, vineas et agros habebat, jam non habet, unde hoc? Si bene causam inquiras, invenies hunc hominem esse *sacrum pertusum*, qui ebrietatibus suis totam suam dissipavit substantiam; *saccus pertusus est gulosus*. Nonne aliquando videmus aliquem patremfamilias, qui labore multo, plurimisque sudoribus divitias congregat, qui viginti, vel triginta annorum spatio diu nocturne laborat, ut filius opes multas testamento relinquit? Quid inde? Si filio ebrioso et ebrietati dedito eas relinquit, idem est ac si illas in saccum pertusum mittat, *qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum* (Agi. 1, 6). Illas sane in saccum pertusum mittit; quia ebriosus ille haeres erit quasi saccus pertusus, a quo cito diffluent hae omnes divitiae, illum pater divitem fecit, et ebrietas illum cito ad egestatem et inopiam rediget.

Præclare dixit S. Bernardus, viri ebriosi ventrem esse *sanguisugam*. Est quidem sanguisuga, quia sugit et deglutit quidquid est substantiae in ebriosi domo. Nonne saepe videmus, quod in domo aliqua laborat pater, laborat mater, lucrantur omnes, et tamen res familiaris non augetur, pecunie non

multiplicantur, nec fundi acquirantur? unde hoc? ab aliqua haud dubie sanguisuga, ab aliquo filio poculis, cuius venter omnia sugit, ab aliquo filio poculis et ebrietati addicto, qui modo pecuniam ex arca, nunc ex horreo triticum, nunc vinum ex cella vinaria subripit, et ideo ebrietatibus suis in causa est, quod non ditetur familia, imo quod ad paupertatem redigatur. De aliqua sanguisuga loquitur Sapiens, cuius duae sunt filiae, quae insatiabiles sunt, et quae semper sibi afferri clamant. *Sanguisugae duae sunt filiae, dicentes, affer, affer* (Pr. 30, 15). Hanc sanguisugam Doctor Seraphicus dicit esse gulam, cuius duae sunt filiae, crapula scilicet, seu excessus in comestibilibus, et ebrietas, seu excessus in potu. Hae duae filiae, et praecipue ebrietas, dicunt semper: *affer, affer*. Cum enim viri ebriosi in caupona cum suis combibentibus sunt, vino nunquam satiantur; semper magis et magis afferri clamant, *affer, affer*. Exhausta una vini amphora, aliam potunt, absorptis maximis poculis, alia sibi ministrari postulant, dicuntque semper: *affer, affer*. Si quis eos in spiritu lenitatis et charitatis moneat, dicens, cavete a nimio vino: si non caveatis, inebriamini ac simul et semel rationis usum, famam ac Dei gratiam perdetis, haec spernunt monita, clamantque semper, *affer, affer*. Si quis eis dicat: intelligite, quod de sanitae vestra agit, quodque ob ebrietatem in gravem aliquam cadetis infirmitatem, de hoc nil curant, et dicunt semper, *affer, affer*. O ebriose, memento saltem, quod filii fame percont, quod mulier plorans ululet, quod tua in deterius ruant negotia, quod bona tua pereant, quodque brevi ad gravem redigeris inopiam, si a frequentibus potationibus et ebrietatibus non abstineas; huiusmodi consilia et monita despiciunt ebriosi, clamantque semper, ut afferatur vinum: *affer, affer*. Dicit Horatius, quod sanguisuga apprehensam hominis cutem nunquam dimittat, nisi prius sanguine plena sit: *non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo*. Sic ebriosi a caupona nunquam discedunt, nisi prius vini pleni sint. Saepe cauponam adeunt; semper in ea bibunt, et plerumque inebriantur; expensas in ea multas faciunt; quamdiu ibi sunt, a laboribus abstinent, domesticis non vacant

negotii; et sic paulatim per ebrietatem pauperes fiunt et miseri. Hæc ut latius probemus, non egemus SS. Patrum auctoritatibus et Theologorum ratiocinationibus; ipsa etenim experientia constat, ebriosos progressu temporis fieri pauperes. Quod ut quisque vestrum sibi suadeat, mente revolvite quotquot viros ebriosos agnoscitis, et invenietis, quod eorum nullus dives fiat, et quod eorum plerique pauperes facti, aut brevi faciendi sunt. De quolibet enim ebrioso, si pauper ab ebrietate jam factus non sit, dici potest, quod per eam cito pauper evadet; quia ebrietas hospitem suum ad egestatem cito religit, et ab ejus domo sæpe expellit. Unde cum Diogenes quadam die videret ebriosum, qui a domo sua propter debita ad ebrietati indulgendum contracta expelleretur, ingeniose dixit; *odorabar domum istam, vino semper ebrium, hospitem tandem suum ecomituram*. Hoc sæpe accidit viris ebriosis, qui aut pauperes sunt, aut pauperes brevi fiunt. Verum est, inquit S. Basilius, quod cum viri ebriosi actu ebrii sunt, se sæpe Cræso ditiores et regibus potentiores dicant; verum cum ebrietatis fumus transiit, se pauperes et miseros esse agnoscunt. *Divites sunt, dum inebriantur; mox ubi digesserint vinum, cernunt se esse mendicos et egenos*. A nimio ergo vino abstinete, ab omni declinate ebrietate; cum hæc sit maligna mater, quæ paupertatem generat, ac etiam multas corporis infirmitates.

II PARS.

Ebrietas est mater infirmitatum.

Omnibus apertum est, abstinentiam et sobrietatem esse optima media ad conservandam valetudinem et ad vitam prorogandam. Quibus medicis artis medicæ magistri Hippocrates et Galenus perfecta sanitate gavisi sunt, vitamque suam diutissime produxerunt? Primus, qui supra centesimum annum vixerat, docuit abstinentiam in cibo et potu esse optimam rationem conservandæ valetudinis; *ratio sanitatis conservanda est*

edere citra saturitatem, et impigrum esse ad labores (Hippocrat. *Epidemion* sect. 4). Secundus, qui quadraginta supra centum annis vixerat, hæc tradidit sanitatis conservandæ regulam: quod nunquam quis manducet, vel bibat ad satietatem, quod nunquam famem et sitim totaliter expleat, quod semper e mensa surgat aliquo modo esuriens et sitiens. Ad magistrorum sententiam accedunt discipuli, fatenturque omnes alii medici, abstinentiam et sobrietatem ad conservandam, vel recuperandam sanitatem plus valere, quam omnia remedia quæ invenire potuit ars medica. Et ideo cum infirmos invitantur medici, primum quod præscribere solent, est abstinentia a cibo et vino; ac a vino plusquam a cibo; vini enim omnem usum infirmis prohibere solent. Si autem abstinentia et sobrietas sanitati faveant, non minus ei noxia sunt crapula et ebrietas; ac, ut assertit S. Ambrosius, sanitati potissimum nocet ebrietas; *noxia est ebrietas ad corporis sanitatem*. Addit sanctus Joannes Chrysostomus, ebrietatem ita sanitati esse noxiam, ut ebriosos morbis conficiat, ac morborum examinibus obsideat; *corpora illorum qui gulæ student, sunt morborum examinibus obsessa*. Et alibi ait, gulam et ebrietatem mille morborum torrentes causare; *mille morborum torrentes a crapula et ebrietate proveniunt*. Auro illius sanctæ romabæ Ecclesiæ patris sententiæ recte rationi innititur. Sanitas enim consistit in debita humorum proportione et symmetria tam secundum quantitatem, quam secundum qualitatem; ita ut tunc sanitate fruamur, cum in nobis hæc est humorum debita proportio; tunc vero infirmi sumus, cum hæc symmetria et proportio perturbantur. Patet autem, quod abstinentia, et sobrietas ita humores temperent, et in debita proportione conservent, ut neque in quantitate, neque in qualitate peccent. *Non quidem in quantitate*, quia per abstinentiam et sobrietatem superflui absorbuntur humores; *non etiam in qualitate*, quia cum abstinentia et sobrietas superfluos exsiccent et absorbant humores, impediunt etiam, ne cruditates gignantur, a quibus humores corrumpi solent. Ideo fatendum, quod ratio acquirenda et conservanda sanitatis, nulla melior, quam quod

quisque parce et sobrie vivat. E contra etiam fatendum, quod gula et ebrietas symmetriam et debitam humorum proportionem destruant tam in quantitate, quam in qualitate; *in quantitate*, quia superfluos gignunt humores; *in qualitate*, quia noxios et corruptos humores generant. Cum enim nimio cibo, nimioque vino plenus est stomachus, digestio fieri nequit, et ex indigestione crudi et putridi remanent humores, ac proinde ab ebrietate et crapula innumeri gignantur morbi; et ideo ebrietas infirmitatum mater dicenda; *mille morborum torquentes a crapula oriuntur.*

Aliam adduco rationem verissimo innixam Hippocratis aphorismo dicentis, omnes morbos a repletionem vel a nimia evacuatione nasci, eamque rationem sanandi morbos assignat, quod *quicumque morbi ex repletionem fiunt, eos evacuatio sanat, et quicumque ex evacuationem, repletio.* Verum, ut docet Hippocrates, paucissimi ex morbis, quibus homines laborare solent, oriuntur ab evacuationem; omnes enim plerumque a repletionem nascuntur, nimirum quod plus assumatur, quam natura requirat, et stomachus possit perfecte concoquere. Et ideo medici probe scientes, omnes fere morbos a repletionem ortum ducere, ut eos curent, sanguinem detrahi, humorum colluviem medicamentis subducere, vel alias evacuationes fieri prescribunt. Itaque cum omnes pene morbi a nimia repletionem procedant, evidens est quod abstinentia et sobrietas, a morbis homines incolumes serrent, quia impediunt, ne nimis humoribus repleantur; et contra patet, quod gula et ebrietas sint omnium fere morborum causa et origo, quia per gulam et ebrietatem fit nimia repletio, a qua omnes fere morbi causantur. Alia hinc similis adducenda videtur ratio ex Galeni principis desumpta dicentis, omnes fere morbos, quibus homines ordinarie laborant, a cruditatibus, seu ab imperfecta ciborum concoctione originem ducere. Cruditates enim sunt omnium fere morborum seminaria; cum enim stomachus cibis et vino obruitur, imperfecte concoquit; et ex imperfecta hac concoctione fit, ut pariantur in exiguis viscerum meatibus multe obstructions, ut cerebrum multis pituitosis et biliosis excrementis repleatur, ut vena

humore putrido impleantur, ac tandem ut totum corporis temperamentum vitietur, et innumere infirmitates gignantur. Qui autem sobrii sunt, ab his omnibus infirmitatibus declinant; nam ubi sunt abstinentia et sobrietas, ibi nullae cruditates. E converso excessus in cibo et potu cruditates pariunt, et a cruditatibus generantur morbi, et sic gula et ebrietas innumerorum sunt causa morborum. Si per tempus liceret, aliam adducerem rationem ex calore nativo sumptam. Calor enim naturalis suos habet gradus, cui si tribus cibi aut vini plus quam coquere et digerere possit, illum opprimis. Cumque ei vires desint ad digerendam magnam ciborum et vini copiam quam ingeris, ex his omnibus fit quedam corruptionis massa, et quedam noxiorum humorum congeries, quae fit exitiosa multorum morborum origo et parens. Sicut, inquit S. Chrysostomus, infelici naufragio perit navis plus quam par est, meribus onusta, sic illius, qui cibis et vino nimis repletur, sanitas naufragium patitur, nec potest quis nimis indulgere vino, quin innumeris morbis immergatur, ac proinde ebrietas est exitiosa plurimarum infirmitatum mater. His et aliis rationibus patet, ebrietatem esse fecundam plurimarum infirmitatum parentem, quod ipsa etiam manifestat experientia, qua constat, quod ab ebrietate gignantur podagrae et chiraegre, quod ab ipsa procedant catarrhi, tussis, asthmata, vertigines, stomachi et capitis dolores, quod ab ipsa veniant apoplexia, epilepsia, lethargus, aliquo noxii cerebri affectus, necnon innumeri alii morbi. Equis dubitet, crapulam et ebrietatem esse plurimarum infirmitatum matrem? cum certum sit, quod plures occidat gula, quam gladius, et cum asserat Spiritus Sanctus, plurimos per gulam interire: *propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinentes est, adjiciet vitam* (Eccli. 37, 34). Fatendum sane, ebrietatem esse crudelium multarum infirmitatum matrem.

Ne dicas, te a multis annis vino indulgere, te sepe vino inebriari, nec tamen aliqua unquam infirmitate gravari, imo semper perfectissima sanitate gaudere. Si enim verum fatearis, novum est hoc super terram: quia novum et rarissimum est, quod vir abrio-

sus infirmitate aliqua non laboret. Si autem, o ebriose, nondum infirmatus es, expecta aliquantulum, et irruent super te dolores et morbi multi. Jam tibi placet vinum, nil tibi incommodi affert; verum ut coluber, intra aliquod tempus mordet te et infirmitatibus te obruet. *Vinum ingreditur blande, sed in novissimo mordet ut coluber, et sicut regulus venena diffundit* (Pr. 25, 31).

Asserit Aristoteles, quod quicquid mordet basiliscus, mox circiter putrescat: *quicquid mordet basiliscus, continuo circiter putrescit*. Vinum illud, quod jam tanta cum voluptate hauris, mordet te intus sicut basiliscus, calore nimio tua accendit viscera, rectam humorum habitudinem turbabit, teque, si non modo, saltem intra aliquod tempus infirmitatibus obruet, et forte intra brevissimum tempus amicus ille tuus mortem tibi inferet. Ut enim ait S. Basilius: *ebrietas, roboris corruptio, senectus immatura, brevis temporis mors*. Hoc insinuasse videntur ipsi ebriosi apud Isaiam prophetam, cum ajunt: *comedamus, et bibamus: cras enim moriamur*. Quomodo cras? Quomodo tam cito? Quia nimirum ingluvies et bibacitas, multos ebriosos morbos adferunt, qui mortis celeritate plerumque terminari solent. O quot ebriosi a nimio vino debilitati, infirmi, et variis morbis affecti fuere! Quam multi bibacitate sua ante tempus insenerunt! Quam multi ebrietas suis ad manes citissime migraverunt! O fratres, hæc unica consideratio conservande valetudinis hominem quemque rationis usu pollutem ad ebrietatibus arcere debet. Si vero hæc consideratio non sufficiat, aliam adjiciamus, dicamusque, quod ebrietas non solum sit mater infirmitatum, *sed etiam mater vitiorum*.

III PARS.

Ebrietas est mater vitiorum.

Ebrietas est foedissima mater, cujus prima proles est libido; et ideo prohibet apostolus, ne quis vino inebrietur, quia sci-

licet in multo vino, quod quis sumit, est luxuria, tanquam in causa, a qua luxuria gignitur; *nolite inebriari vino, in quo est luxuria* (Ephes. 5, 18). In vino est luxuria, inquit Doctor Angelicus, tanquam in causa: *vinum enim superfluum est causa luxuriæ, quia calefacit, et ad venerem movet*. Et S. Cyrillus Alexandrinus præfata apostoli exponens verba, ait, ab eo dictum luxuriam esse in vino, *ut ostenderet, ab ebrietate, veluti primogenitam filiam, generari luxuriam*. Nec mirum sic loquatur D. Paulus: quia naturæ consentaneum quod venter vino æstuans prorumpat in venerem: ebrietas enim ex temperante facit lascivum, et ut loquitur sanctus Hieronymus, *venter mero æstuans spumat in libidines* (ep. 83 ad Ocean.). Quod tam pro certo habet S. Vincentius Ferrerius, ut asserat divi Bernardi autoritate fretus, quod *gulosus personis, et ebriosus vivere castè est majus miraculum, quam suscitare mortuos*. Fugite ergo ebrietatem, quia est mater luxuriæ. Nec minus fugienda, quia multorum aliorum et fere omnium vitiorum est mater; *ebrietas est origo vitiorum et flagitiorum omnium mater*. Omnibus notum est, dari in natura aliquam materiam primam, quæ est primum subjectum, ex quo omnes creaturarum formæ educuntur. Ex illa materia prima eliciuntur lupi, leones, serpentes, bufones, omniaque corpora cælestia et sublimaria, animata et inanimata, ita ut dici possit, hanc materiam esse matrem omnium creaturarum corporarum. Sicut autem ex materia prima originem ducunt omnia corpora, ita et ebrietas dicitur materia vitiorum, quia ab ebrietate, ut a pessima matre, luxuria, blasphemia, detractiones, perjury, furia, et omnia fere vitia generantur, *ebrietas est culpæ materia, radix criminum, origo vitiorum, flagitiorum omnium mater* (Chrysost. hom. 29 in Gen.). Ebrietatem sancti Ecclesiæ Patres, Chrysostomus et Chrysologus, demonem vocant; *ebrietas*, inquit Chrysostomus, *voluntarius est demon*: vel ut loquitur S. Pater Chrysologus, *ebrietas est demon blandus*. Eam demonem vocant, quia idem est demonis et ebrietatis ingenium. Sicut enim demonis hoc est ingenium, quod homines a virtute avertat et ad vitia trahat, ita et ebrietatis idem est spi-

ritus: ebrietas quippe ad scurrilia, ad impudica, ad blasphemias, ad detractiones, et ad innumera vitia provocat. Et sicut dæmon est pater, ita et ebrietas esse mater vitiorum. Ad hujus rei probationem portentosum quid ex D. Augustino hic adducam dicente, quod in civitate Hypponensi homo quidam erat dives, cui unicus erat filius, quem plus quam semetipsum, et forte plus quam Deum diligebat. Nimis ille parentis amor filio occasionem dedit, vino plus quam par erat indulgenti: unde brevi factus est vir libacitatus et ebrietatibus suis famosus. Cum autem filium hunc dissolutum non corripere parentes, ebrietatibus semper magis se dedit, quousque tandem aliqua die, cum hinc juvenis ebrius esset, *patrem occidit, matrem pregnantem oppressit, sorores duas ad mortem vulneravit; et alteram, cujus pudicitiam seroare debuerat, violavit.* Unde infert D. Augustinus, ebrietatem esse pessimam omnium vitiorum et malorum matrem; *o igitur dolorosa ebrietas, omnium malorum mater.* Omnium sane malorum et vitiorum mater est ebrietas; nec est scelus tam grave, quod non parturiat, cum hunc adolescentem ad parricidium, ad incestum, et ad sororicidia impulerit. Idem divus Augustinus, qui semper et ubique ingeniosus, subtilis et angelicus est, ebriosos cum paludibus confert; *omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur.* Sicut enim in paludibus tæne, bufones, serpentes, sanguisugæ, aliæque multa gignuntur insecta et vilia animalia: ita ebriosi sunt quasi paludes, quia ebrietas est turpissima mater, quæ libidines, blasphemias, stultiloquia, detractiones, impietates, et innumera alia vitia generat. Et ideo præclare dixit S. Gregorius, virum ebriosum non unico ebrietatis peccato, sed omnibus peccatis esse inquinatum, ac ipsum esse totum et totaliter peccatum; *qui ebrietatem habet, non solum peccatum habet, sed totus est peccatum.* Ebriosus quidem totus est peccatum; nam omnia quæ in eo sunt, peccata sunt aut peccata esse videntur, cum sint causa peccati. Hominis ebriosi oculi peccatum sunt, quia libidinosæ creaturas intueri solent; aures ejus peccatum sunt, quia scurrilia et impudica nimia cum complacentia audiunt; lingua ejus peccatum est, quia jam obscena et turpia profert,

jam in blasphemias prorampit, et jam plurimorum famæ detrahit; spiritus ejus peccatum est, quia de Deo vox cogitat, et pravus desiderijs plerumque inquinatur. Quidquid tandem in eo est, peccatum est, quia anima, corpore, omnibusque sensibus peccat. Ebrietas quippe uti pessima mater, eum ad omnia vitia trahit, illumque totum et totaliter peccatum facit; *ebrietas omnium vitiorum fomes et nutritrix est* (S. Amb. in decret. 15, q. 1. c. *Sane*). Quod quam verum sit, ipsa docet experientia. Nonne enim multos videmus, qui cum antea ab omni blasphemia, ab omni libidine, ab omni impietate, et ab omni prorsus vitio essent alieni, mox ut ebrietati se dederunt, ab omnia vitia declinarunt? Quibus vitis non indulgent ebriosi, cum in caupona, velut in templo suo, congregantur? Nonne ibi vinum, veluti Deum suum colunt? Nonne ibi Bacchi virtutes prædicant? Nonne ibi linguis suis ad omnem detractionem, ad turpia quavis verba, et ad omnem blasphemiam habenas laxant? Nonne ibi rixas et contentiones excitant? Nonne ibi saepe homicidia perpetrant? Certe hæc et alia multa peccata nomine christiano indigna producit ebrietas; certe hæc est multorum et fere omnium vitiorum iniqua mater. Ex hoc principio duo inferenda sunt; *primum* quod caupones, qui vinum iis administrant, quos inebriandos prævident, mortaliter peccent, quia, ut ait Doctor Angelicus, ille peccat mortaliter, qui alteri occasionem præbet peccandi mortaliter; caupones autem, qui vinum dant his quos inebriandos prævident, occasionem peccandi mortaliter ei præbent; ergo et ipsi peccant mortaliter. Hoc velim ut bene adnotent caupones. *Secundum*, quod ebriosi, si penitentiam non egerint, regnum Dei obtinere nequeunt; cum enim ebrietas sit mortale peccatum, et multorum peccatorum causa, salvari nequeunt ebriosi, nisi penitentiam egerint; non salvabuntur ebriosi, inquit D. Augustinus, *sed quicumque penitentiam de ebrietate non egerit, in æternum profecto peribit.* O quam timendum ergo, et sedulo fugiendum ebrietatis vitium; cum homines ad egestatem trahat, infirmitatibus multis conficiat, et ad plurima alia vitia alliciat! Hæc considerate, viri ebriosi; hæc serio perpendite ac a turpi et

exitioso ebrietatis vitio declinate: *expurgiscimini ebrii, et flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine* (Joel 1, 5); *expurgiscimini*, inquam, et ab ebrietatis vitio secedite, cum sit paupertatis, infirmitatum et vitiorum mater. *Expurgiscimini, et flete, et ululate*, ut præteritarum ebrietatum a Deo veniam obtineatis. *Expurgiscimini*, et virorum ebriosorum consortio ne amplius vos imisceatis. *Expurgiscimini*, et ebrietati impostorum ne indulgeatis. *Expurgiscimini*, et firmissimo proposito statuite prius mori, quam inebriari: ut enim ait S. Ambrosius, *si tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius tibi esset, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur* (de Helia et jejuna, 14). *Expurgiscimini tandem*, et quicquid ad ebrietatem vos allicere potest, studiosè fugite; dabatque Deus vobis in hoc mundo gratiam, in cælo gloriam. Amen.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

DE HUMILITATE.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum.
(Matth. 8, 8).

Cum infinita sit Christi ab aliis hominibus distantia, nemo sane hominum, addo et angelorum, quantumvis magnus ille sit, dignus censeri debet, qui coram illo stet; qui illi serviat; imo et qui vel calcementi corrigiam solvat. Ideo nullo modo mirarer, si virum fidei christiane mysteria edoctum, et de Christi Salvatoris divinitate eruditum audirem dicentem; *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*. Verum hæc verba, ut a viro ethnico prolata, admiratione multa digna sunt, non solum propter magnam ejus fidem, quæ in iis mirabiliter elucet; sed etiam ob eximiam ejus humilitatem, quæ in iis maxime rutilat.

Credit centurio, Christum posse sanare servum suum, licet eum non videat; oh magnam fidem! Centurio, licet multorum militum dux et dignitate inter homines insignitus, indignum se censet, qui Christum, ad quem legatos miserat, hospitio recipiat; oh magnam humilitatem! Miranda centurionis fides de fide dicendi ansam nobis alibi præbuit; nunc autem ex ejus humilitate de humilitate disserendi occasionem sumemus. Ave.

Quicumque aliquam ex christianis virtutibus assequi intendit, ipsammet virtutem, Christum, et seipsum inspicat necesse est. *Ipsammet quidem virtutem*; ut videat, quam præclare, quam utilis, quam necessaria sit: *Christum*, qui omnium virtutum perfectissimum est exemplar, ut ejus exemplis ad hanc virtutem sectandam excitetur; *seipsum*, ut quantum sibi sueque statui hæc virtus conveniat serio scrutetur et ponderet. Humilitatem autem omnibus hodie assequendam propono; igitur rogo, ut mentis oculos quisque ad humilitatis virtutem, ad Christum humilitatis Doctorem, et ad seipsum convertat. Qui humilitatis virtutem sedulo scrutabitur, eam Deo amabilem, hominibus utilem, et in vita spirituali omnibus necessariam esse perspiciet. Qui Christi humilitatem investigabit, eam admirabitur, ejusque exemplis ad tantam virtutem sectandam allicietur. Qui seipsum, suamque vilitatem sedulo inspiciet, nil sibi magis congruum fore censebit, quam quod in omnibus et semper se humiliet: *Humilia te in omnibus*. Videtis nunc unde quisque sumere debeat motiva, quibus ad humilitatem sectandam adducatur; ab ipsa scilicet humilitatis virtute, a Christo et a semetipso. Ut humilitatem assequaris, inspicie 1. humilitatis bona, et emolumenta; 2. Christi exempla et documenta; 3. tuam vilitatem et miseriam.

I-PARS.

Ut humilitatem assequaris, inspicienda sunt ejus bona et emolumenta.

Tanta, tam præclara, tamque in vita spirituali hominibus utilis est humilitas ut non facile explicari queat, quanta bona, quantaque emolumenta ex illa proveniant. Ut ex pluribus aliqua colligam, dicam, quod humilitas 1. a multis vitiis amoveat; 2. alias virtutes conserveat; 3. divinam gratiam attrahat; 4. homines Deo amabiles faciat; 5. illos exaltet, et ad cælum evehat.

1. Sicut initium, et quasi compendium omnis peccati superbia, ita et humilitas est quasi omnium fuga peccatorum, et qui vero humilis est, ab omnibus fere vitiis declinat. Qui enim *vere humilis est*, de se magna non cogitat, non superbit, nec ab hominibus laudari et honorari desiderat. *Humilis* alios seipso majores censet, nunquam illos irridet, nunquam illos despicit, nec temerarie judicat. *Humilis* omne donum et omne bonum a Deo provenire novit, virtutes, merita, et quæcumque bona in se agnoscit, non sibi arrogat, sed Deo omnium honorum auctori tribuit. *Humilis*, quis fragilitatem et humanam infirmitatem non ignorat, peccandi occasiones declinat. *Humilis* tandem, ambitionem, avaritiam, et omnia fere vitia devitat et enervat; *Virtus humilitatis omne vitium enervat* (S. Greg. Mor. 8, 30). Unde homo vere humilis similis videtur puero, qui nondum rationis usum assecutus est; verus enim humilis, sicut ille puer, nec mentitur, nec insolescit, nec terrena ambit, nec de laudibus superbit, nec alteri invidet, nec avaritia, nec iracundia, nec alio aliquo vitio laborat; omnia vitia in eo enervata et quasi mortua videntur. Nam, ut ait Doctor Seraphicus, *nullum vitium stare poterit, si superbia, quæ est omnium vitiorum caput, humilitatis virtute de-*

truncata fuerit. O quam bona, quam optabilis, quamque utilis humilitas, quæ a vitiis amovet; ac etiam virtutes conservat!

2. Sicut pulvis vehementi expositus vento cito dispergitur, ita et virtutes cito perdit, qui eas vanitatis et superbiæ vento exponit. *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi pulverem in ventum portat* (S. Greg. explan. 3. Psal. pen.). Qui humilitati adhaeret, eas conservat ne per vanam gloriam evanescant. Unde præclare dixit S. Hieronymus: *Nihil habetas humilitate præstantius, nihil amabilius; hæc est enim precipua conservatrix, quasi custos quedam virtutum omnium* (ep. 14 ad Celant.). Vinum, inquit Doctor Seraphicus, cito virtutem perdit, si clausum in vase non steterit; aromata, si teneantur aperta, suam perdunt virtutem et efficaciam; ignis cito extinguitur, nisi cineribus cooperiatur; sic homo cito omnia bona perdit, nisi sub humilitatis cinere ea cooperiat: ergo, ait D. Bonaventura, magna virtus est humilitas, quæ alias virtutes et omnia bona conservat. *Sed et humilitas divinam gratiam attrahit.*

3. *Sicut magnes attrahit ferrum ita*, inquit S. Bernardinus, *humilitas gratiam ad se trahit*. Quantoque quis humilior erit, tanto major ei infundetur gratia; nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, et eam tanto majorem dat, quantoque abundantiorum, quanto invenerit mentem humiliorem. Deus est fons perennis, qui valles quærit, in quas aquas salutare effundat; humiles autem sunt valles, quarum meminit vates regius, ita canens: *Qui excavit fontes in covallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ* (Ps. 103); idæo aquis divinæ gratiæ rigantur et replentur hi qui vere humiles sunt. *Sed hi etiam per humilitatem Deo amabiles fiunt.*

4. Merito Deus humiles diligit, quos humilitate sibi subiecit: quantum autem eos diligit, docet propheta dicens, quod Deus qui excelsus est super omnes gentes, et qui in cælis habitat, *humilia respicit*. Magni magnos diligere solent, et sæculi principes alios similes, nempe nobilissimos et illustrissimos viros, suo amore dignos ducunt. Non vero sic Deus noster, qui in altis habitat, et *humilia respicit* (Ps. 112, 5): quia enim ei pla-

cent humiles, illos oculis misericordiae et benevolentiae respicit; et ille respectus humilium, quo a Domino inspicuntur, est respectus benignitatis et amoris. Humilibus nihil tam curae est, quam Dei honor et gloria; illum enim honore afficiunt, dum eidem omnia bonum tribuentes, seipsum, conatusque suos pro nihilo habent, quapropter cum humiles Deum honora prosequantur, sequē ipsos despicibiles prebeant, ut Dei gloria apud omnes magis magisque resplendat, Deo gratissimi sunt, eosque Deus amore specialiter prosequitur. Sectare ergo humilitatem, quia homines Deo amabiles efficit: *ae item quia eos exaltat, et ad caelum evehit.*

5. A Deo quidem exaltantur humiles quandoque et in hoc mundo, semper autem in caelo: Deus enim superbos deprimit et humiles exaltat; *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles* (Luc. 1, 52). Paradoxon sapientiae christianae hoc est, quod descendendum, ut ascendas; quodque via ad excelsa et ad paradisi gaudia pateat tendendo ad demissa et humilia: cum aeterna lege decretum sit, quod *omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur* (Luc. 18, 14). Si vis ergo magnus esse in caelo, ama in terra nesciri, necnon ab hominibus despici, contemni, et vilis reputari. Si cupis ad primos empyrei thronos sublimari, humilitatem sectare in hoc mundo, et recumbe in novissimo loco: quo enim minor et humilior fueris in terra, eo major et excelsior eris in caelo, quia sola humilitas exaltat, et qui se humiliat, exaltabitur. Ad caelum ascendere cupiunt omnes, qui quanta sint caeli bona noverunt; jamvero ad caelum non ascenditur nisi per humilitatem. Haec est via, qua ad caelum itur; nec in caelum exaltantur qui superbi, sed qui humiles fuerint: *Per humilitatem ascende ad sublimitatem: quia haec est via, et non est alia praeter eam. Imo qui aliter cursum tendit, cadit prius quam ascendat* (S. Aug. in Joan. in fine). Verum est quod aliae virtutes ad caelum exaltent, non autem sine humilitate; amet quis paupertatem, jejuniis corpus affligat, castitatem colat, aliisque virtutibus acquirendis insudet; si haec ex superbia faciat, vel si desit humilitas, ad caelum non exaltabitur, nec enim superbi, sed humiles ad paradisi gloriam

exaltantur: *Qui enim humiliatus fuerit, inquit Spiritus sanctus, erit in gloria: et qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur* (Job. 22, 29). O quam admirabilis, et hominibus utilis humilitas, quae homines ad caelum elevat; eoque magis illos in caelo exaltat, quo in hoc mundo humiliores extiterint. Unde discipulis dixit Christus, illos majores futuros in regno caelorum, si pueri cujusdam, quem in medio eorum statuit, humilitatem aemulati et assecuti fuerint: *quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno colorum* (Matth. 18, 4). Itaque humiliamini in hoc mundo, ut in paradiso exaltari mereamini: *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* (1 Pet. 5, 6). Humiliari quisque debet, cum humilitas sit fuga vitiatorum, virtutum custos, magnae, quo divina gratia trahitur, et animae pulchritudo, qua homines Deo amabiles fiunt. Humiliari quisque debet propter haec et alia multa emolumenta, quae ab humilitate homo percipit; praecipue quia humilitas homines ad caelum exaltat. Sicut superbia angeli et caelo ejecti sunt, et in infernum praecipitati; ita homines humilitate ad caelum evehuntur, ut in caelo exaltentur. Sicut Christus, qui omnium electorum est caput, ad caelum humilitate exaltari voluit; ita et quicumque ad caelum exaltari cupit, humilitatem sectari necesse est: *proinde ambula per Christi humilitatem, ut venias ad aeternitatem*. Noli ambulare per viam superbiae et arrogantiae; ambula per viam humilitatis: utque humilitatem assequaris, inspicere quanta bona et emolumenta ex ejus associatione proveniant; *inspice etiam Christum, humilitatis Doctorem et exemplar.*

II PARS.

Ut humilitatem assequaris, inspicienda sunt Christi exempla et documenta.

Filius Dei carne nostra tectus ac humana natura velatus ad hoc venit in hunc mundum, ut nos a peccati servitute re-

dimeret, et ut omnem virtutem nos doceret. Ideoque inspirante Deo Patre, ab hominibus absolute et sine aliquo additamento præceptor appellatus est, ut ipsum nomen astrueret, eum ad hoc nobiscum fuisse conversatum, ut non hanc aut illam dumtaxat, sed ut omnes penitus virtutes nos doceret. Licet autem hæc ita se habeant, fatendum tamen, quod speciali quadam ratione se humilitatis Doctorem exhibuerit; tum quia palam dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. 11, 29); tum quia ab ipso incarnationis suæ instanti usque ad extremum vite halitum, continue humilitatem docuit; tum quia eam mirandis exemplis, et apartissimis verbis prædicavit; tum quia ad hoc venit in mundum, ut opus portentosa humilitatis obiret; tum denique quia humilibus corde promisit præmia, quæ suis meritis est hominibus iocuratus.

Ita humilitatis magister et doctor extitit Christus Salvator, ut indesinenter ea oculis hominum obijcerit, quæ humilitatis doctorem decebant. Quod late et sapienter prosequitur S. Basilus, dicens: « universam namque Domini dispensationem ad humilitatem nos instruere deprehendimus. Cum infans esset, mox in spelunca; nec lecto, sed præsepio componitur. Deinde in domicilio fabri et matris pauperule enutritur, subditus matri et illius sposo. Subditur Joanni et baptismum suscipit a servo Domini. Namini adversariorum resistit, neque innarrabilem suam potestatem in quemquam vibrat; sed quasi potentioribus cedit, et potestati temporariæ potentiam, quam ille habebat, permittit. Principibus sacerdotum in forma rei sistitur, ad præsidium ducitur, et iudicium illius sustinet. Cum posset calumniatores suos arguere, silentio tolerat illorum calumnias, conspuitur a servis ac vilissimis hominibus. Morti traditur, eique, hominum iudicio, turpissima » (hom. 38 de humil.). O quot humilitatis documenta et exempla in uno humilitatis magistro? Carte si omnia et singula Christi opera scrutari liceret, in omnibus et singulis adverteremus præclara humilitatis signa. Sciunt enim omnes, quod in summa paupertate et humilitate nasci et educari voluerit, norunt omnes, quod usque ad trigesimum ætatis annum ab hominum consortio secesserit, nec coram illis lucere stu-

duerit: hominibus prædicavit sine fastu, sine apparatu; non in locis honorificentissimis, sed in vicis, in plateis, in littore maris; regnum sibi oblatum recusavit: pauperes et mendicos ad apostolatam vocavit, miracula et transfigurationis gloriam silentio occultari desideravit; in victu et vestitu et aliis hujusmodi, non ea assumpsit quæ magnates, sed quæ homines de communi plebe assumere soliti sunt; nil acris quam ambitionem et elationem increpavit, vel minimas superbiæ scintillas a discipulorum cordibus exilientes protinus extinxit, et mortis genus, quo nullum magis ignominiosum, videlicet crucis supplicium elegit. Quid Christo humilior? Quis unquam majora et plura humilitatis documenta et exempla præbuit? Non iterum lustrabo plurima Christi opera, ut cum ubique et in omnibus præclara humilitatis exempla præbuisse ostendam: abs re tamen non erit, si animadvertierimus, quod in ipsis operibus, quæ majori laude et gloria digna erant, magna semper humilitatis testimonia ediderit. Manifestavit se hominibus, cum natus est; sed manifestavit se primo pastoribus, et celestes suos nuntios pauperibus misit. Vocatus est Jesus, quod nomen est admirabile; sed eo insigniri voluit in die circumcisionis, cum sub forma peccatoris visus est. Adoratus est a regibus magis; sed adoratur in stabulo, adoratur non in throno, sed in Virginis gremio, ut in hac pompa non deesset humilitas. Apparet inter doctores, quos omnes in infinitum sapientia et scientia superabat, sed inter eos apparet audiens, apparet interrogans; magisque in eo humilitas, quam sapientia rutilat. Cum prædicationis munus assumit, docet orare, docet humiliari, et se peccatorem coram Deo fateri. Discipulos docet predicare, docet daemones ex obsessis corporibus expellere; sed et docet eos humiliari, et ideo exultantibus illis, quod daemonia iis subicerentur, aliquid elationis in cordibus eorum insurgentis mox conspescuit, in memoriam eis revocans, quod demon ob elationem de celo cecidisset, *Videbam satanam sicut fulgur de celo cadentem* (Luc. 10). Nullum tandem opus est Salvatoris, quantumvis eximium et sublime, in quo humilitas non splendeat; nullum verbum, nullaque doctrina, in qua humilitas

non luceat; nullum miraculum, quod humilitate non condjat, nulla actio, nullaque passio, a qua humilitas inveniatur aliena. Ex jam dictis satis superque constat Christum in omnibus, et semper humilitatis præclara documenta, et magna præbuisse exempla. Verum ut altius hominum mentibus ejus ligatur humilitas, velim ut eum aliquantulum contemplerur in nativitate, in circumcissione, in palmæ lotione et in cruce.

1. *In nativitate* mirum in modum elucet Christi humilitas: ibi enim magnus fit parvus, Deus fit infans; et quem cœli capere non possunt, ibi parvulus: *Parvulus datus est nobis*. Ibi rex cœli et terræ reclinatur in præsepis; ibi quam angeli desiderant aspicere, in humili requiescit divorsorio; ibi qui sanctos in cœlo beat, villibus pannis involvit, temporum injuriis exponitur. O quam magna hæc Christi humilitas? Equis videtur Christum in nativitate ita humilem, in mundo major fieri et exaltari ambiat? Certe execratione et maximo supplicio digni habendi, qui viso Christo in præsepis, adhuc exaltari cupiunt. *Quid magis detestandum, quid gravius puniendum, quam quod videns Dei Filium summum in regio cœlorum, novissimum factum in regio hominum, apponat adhuc magnificare se homo super terram?* (S. Bern.). O homo, stude fieri sicut iste parvulus; humiliare exemplo Christi nascentis; ac etiam Christi circumcissionem patientis.

2. *In circumcissione* magis adhuc elucet infinita Christi humilitas, quia in ea Christus visus et reputatus est peccator: *In incarnatione minoratus est paulo minus ab angelis, sed in circumcissione multo minus, quia latronis cauterio est signatus* (S. Bern.). Christus peccatum nec fecit, nec facere potuit; et tamen in circumcissione peccator vult reputari: o magnam humilitatem! O homo, quanta tua est superbia? Tu totus in peccatis natus et educatus es, et tamen justus et innocens videri appetis: Christus autem ita humilis est, ut licet omni sanctitate præditus, velit tamen peccator videri. O homo, portentosam hanc contemplare Christi humilitatem et superbiæ tuæ medebitur: *Medicina tumoris hominis est humilitas Christi*.

3. *In lotione pedum* maxime etiam splendet Christi humi-

litas: quid enim humilior, quam quod Christus, cœli et terræ Dominus, pedes lavet discipulis quos creavit, quosque licet rudes et pauperes ad apostolicam dignitatem vocavit? Quæ major humilitas, quam quod Christus, cui obediunt angeli, villium hominum pedes lavet? Ad hæc inter Christi discipulos agnosce Judam, ejus sicut et aliorum pedes lavit Christus. Contemplare Christum Judæ pedes lavantem: *Christum*, qui cum Deus sit, pedes tamen vilissimi hominis lavare non dedignatur: *Christum*, cujus perfectione infinite et ejus magnitudinis non est finis, qui pedes lavat discipuli peccatoris, perfidi et ingrati: *Christum*, qui coram Juda prostrator, ut ejus pedes lavet, hoc ipso tempore, quo proditor ille eum in manus inimicorum tradere cogitat. O portentosam Christi Salvatoris humilitatem! Equis Christum pedes Judæ lavantem contemplatus, majoribus, equalibus, imo et subditis suis se subicere renuet?

4. *In cruce* tandem Christus exaltatus humilitatis exemplum dedit, quo nullum majus: nec enim magis se humiliare potuit homo Deus, quam eum pro hominum salute crucis mortem obire voluit. Hic est altissimus gradus humilitatis ejus, et ideo dixit D. Paulus, quod Christus *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Ecce habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum: quid ergo intumescis, o homo? O sanies foeda, quid infaris? o saccus putredinis, o foster intolerabilis, quid superbia tumes? Princeps tuus humilis est, tu superbus? Deus tuus ad humilitatis centrum descendit et tu vilis vermiculus ad thronos sublimari et magnus reputari ambias? O homo, a magistro tuo, a Deo tuo discite humilitatis virtutem: esto humilis, cum Christus verbis et exemplis humilitatem te docuerit. Insper humilis esse cogitis, *si inspicias tuam villitatem et miseriam*.

III PARS.

*Ut humilitatem assequaris; inspicenda est
tua vilitas et miseria.*

Humilitatis causas in omnibus rebus invenire possumus, omniaque humilitatem nobis predicant; sive ea que infra nos sunt, sive ea que supra nos sunt, sive ea que contra nos sunt, sive ea que in nobis sunt. Humilitatem predicant que infra nos sunt. Si etenim terram, que infra te est, et quam pedibus calcas, serio inspicias, magnum humilitatis motivum invenire poteris, quia in eam reversurus es: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec repertaris in terram, de qua sumptus es* (Gen. 3, 19). Quando ergo terram respicias, quasi sepulchrum, vel cometerium tuum respicias, quasi sepulchrum, inquam, in quo latebis, in quo putresces, in quo a scaturientibus vermibus comederis. Si etiam inspicias infernum, qui infra te est, magnum inde scomes humilitatis incentivum; non solum quia in eum profici pluries meruisti, verum etiam quia in continuo damnationis periculo versaris. A terra et inferno, que infra te sunt, oculos converte ad cœlum empyreum et ad sanctos, qui supra te sunt; ibique humilitatis causas invenire poteris: *tum* quia in cœlum non exaltantur, nisi qui in hoc mundo humiles exiterint: *tum* quia, ut ait D. Augustinus, *ostium paradisi est humile; si sanis capite voluimus intrare, oportet caput demittere*: tum quia forte tibi, sicut et fatuis virginibus, clausa erit paradisi janua. Inspice etiam que contra te sunt, scilicet tartarei spiritus, qui continue tibi insidiantur; et inde magnam humilitatis materiam elicies. Maxima enim est dæmonum potestas, antiqua eorum adversus homines invidia, odium implacabile, ita ut miram sis, quod nos non jugulaverint antequam nati essemus; et divinæ misericordiæ gratias referre debemus, quod a tam immanibus hostibus non sinas consumpti: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*

(Thren. 3). Ex prefatis, imo ex omnibus rebus sive bonis sive malis humilitatis incentiva elicere possumus. Quid autem querimus extra, quod in nobis ipsis reperimus? Consideremus nosmetipsos, nostram ponderemus vilitatem, fragilitatem et miseriam; et, si totaliter stupidi et stolidi non simus, ad humilitatem accedemus. Scrutemur nosmetipsos quoad corpus et quoad animam; et sive ex parte corporis, sive ex parte animæ plurimas ad humilitatem adducentes causas et rationes invenimus. *Quoad corpus*. Verum est, quod in eo officis artem et alia multa admirari possemus; at in eo multa vilia, multa ad humiliationem allicientia adnotare est facile, si serio perpendamus quid sit, quid est et quid erit. Dic, quaso, quid fuit corpus tuum in sua origine? Nonne factum ex vilissima quadam materia, quam ob honestum pudorem nominare non licet? Nonne ex putredine compactum est? Certe putredo est materia, a qua ortum est: *Putredini dixi: pater meus es tu*. Quapropter, homo superbe, cogita unde venerit corpus tuum et *erubescere*, quod alta et sublimia appetere audeas: *Vide unde veneris et erubescere*. Imitare Primislaam Bohemorum regem ex homine rustico ad regni gubernacula sublimatum, qui dum inauguraretur, sagum rusticanum suis et omnium adstantium oculis exponi ordinavit, illudque, ut suæ originis reminisceretur et ad non superbe imperandum alliceretur, usque ad obitum religiose servavit. Hoc age et tu, quisquis es, qui ob *eximiam* scientiam qua præditus es; ob dignitates ad quas sublimatus, ob divitias quibus frueris, vel ob propria merita te gloria et honore dignum arbitraris: pone in conspectu tuo terram, de qua ortus es; mente revolve putredinem ex qua compactum fuit corpus tuum et cristas utique demittes. *Sed et contemplantur quid sit jam corpus tuum et haud dubie ad humilitatem allicieris*. Scio multa præclara in humano corpore adnotari posse; sed et in eo multa vilia et contemptibilia habentur. Si enim recte inspiciatur corpus nostrum, in medio ejus magna humiliationis causa invenitur: *Humiliatio tua in medio tui* (Mich. 6, 14). Et revera, quid est humanum corpus, nisi saccus putredinis et sentina ex qua foetores et patores

semper erumpunt? Unde exclamans summus pontifex Innocentius, ait: « O vilis conditionis humane indignitas! O indigna vilitatis humane conditio! Herbas et arbores investiga; ille de se producant flores, et frondes, et fructus; et tu de te lendes, et pediculos, et lumbriculos. Illæ de se fundunt oleum, et vinum, et balsamum; et tu de te sputum, urinam et sterces. Illæ de se spirant suavitatem odoris; et tu de te multos spiras fetores ». Quare semper humilitatem sectaberis, si continue perpendas quod et quale sit illud corpus quod geris: nec enim superbare potest, qui se semper sentinam portare serio cogitabit: *Quomodo superbiat, qui secum semper sentinam portat?* Adhuc et ad humilitatem allicieris, si prospicias quid post mortem futurum sit corpus tuum. Certum est, quod si in statu gratiæ ex hoc mundo migres, corpus tuum post generalem resurrectionem in celo beabitur. Quid vero de eo fiet immediate post mortem? Nonne intra paucos dies fetidum erit? Nonne intra brevissimum tempus vermicibus scaturiet et in pulverem revertetur? O homo, nonne *pulvis es, et in pulverem revertetur?* (Gen. 3, 19). Cur ergo gloriaris, cum sis pulvis et cinis? Cur superbis, cum in pulverem et in putredinem sis reversurus? Certe non est quod gloriesis; imo quod plurimum te humilies, si inspicias corpus tuum, et serio scrutaris quid fuerit, quid est et quid erit. *Quoad animam tuam*, norant omnes eam esse spiritualem, immortalem et ad Dei imaginem factam: tamen et in ea multas humilitatis causas invenies. Creatur quidem a Deo, verum ut mortale et corruptibile corpus informet; et in ipso momento creationis peccato per originem traditum foveatur. Unde quisque dicere potest: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Nonne hæc tibi maxima est humilitatis causa? Potestne superbare, si attendas animam tuam ab ipso conceptionis instanti fuisse peccato originali infectam, ac proinde Dei inimicam, celo indignam et ad æterna supplicia idoneam? Ut autem superbiam a te procul pellas, atque humilitatem sedulo secteris, inspicere quot et quantis peccatis actualibus inquinata fuerit anima tua a tempore quo rationis

usu polles. Non ob oculos versanda, nec mente revolvende virtutes et animæ dotes quibus potiris, ut inde superbiæ motiva elicias; inspicienda et recogitanda peccata, quibus inquinata est anima tua, et inde ad humilitatem allicieris. « Noli, frater, inquit Petrus Damiani, quod plerique faciunt, tantummodo signis est in te virtutis attendere, ut vitia quasi post tergum negligas judicare. Imitare naturalis in pavone diversitatis exemplum. Qui nimirum pullinos et velut ignobiles pedes præ oculis semper habet: invenit vero caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet; videt in pedibus rusticum aliquid quod despiciat; ignorat in cauda quod eum mirabilem reddat. In promptu est unde se debeat in humilitate deprimere; post tergum gerit unde valeat quasi præ cæteris avibus superbare. Te quoque quodammodo quod in te virtutis est, lateat: siquid vero vitiosum et correctionis est dignum, ab aspectus tui iudicio non recedat » (ep. 11, li. 2). Interrogatus quidam ex antiquis vitæ spiritualis patribus, quomodo posset quis humilitatem adipisci, respondit: *si sua, non alterius peccata consideret*; considera ergo quot et quanta peccata ab adolescentia perpetraverit anima tua et ad humilitatem inclinaberis. Considera cujus generis fuerint peccata in que lapsus es: vide an eorum aliquod mortale fuerit; et si in mortalia lapsus fueris, humilia temetipsum, quia quamdiu in statu lethalis peccati permansisti, inimicus Dei fuisti, ipsis brutis vilior exististi et æternæ mortis debitor fuisti. Si autem peccata venialia solummodo commiseris, temetipsum etiam humiliare debes, quia tantam gratiam a Deo accepisti, non autem a temetipso, qui ad gravia perpetranda ex tua natura idoneus et proclivis es. Quamquam vero nullo etiam veniali peccato tua nunc iniquetur anima, humiliari semper debes, quia ita instabilis es, ut si modo stas, forte cras oris castus. Quis scit an sit perseveraturus in statu gratiæ? An in instanti mortis futurus sit Deo et celo dignus? Nescimus an a perpetratis peccatis surrexerimus, et an in statu gratiæ jam simus; et licet certo sciremus nos in gratiæ statu esse, ignoramus tamen, an in hoc statu simus perseveraturi; proinde humiliari quisque debet sub potenti Dei

manu, a qua expectare debemus perseverantiam donum: *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei* (1 Pet. 5, 6). *Humiliamini*, cum tanta sint humilitatis bona et emolumenta. *Humiliamini*, cum tanta Christus vobis exhibeat humilitatis documenta et exempla. *Humiliamini*, cum tanta quoad corpus et quoad animam sit vobis vilitas, infirmitas et miseria. Heu! qui fieri potest, quod tot et tanta humilitatis motiva homines ad humilitatem non inclinent? *O mira cunitas*, inquit Doctor mellifluus, *o mira fatuitas cordis nostri, cujus elationem perfecte dirimere, cujus cervicicosus motus omnino domare humilitatis materia tanta non sufficit, quin adhuc superbiat terra et cinis*. O frater, si prelata omnia ad humilitatem sectandam te quomodocumque moveant, huic virtuti comparandae sedulo incumbere et media ad eam assequendam idonea totis conatibus assume. *Primo*, hæc serio et saepe meditare, quæ ad humilitatem sectandam te inclinare cognoscas, quia variis viis homines ad humilitatem Deus attrahit, et hanc viam quisque sequi debet, quia ad humilitatem se a Deo trahi cognoscet. *Secundo*, humilium te consortio adijunge, sicut enim qui *communicaverit superbo, induet superbiam* (Eccl. 13, 1), ita et qui communicaverit humili, induet humilitatem. *Tertio*, assuesce sustinentiam contumeliarum et eorum omnium quæ idonea sunt ad humilianda hominum corda, quia, ut ait S. Bernardus, *humiliatio via est ad humilitatem*; si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliacionis. *Quarto*, humilibus te exercere officiis, exemplo Christi, qui pedes lavit discipulorum, et qui innumera humilitatis munera obivit; humilitas enim est virtus practica, quæ iteratis humilitatis actibus comparatur; humilia te ergo in omnibus, et post mortem ad sublimes cœli thronos exaltaberis. Amen.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

DE CONSCIENTIA MALA.

Motus magnus factus est in mari (Matth. 8, 24).

Nihil jucundius, nihil in corde dulcius, in terra nihil quietius et securius bona conscientia. Hæc est templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aula Dei et habitaculum Spiritus Sancti. Hæc damna rerum non metuit, non verborum contumelias, nec corporis cruciatus. Quomodocumque res eveniant, feliciter, infeliciter, etiamsi vel lapides pluat, etsi terra collabescat, etsi cœlum ruat, bona conscientia sine metu est, in tuto est, segura est. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa quieta et segura est. Imo et quocumque adventiente casu, illa semper segura et tranquilla erit: *Hæc segura erit, cum corpus morietur; segura, cum anima coram Deo presentabitur; segura, cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justis iudicis statuetur* (de int. domg, int. op. S. Bern.). O mirandam bonæ conscientie pacem, tranquillitatem, quietem et securitatem. At de mala et iniqua peccatoris conscientia longe aliter sentiendum et disserendum: nulla enim pena major est mala conscientia, in qua quia Deus non est, nulla consolatio, quies nulla, sed timor, tremor et inquietudo continua reperuntur. Malam hanc conscientiam motu maris delineatam in hodierno Evangelio videmus: quid enim mala conscientia, nisi *mare ferevens, quod quiescere non potest* (Isa. 57, 20); et quod timoris, desperationis, aliarumque passionum motibus continue agitur? Quod quam verum sit clarus patet, cum scelerose illius conscientie stimulos, motus et cruciatus explicaverimus. *Aee*.

Perbelle locutus est divus Bernardus cum pravam hominis impiæ conscientiam, testem, iudicem et carnificem esse asseruit: *Ipsa est testis, ipsa iudex, ipsa tortor*. Ipsa quidem est testis

manu, a qua expectare debemus perseverantiae donum: *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei* (1 Pet. 5, 6). *Humiliamini*, cum tanta sint humilitatis bona et emolumenta. *Humiliamini*, cum tanta Christus vobis exhibeat humilitatis documenta et exempla. *Humiliamini*, cum tanta quoad corpus et quoad animam sit vobis vilitas, infirmitas et miseria. Heu! qui fieri potest, quod tot et tanta humilitatis motiva homines ad humilitatem non inclinent? *O mira cunitas*, inquit Doctor mellifluus, *o mira fatuitas cordis nostri, cujus elationem perfecte dirimere, cujus cervicicosus motus omnino domare humilitatis materia tanta non sufficit, quin adhuc superbiat terra et cinis*. O frater, si praefata omnia ad humilitatem sectandam te quomodocumque moveant, huic virtuti comparandae sedulo incumbere et media ad eam assequendam idonea totis conatibus assume. *Primo*, haec serio et saepe meditare, quae ad humilitatem sectandam te inclinare cognoscas, quia variis viis homines ad humilitatem Deus attrahit, et hanc viam quisque sequi debet, quia ad humilitatem se a Deo trahi cognoscet. *Secundo*, humilium te consortio adjuget, sicut enim qui *communicaverit superbo, induet superbiam* (Eccl. 13, 1), ita et qui communicaverit humili, induet humilitatem. *Tertio*, assuesce sustinentiae contumeliarum et eorum omnium quae idonea sunt ad humilianda hominum corda, quia, ut ait S. Bernardus, *humiliatio via est ad humilitatem*; si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliatonis. *Quarto*, humilibus te exercere officiis, exemplo Christi, qui pedes lavit discipulorum, et qui innumera humilitatis munera obivit; humilitas enim est virtus practica, quae iteratis humilitatis actibus comparatur; humilia te ergo in omnibus, et post mortem ad sublimes caeli thronos exaltaberis. Amen.

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

DE CONSCIENTIA MALA.

Motus magnus factus est in mari (Matth. 8, 24).

Nihil jucundius, nihil in corde dulcius, in terra nihil quietius et securius bona conscientia. Haec est templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aula Dei et habitaculum Spiritus Sancti. Haec damna rerum non metuit, non verborum contumelias, nec corporis cruciatus. Quomodocumque res evaniant, feliciter, infeliciter, etiamsi vel lapides pluat, etsi terra collabescat, etsi caelum ruat, bona conscientia sine metu est, in tuto est, segura est. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa quieta et segura est. Imo et quocumque adventiente casu, illa semper segura et tranquilla erit: *Haec segura erit, cum corpus morietur; segura, cum anima coram Deo presentabitur; segura, cum utrumque in die iudicii ante tribunal terrificum justi iudicis statuetur* (de int. domg, int. op. S. Bern.). O mirandam bonae conscientiae pacem, tranquillitatem, quietem et securitatem. At de mala et iniqua peccatoris conscientia longe aliter sentiendum et disserendum: nulla enim pena major est mala conscientia, in qua quia Deus non est, nulla consolatio, quies nulla, sed timor, tremor et inquietudo continua reperuntur. Malam hanc conscientiam motu maris delineatam in hodierno Evangelio videmus: quid enim mala conscientia, nisi *mare ferevens, quod quiescere non potest* (Isa. 57, 20); et quod timoris, desperationis, aliarumque passionum motibus contingit agitari? Quod quam verum sit clarus patet, cum scelerose illius conscientiae stimulos, motus et cruciatus explicaverimus. *Aee*.

Perbelle locutus est divus Bernardus cum pravam hominis impiam conscientiam, testem, iudicem et carnificem esse asseruit: *Ipsa est testis, ipsa iudex, ipsa tortor*. Ipsa quidem est testis

internus, qui hominem peccatorem de perpetratis peccatis continuo accusat; ipsa est iudex incorruptus, qui absque ulla personarum acceptione, cujuslibet status et conditionis peccatores, tamquam læsæ majestatis divinæ reos condemnat; ipsa est carnifex crudelis, qui peccatoris mentem flagellat, ejusque cor dire lacinat et cruentat. His sancti Bernardi verbis satis explicari videtur, quid sit mala conscientia, quæ munera obeat, quosque motus in hominis peccatoris anima excitet. Ut autem latius exploretur, quibus stimulis mala conscientia impiorum corda lacinat; quosque motus in eis excitet, ejus severitiam inspicio non solum ad præsens tempus, sed etiam tempore quo peccator morietur, a Deo judicabitur et in inferno torquetur. Et ideo ut omnia hæc tempora complectar, dico, quod mala conscientia 1. est *testis importunus*, qui peccatores accusat nunc et acrius accusabit in morte; 2. est *iudex severus*, qui peccatores condemnat nunc et severius condemnabit in die judicii; 3. est *carnifex crudelis*, qui peccatores torquet nunc et terribiliter torquet in inferno. Conscientia mala peccatores accusat et accusabit, condemnat et condemnabit, torquet et torquet. In tres istius concionis partes.

I PARS.

Conscientia mala est testis, qui peccatores accusat nunc, et acrius accusabit mortis tempore.

I. Nonnullos peccatores reperire est, qui in cathedra pestilentie, in peccatorum suorum firmeto, ac in umbra mortis sedent quieti, et quasi vera pace fruentes: peccavimus, inquit, et nihil nobis accidit triste; peccavimus, nec tamen mordentem et intus accusantem conscientiam sentimus et experimus. O perversam hujusmodi peccatorum pacem? Quæ quidem non est vera pax, imo extremus mentis stupor, vel portentosa in peccatis obduratio. Habent hi cauteriatam conscientiam: hi insensibiles sunt, ac maligna et periculosissima fruuntur pace. Sicut

enim qui inter procellas dormit, propior est periculo, quam qui vigilat, ita peccator, qui conscientia motus et stimulus non sentit, magis periclitatur, quam qui illos experitur; unde ait D. Hieronymus: *tranquillitas illa tempestas est*. Pessima hæc tranquillitate pauci fruuntur peccatores; pauci mordentem et intus accusantem non sentiunt conscientiam, quia eo ipso, quo homo in grave quoddam lapsus est peccatum, conscientia ejus fit testis importunus, eum semper et ubique accusans ac adversus illum indesinenter testificans. Hæc est testis, quem ubique circumfert peccator, cujus accusationem et testimonium nequaquam evadere potest: *Omnia potest homo fugere præter seipsum: quocumque fugerit, semper eum conscientia sequetur* (S. Bern. in Cant.). Prava ubique peccatorem sequitur conscientia et ubique illum accusat: in domo et in foro, in templo et in diversorio; dum orat, dum ladit, dum epulatur, dum stat et dum ambulat, semper circumfert testem illum internum, qui patratæ scelera ei continue objicit et exprobat: *Intus habet agentem conscientia accusatorem et hunc ubique circumfert* (Chrys. ho. 8 ad pop.). Deo in voluptatis paradiso ambulanti et quærenti ab Adamo ubi esset; *Adam ubi est?* respondit protoparens noster: *Vocem tuam audiui in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me* (Gen. 3, 10). Suavis erat, amica erat, paterna erat vox Dei Adamum alloquentis; paradisi etiam erat locus voluptatis, in quo nullus iudex, accusator nullus adhuc visus erat; et tamen Adamus, auditis duabus his vocibus blande et suaviter prolati: *Ubi es? pavei, fugit, seque abscondit*. Causam rogatus, hanc preterit: *eo quod nudus essem*. Falleris, heu! falleris; non eo quod nudus esses, sed eo quod peccator esses, et quia conscientia quasi testis et accusator importunus, intus redarguebat, increpabat et accusabat. *Quare, dic, oro, quare timuisti? quoniam videbat sibi truce stare accusatorem, conscientiam dico; neque enim alium objurgatorem habebat et testem peccatorum, quam unicum illum, quem intus circumferebat* (Chrys. homil. 17 in Gen.). Ecce testem importunum, a quo intus accusatur Adamus, et ecce testem inevitabilem, a

quo fere omnes acensantur peccatores. Mox ut aliquis in enorme quoddam incidit peccatum, statim insurgit ille testis, inclamans et ostendens magnitudinem criminis. Nec solos plebeios arguit: ipsos reges, imperatores, pontifices et omnes eminentioris dignitatis personas. Velim quod scelus perpetraverint in mediis noctis tenebris, in intro, in silva, in loco remotissimo et omnibus hominibus inaccesso, ipsa testis unus erit pro mille, qui continue peccatorem objurgabit et perpetrati criminis accusabit; nec talem testem qui fugere potest: *Fugere non potes conscientiam tuam amarulentam accusatricem*. Postquam crudeli fratricidio manus suas eruentavit Cain, timor et tremor venerunt super eum, ac vagus et profugus secessit in terram Edom. Fngit Cain, nemine persequente; ubique timet, ubique trepidat, nusquam quietus, nec domi nec foris, nec diu, nec noctu; quia intus habet mordentem et accusantem conscientiam. Eodem prorsus modo, inquit Chrysostomus, quisquis fornicatione corpus fodavit, quisquis adulterio thorum alterius denigravit, quisquis proximi bona inique abstulit, pupillos oppressit, vel aliud quoddam scelus perpetravit, conscientiam intus stimulantem sentit. Frustra obscuram declinat cubiculum, frustra aedes sacras fugit, frustra ad terras externas commigrat, ut illic pace fruatur et securus vivat; nam nulla ullibi ei pax, nulla securitas, cum semper circumferat testem impertunum et amarum accusatorem, conscientiam scilicet, quæ eum ubique accusat. *Obambulabat, amarum accusatorem circumferens conscientiam* (Chrys. hom. 3 de verb. Isa.). Conscientia est testis a Deo prepositus et delegatus ut peccatores quosque accuset, illos ideo ubique sequitur: et sive in cubili decumbant, sive in mansa opipare apulentur, sive domesticæ intersint, sive ludis mentem alio vertere conentur, domesticum illum testem a Deo legatum undequaque circumferunt et ab eo accusantur. Nunquam illos deserit infernus et domesticus ille testis: *Quocumque vado, conscientia mea non me deserit, sic sic in domo propria, et a propria familia habeo accusatores et testes*. O testem terribilem! o formidandum accusatorem! *Qui peccatores acrius etiam arguit, instante mortis tempore.*

2. Tunc sane conscientia in peccatores magis exardescit, omniaque toto vitæ tempore perpetrata scelera, quasi monstra horrenda menti eorum objicit. In memoriis eorum revocat singula crimina quæ fecerunt, personas cum quibus peccaverunt, loca et tempora in quibus corpus et animam inquinaverunt. Tunc acrius arguit et increpat eos conscientia, dicens: *o peccator, hæc et illa patrastrî crimina, hæc et illo loco, eum tali et tali persona, hoc et illo tempore: Arguet te malitia tua et increpabit te* (Jerem. 2, 19). Rex Anthiochus morti proximus, *vocavit omnes amicos suos et dixit illis; recessit somnus ab oculis meis, et cecidi, et corruî corde præ sollicitudine, et dixi in corde meo; in quantum tribulationem deveni et in quos factus tristitia, in qua nunc sum, qui juvenis eram et dilectus in potestate mea!* (1 Mach. 9). Unde huic regi terribilis illa tristitia quæ eum dormientem occidebat, et morientem obruerat? a prava utique conscientia, quæ eum intus accusabat, illicque præterita scelera in memoriam revocabat. *Nunc vero reminiscor*, inquit, *malorum, quæ feci in Jerusalem: unde et abstuli omnia spolia aurea et argentea, quæ erant in ea*. Quasi dicat: morere et tristitia obrutor ob ea quæ perpetravi scelera, quorum horrendam ideam menti meæ continue objicit scelerosa conscientia. Intus mordet, intus lancinat, intus accusat, commissa intus exprobrat crimina; ac ita acriter me arguit, ut vix accusationum ejus pondus et acerbitatem ferre valeam. O quam acriter morientem hunc principem accusavit conscientia! Equidem multa his similia conscientie acerrime peccatores morti proximos arguentis habemus exempla. Nonne Saul jam moriturus Amalecitate cuidam clamat: *Sia super me et interfice?* Cur cito vult interfici et præoci morte perire, nisi ut scelerose conscientie acerbis illas declinat accusationes et increpationes, quæ illum dire cruciant et ad angustias redigunt: *Quoniam tenent me angustiae?* Nonne Henricus Angliæ rex, teste Sanderò, imminente mortis hora, sibi videre videbatur cubile, cui decumbebatur, religiosus illis circumdatum, quos inique morti adjudicarat? Unde hoc, nisi a testificante et accusante intus

conscientia, quæ illi exprobrabat, quod viros pietate insignes morti tradidisset. Nonne Constantius, Græcorum imperator, post illam fratri necem, ita ab intus moriente et accusante conscientia turbatus est, ut ubique jam mortuum videre crederet fratrem, crateram sanguine plenum manu gestantem, ac ei dicentem: *Bibe, bibe, frater*. Ad quid autem multa hujus rei exempla congeram? Non enim hunc solum, aut illum, sed omnes penitus peccatores, instante mortis hora, conscientia acerrime accusat. Tunc præterita omnia quæ patrarunt crimina, velut terribilem exercitum, in conspectum eorum adducit. Vellent hi suorum obliuisci scelera; optarent horrendas criminum suorum imagines e mente delere, at conscientia indesinenter eos accusat, eorumque crimina illis semper in memoriam revocat. O terribilem testem! o testem mille aliis testibus terribiliorem! O quam miseri peccatores, qui importunas testis illius accusationes sistere et sopire non curant! O peccator, vis ut intus non accuset conscientia? Accusa teipsum in sacro penitentia tribunal. Vis non audire accusantem et intus oburgantem conscientia testem? Esto tu adversus teipsum testis accusa teipsum: tua confessorio pande scelera, eaque et coram ipso, et coram Deo detestata. Sic sic silentium impones conscientia, quæ est testis qui accusat: *ac etiam iudex qui condemnat*.

II. PARS.

Conscientia mala est iudex, qui peccatores condemnat nunc, et severius condemnabit in formidando iudicii die.

1. Sibi sæpe suadere conatur peccator, levia, nulla, aut non necessario confitenda esse peccata, quæ perpetravit. Seipsum decipere vult, ac falso et erroneo iudicio firmum et indubitatum tenere, quod quæ fecit crimina, virtutes potius, quam crimina dicenda sint. At veritas se quocumque voluerit peccator; peccata sua virtutis minio operiat quantum placuerit; sibi ipsi

aduletur; ac se ut non peccatorem inspicere conetur; incorruptum semper habet intus iudicem, qui æquissimam in illum sententiam fert; illumque ut peccatorem et reum accusat, iudicat et condemnat, ac intus indesinenter clamat, eum esse criminis et mortis reum: *Ipsa accusat, ipsa iudicat, ipsa condemnat*. Ubique timet, ubique trepidat gravis eujusdam criminis reus: *Sonitus terroris semper in auribus illius; et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur* (Job. 15, 21). Si pestis viciniam invadat, si micent fulgura, si tonitrua mugiant, subito expavescent peccatores.

*Hi sunt qui trepidant, et ad omnia fulgura pallent
Cum tonat, exanimis primo quoque marmure celi.*

(Juv. sat. 13).

Timebat Cain, existimans homines undique armatos incidere ad illum occidendum, et ideo dicebat: *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me* (Gen. 4, 14). Trepidabant similiter formidolosi *Ægypti*, de quibus in libro Sapientia (c. 17) dicitur, quod ad sonitum saxi cadentis, ad vacce mugitum, ad jucundum aquæ murmur, ad gratissimos zephyri sibilos, ad suaves volucrum cantus expavescebant. Idem de omnibus peccatoribus asserit aureus orator dicens, quod *umbras tremunt, omnem strepitum timeant, et quenque existimant contra se venire* (hom. 8 ad pop.). Cur, quasso, tanto peccatores timore quatiantur? Causam adducit Chrysostomus dicens, sic trepidare peccatores, quia intus habent incorruptum iudicem, conscientiam scilicet, quæ adversus illa insurgit, accusans et condemnans eos, ut reos criminum quæ perpetrarunt: *Incorruptus iudex conscientia, cum adversus hominem exurgit, clara voce clamat et accusat* (hom. 17 in Gen.). Apud Plutarchum de Besso legitur, quod cum patrem obruncasset, diuque scelus ejus latuisset, ad cenam vocatus, garrularum nidum hirundinum hasta dejecit. Rogatus, cur hunc dejecisset nidum? *Non auditis*, inquit, *hirundines adversum me loqui ac testari, me esse patris interfectorem*. Fallebatur impius ille, non enim ab hirundinibus, sed intus a propria conscientia, ut a iudice

incorrupto accusabatur et condemnabatur: *Incorruptus iudex conscientia clara voce clamat, et accusat*. De homine quodam, qui praedivitem mercatorem clam obtruncarat et spoliarat, refert Lobetius, quod intus audiret obmurmurantem conscientiam, ac continue dicentem: *Occidisti, occidisti*. Cumque quodam die ei pransuro vituli caput apposisset mulier, statim exhorruit, expalluit, totusque contremiscens uxori dixit: *aufer, aufer hoc caput humanum*: vultum enim hominis occisi sibi videre videbatur. Ast falebatur: nam nec internam vere audiebat vocem, nec occisi mercatoris vultum cernebat; internum habebat iudicem conscientiam, qui adversus illum indesinenter sententiam ferebat, dicens: *Occidisti, occidisti hunc mercatorem*. Tu es ipse homicida, ut es homicidii illius reus, et ideo aeterni supplicii reus. O quam terribile est conscientiae iudicium; quod ille homo non declinavit, nec ullas peccator effugere potest. Quocumque vadat, quocumque fugiat, formidandum semper conscientiae iudicium subibit. Hominum vitare potest iudicia: conscientiae propriae iudicium declinare non potest: *Humana iudicia potest subterfugere male agens; sed non iudicium conscientiae* (D. Greg. Mor. 17, 8). Intra se dicit nonnumquam peccator, ignotum est omnibus peccatum, quod perpetravi: omnes penitus homines latet: et ideo impossibile est, quod quis adversum me testimonium ferat. Etsi vero, inquit, plures adessent testes, scio quid faciam, ut non loquantur: modo unum verbum proferam; nullus unquam in me insurget testis: pecuniis obituro ora eorum; nullusque iudex erit ita incorruptus, qui adversum me sententiam dicat. O stulte? a nullo putas teste accusari, a nullo iudice condemnari? Falleris: internum enim habes testem, a quo continue accusaris, et internum iudicem, a quo condemnaris. Conscientia enim ut testis importunus te continue accusat, et ut iudex severus te indesinenter condemnat: *Putas tibi prodesse, te non habere conscium, cum conscientiae quotidianam sentis perpetuumque iudicium?* Nonne internum hunc audis iudicem adversum te sententiam proferentem? Nonne pravam, sceleratamque tuam conscientiam intus obmurmurantem sentis? Nonne muta voce in aure cordis

clamat: tu talia et tanta scelera perpetrasti? Nonne tibi dicit: quia graviter peccasti, gravia mereris supplicia, ad quae Deus haud dubie te condemnabit? Dic, quaeso, nonne tales adversus te sententias conscientia profert? Nonne sic te iudicat et condemnat severus ille iudex? Sic sane clamat, sic iudicat et sic in te fert iudicium condemnationis: *Dat testimonium condemnationis: semper enim praesumit secula perturbata conscientia* (Sap. 17, 10).

2. O quam terribilis ille iudex; o quam severe peccatores in hoc mundo condemnat! quam severius adhuc in illos sententiam dicit in tremendo extremi iudicii die! Tunc speciales omnes iterabit sententias, quas in peccatores tolerat, dum in hoc mundo viverent; novamque et terribilem in eos simul cum Christo sententiam pronuntiabit. Cum peccatori dicit Christus: *Esurivi et non dedisti mihi manducare*; dicit et conscientia, verum est quod esurientibus non dederis panem, quo vescerentur. Cum peccatori dicit Salvator: *Sitivi, et non dedisti mihi potum*; *hospes eram et non collegisti me*; obmurmurabit et conscientia intus dicens; certum est, quod sitientibus potum, et peregrinis hospitium denegaveris. Cum conqueretur de peccatore Christus, ajens: *Nudus eram, et non cooperuisti me*; *infirmus et in carcere, et non visitasti me*, dicit conscientia: verum est quod haec et alia multa perpetraveris scelera, quibus dignus es qui ad inferni supplicia condemneris; ergo discede maledicte: vade in infernum, aeternum cruciandus. Omnes peccatores unica sententia ad inferni supplicia Christus condemnabit, dicens: *Discedite a me maledicte in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*: at seiva conscientia, cuique propria exprobrans crimina, quoque etiam speciali sententia feriet. Luxurioso dicit: quia foedis te toties conquinasti libidinibus, nec ante mortem tuorum poenitentiam peccatorum agere voluisti, *vade in ignem aeternum*. Avaro intus dicit: quia pauperem et viduum facultatibus spoliasti: quia aliena inique rapuisti, nec ea restituere voluisti, *vade in ignem aeternum*. Ebrioso dicit: quia te toties vino ingurgitasti, plusque gulae, et ventri quam Deo placere studuisti, *vade*

in ignem aeternum. Sic sic in quolibet peccatores sententiam dicit conscientia. Nonne severus ille iudex? Nonne terribilia ejus judicia? Terribilia quidem: proinde ut illa vitare valeas, ad prudentes vade confessarios, ut ab iis sententiam absolutionis habeas. O quam melius est a peccatis in hoc mundo abstinere, vel ea salutaris penitentiae baptismo delere, quam internum semper gerere iudicem conscientiam, et in tremendo Dei iudicio ab eodem iudice argui, increpari et ad aeterna supplicia condemnari? O quam optabilis est, absolutionis sententiam in hoc saeculo a sacerdote audire, quam condemnationis iudicium a seiva conscientia in generali iudicio prolatum subire? O quam suavius est, aliquantulum ruboris coram prudenti confessario nunc tolerare, quam tunc et a Christo et a conscientia ad aeterna inferni tormenta damnari? Age nunc peccator, a peccatis abstinere, ac salubribus penitentiae operibus te serio accinge, ut utriusque hujus iudicis terribilem sententiam devites: *ac etiam ut tecum conscientia minus carnisficis non obeat.*

III PARS.

Conscientia mala est carnifex crudelis, qui peccatores torquet nunc, et terribilius torquet in inferno.

1. Conqueruntur nonnumquam viri justi de prosperitate impiorum, quos in hoc mundo magna felicitate gaudere, nec quidquam sinistri pati arbitrantur: *quare, inquam, via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui praevicantur, et inique agunt?* (Jer. 12, 1). Fallimini, inquit Augustinus, fallimini, o viri justi, nec probe nostis, qui sit via Dei super peccatores; audivi enim saepe Isaiam dicentem: *Dicite justo quoniam bene* (Is. 3, 10); non tamen idem audivi de peccatoribus. Imo de iis dicitur: *vae impio in malam* (ser. 28 de verb. Ap.): qua ratione ergo dicere audetis: *bene est omnibus qui praevicantur?* Nequaquam ita est, ait Au-

gustinus, quia in mediis divitiis et deliciis peccator habet in secreto cordis sui tortorem conscientiae suae, a quo dirissime cruciatur. Si quis haberet in culiculo tortorem carnis, non bene ei esset, nec de illo diceretur, omnia ei prospere cadere; quanto minus de impio dicendum, eum felicem esse, omniaque illi esse prospera? Non sic de illo censendum; infelix enim nimium impius, quia intus habet tortorem conscientiam, a qua indesinenter et crudelissime torquetur. Sicut in pomo sub vernanti cortice saepe latet rodens vermiculus; sicut etiam intra statuum exterius deauratam et ornatum rodentes saepe delitescunt vermes et turpes araneae, ita inter saeculi divitias et delicias circumferunt impii internum tortorem conscientiam, a qua roduntur, lacerantur, ac tam dire cruciuntur, ut inter omnes hujus mundi poenas nulla gravior videatur illa, quam a conscientia sua perferunt peccatores: *inter omnes tribulationes humane vite nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum* (S. Aug. in ps. 45). Quod reo est carnifex, id peccatori est conscientia: hoc tamen discrimine, quod ille mortale corpus laceret et cruentet, ista vero immortalem animam flagellet et torqueat. Nec credas, levia esse supplicia, quae impio scelerata infligit conscientia: haec etenim est occultus tortor, qui intus animum dirissime flagellat, et a quo peccatores in animo gravius, quam rei in corpore vapulant. Imo nulla poena gravior, inquit divus Ambrosius, quam quae a domestico illo carnifex peccatoribus infligitur; mallet enim mortem obire, quam cruciamenta a crudeli hoc tortore causata diu perferre: *quare poena gravior est, quam interioris vulnus conscientiae? Nonne hoc magis fugiendum est, quam mors?* (Off. 3). Tanta in multis peccatores interni illius tortoris fuit tyrannis, sevitia tanta, ut aliqui tam immanes cruciatus ferre non valentes laqueo se suspenderint; alii ense pectus transfixerint; in altis abyssos se precipites dederint alii; et alii proprios adherint iudices, suaque eis manifestarint crimina, rogantes, ut cito mortis sententiam dicerent: arbitrati ipsi suavius futurum semel cruenta carnificis manu petire, quam inter continuis praevae conscientiae cruciatas

diu vivere. Nec mirum si mortem appetierint hujusmodi viri, quia vita eorum ipsa morte erat amarior, imo et mors continua erat. Hoc de seipso confessus est Tiberius; qui cum continuis conscientia morsibus intus laceraretur, mortem sibi optavit; addens se quotidie mori, ob gravia quae a conscientia patiebatur tormenta: *Dii me perdant, quem quotidie perire sentio.* Hoc idem confessus est Flaccus, de quo refert Philo, quod dicere solitus esset, se ob eruentos conscientiae cruciatus quotidie mori: *jam in horas praeparior, multas sustinens mortes ante ultimam.* Hoc, et plurimi faterentur peccatores, si verum dicere vellent: conscientiam enim circumgestant veluti dirum carnificem, qui eos continue laemat, flagellat, et ad ultimas angustias relinquit: *tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (Rom. 2, 9). O formidandum carnificem, quo nullus adversus peccatores in hoc mundo saevior! *et qui in illos dirctus et acerbius servit in inferno.*

2. Moriuntur criminum conscii, moriuntur complices, moriuntur omnes in hoc mundo: at vermis conscientiae non moritur; usque in aeternum in corde impii vivet, ut illum torqueat: hic erit carnifex perpetuus, a quo peccator dilaniabitur, discerpetur, et crudeliter semper torquebitur: *ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguatur* (Marc. 9, 44). Dum impiorum corpora sempiternis cremabuntur ignibus, carnifex conscientia corda eorum suo modo cruciabit: illosque ita torquebit, ut in desperatissimam rabiem eos agat. Seva conscientia in cuiusque memoriam revocabit quaecumque illi dolorem et merorem causare poterunt. Cuique eorum exprobrabit, intus dicens: o stulte, potuisses si voluisses, momentaneo labore aeternam gloriam tibi comparare, et noluisti. O insensate, pro volatili gloria fumo et pro foedissima carnis voluptate immensas dignitates et immortales perdidisti voluptates. Praedixi, monui, vellicavi, nihil profeci: et quia monitis meis obtemperare renuisti, procul nunc a te honores et voluptates beatorum, ad quas omnis tibi interceptus est aditus. O soletatissime, damnatus es, quia damnari voluisti; cruciarius, quia tuos tibi parasti cruciatus; a vultu Dei projectus es, quia te-

ipsum ab illo avertisti; non aliena, sed tua culpa periisti. Clama, ulula quantum volueris, nunquam ad caeleste regnum intrabis; in aeternum in medijs tartari ignibus cruciaberis. Haec sunt cogitationes, a quibus cruciabantur impii in inferno; hic est vermis, a quo indesinenter rodentur, et carnifex, a quo in sempiternum torquebuntur. Dum in hoc mundo vivit peccator, oblatrans conscientiae morsu declinare, aut delinire conatur, nunc legendo, nunc confabulando; jam labore, jam somno; modo ludis, modo comessionibus. At in inferno nulla ei erit quies, nullus somnus, comessiones nulla, nulla ludorum genera, nullaque consolatio: diu noctaque ab interno conscientiae laniabitur carnifex, qui in aeternum illum cruciabit: *vermis eorum non morietur* (Is. 66, 25). Finxere poetae, Titium insano amore captum, ad inferos damnatum, ubi assiduo morsu vultur viscera ejus depassitur; *nec fibris requies datur alla renatis* (Virg. 6 Aeneid). Quod fabulosum figmentum ad mores traducit Macrobius, dicens, per vulturem immortale jecur rodentem, intellexisse poetas male conscientiae tormenta, quae immortalia et aeterna sunt: iis etenim semper laniantur et cruciantur damnati: hic est vermis, a quo intus semper roduntur; hic est internus carnifex, a quo aeternum duratura iis supplicia infliguntur. O quales et quantos ab hoc carnifex cruciatus in inferno perferunt damnati! Quis similibus non timeat addici supplicia? Timeo, trepidate, et fortiter laborate, ut ab illo torture causata supplicia declinetis. Quod ut facere valeatis, omne peccatum a vobis procul pellite. *Deponentes omne pondus et circumstantia peccatum* (Heb. 12, 2). Tollite peccatum e medio vestri, et tunc tortorem hunc tollitis. De juvene quodam refert Savonarola quod cum subita et inopinata morte corruerit, corpus aperiunt medici, rimantur jecur, pulmones, splenem, nilque vitii invenientes, intima cordis scrutantur, in quo vermem rodentem inveniunt, qui in amarum succum ex cepis, aliisque expressum conjectus, statim exspiravit. Conscientia mala vermis est intus rodens et excarnificans: *vermes crudeles mordebunt intima cordis* (S. Bernardin. de anima 1, 5); ut autem hic vermis extingatur, amaro doloris et poenitentiae

succo, seu amarum penitentiae lacrymis est aspergendus. O si sciremus, quam crudelis sit ille conscientiae tortor! Certe deponeremus onus peccati, amarum lacrymis vermem illum extingueremus; ac dura quaevis penitentiae opera hilari animo suscipereamus, ut tam immanis tortoris saevitiam evaderemus. Vel forte, seniori adherentes consilio, immani hoc verme et crudeli illo tortore ut medico uteremur ad sanandas animae nostrae infirmitates. Conscientiam pravam non solum testem, iudicem et tortorem esse dicit S. Chrysostomus, verum etiam medicum optimum, qui non cessat sua apponere medicamenta, quamvis a peccatoribus saepe repellantur; *quasi medicus optimus, non cessat sua medicamenta apponere, et si semel depellatur, neque sic desistit, sed continuam curam gerit* (ho. 17 in Gen.). Tortorem hunc in medicum assumit, cumque internis vos stimulis cruciabit, his stimulis ad vestram conversionem utimini, dicentes intra vos: volo ab his stimulis liberari: quod ut faciam, onus peccati deponam, mea omnia confitebor scelera, amarum veri doloris lacrymis ea delebo, ac aeternum iis vale dicam. Hoc si agatis, conscientia non vos accusabit nunc et in hora mortis, non condemnabit vos nunc et in die iudicii, nec vos nunc et in inferno quomodocumque torquet; quin contra nunc et in morte pro vobis testimonium dicit, nunc et in formidando Dei iudicio per vobis stabit, nec unquam saevi in vos tortoris fungatur officio, sed internis in aeternum vos consolationibus et deliciis afficiet. Amen.

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

DE SOCIETATE MALORUM.

Sinite utraque crescere usque ad messem (Matth. 13, 30).

Præclaram nec non utilissimam in hodierno Evangelio Christus proponit parabolam de homine quodam, qui bonum

semen in agro suo seminaverat. Cumque ad illum venissent servi ejus dicentes, inimicum hominem supereminasse zizania, ac ab eo petissent, an gratum sibi foret, si ipsi colligerent zizania; *vis, inus, et colliginus ea?* respondit ille; *non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem.* Haec zizaniorum cum bono semine commixtio, denotat haud dubie malorum hominum cum justis et probis in hoc mundo admixtionem. Vult enim Deus improbos et peccatores hic cum probis crescere usque ad messem, seu usque ad extremi iudicii diem in quo terribilis fiet separatio zizaniorum a bono semine, jubebitque Deus, ut zizania, seu peccatores in fasciculis ligati in infernum comburendi projiciantur; *alligate ea in fasciculos ad comburendum.* De terribili hac improborum a probis separatione, quae in die iudicii fiet, non est modo dicendum; solummodo de eorum societate et mixtura in praesenti vita, dum simul vivunt et crescunt usque ad messem. Ave.

Triplex magnus Dei est ager (1); coelum scilicet, infernus, et iste mundus sublanaris. *In coelo* nonnisi bonum semen; *in inferno* nonnisi malum, *et in isto mundo* bonum semen habetur mixtum zizaniis. In coelo nonnisi boni et sancti, quia in caelestem patriam non intrat quid coinquinatum; *non intrabit in eam aliquid coinquinatum* (Apoc. 21, 27). In inferno, nonnisi mali, quia non boni, sed mali in infernum aeternum cruciandi mittuntur. *Ibant hi in supplicium aeternum* (Matt. 25, 46). Hoc tandem in mundo boni sunt malis permixti, quia in eadem civitate, in eadem familia, imo et in eadem domo inveniri solent humiles et superbi, casti et luxuriosi, benefici

(1) Cum nomen *agri* ideam exhibeat loci, qui soli et ex quo fructus percipi potest, ejusmodi non sunt neque coelum, quod positus horreo comparatur in Evangelio, neque infernum, ubi sempiternus orror inhabitat; ideo hoc loco dicendum videtur, triplex esse magnus Dei dominium, vel regnum. Quamvis enim omnia Dei sunt, et ubique regnet et dominetur, speciatim vero Deus in coelo regnat sua bonitate, in inferno sua justitia, in mundo bonitate simul et justitia.

et malefici, boni et mali, quos Deus simul vivere et simul crescere sinit; *sinite utraque crescere, usque ad messem*. Ex illa honorum cum malis in hoc mundo commixtione occasionem summam tres proponendi questiones, quarum resolutio totam istius concionis materiam subministrabit. *Prima* est, cur Deus malos hic in terris diu vivere sinat? *Secunda*, cur Deus malos in bonis permixtos esse velit? *Tertia*, quomodo se gerere debeant boni, qui hic inter malos mixti vivunt.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

I PARS.

Cur Deus malos in hoc mundo diu vivere sinat?

Quod dixerunt et voluerunt servi, de quibus in hoc Evangelio, de zizanis, hoc idem dixerunt et voluerunt, dicunt et volunt etiamnum multi viri pii, qui nimio succensi zelo, omnia zizaniam, seu omnes peccatores eradicare, et de hoc mundo tollere vellent. Vix capere poterat Habacuc propheta, quomodo Deus, qui peccatores odit, eos tamen in hoc mundo diu vivere pateretur, et ideo Deum alloquens dicebat: *quare respicis super iniqua agentes, et taces decorante impio justiorum se?* (1, 13). Nonne ipse vates regius aegre pati videbatur, quod peccatores in hoc mundo diu viverent, ac in eo gloriarentur? Nonne ad Deum clamabat, *usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriantur?* (Ps. 93, 3). Eadem aliorum multorum sanctitate illustrium virorum fuit querela, Deus tamen peccatores in hoc mundo diu vivere sepe sinit propter graves rationes: *prima* est ut clementiam suam commendet; *secunda*, ut iustitiam suam manifestet; *tertia*, ut potentiam suam patefaciat.

1. Narrat S. Dionysius Carpum (in ep. ad Demoph.), quendam, ardentem succensum zelo a Deo pluries enixe petiisse, ut duos quosdam pessimos viros e medio tolleret et occideret. Ut autem Christus ei demonstraret, quam inordinatus esset ejus zelus, per somnium ei apparuit eique manifestavit ingentem hiatum, in cujus ore suspensi erant duo illi magni peccatores tremantes, ad quos

ascendebant immanes ex hiatu serpentes, ut eos involverent, eosque secum in barathrum traherent; Carpus autem suo accensus zelo gaudebat, quod duo hi peccatores in imminenti versarentur ruinæ periculo, et quasi dolebat, quod mox in barathrum non deciderent. Tum sursum vertens oculos, vidit Christum suam porrigentem illis dexteram, ac dicentem, se paratum ad sanguinem etiam pro immanibus hisce peccatoribus rursus fundendum; *paratus sum rursus salutis hominum causa mortem perpeti*. Ecce quam diversa sint Dei et hominum judicia; multi enim homines optarent, ut mox perirent famosi quique peccatores. Cur, inquit, sinit Deus iniquum illum judicem in hoc mundo vivere? Cur non e medio tollit hunc usurarium, qui viduarum et pupillarum bona quotidie auferit? Cur tot impudicos, tot sacrilegos, totque alios peccatores, igne e coelo misso, non absunit, et ad tartara mergit? Sic ratiocinari solent homines; verum non sic ratiocinatur Deus: ipsius enim tanta clementia, ut peccatores perdere nolit mox ut in grave aliquod peccatum inciderunt. Vult, sciunt homines, tantam esse suam clementiam, ut non solum illos non perdat mox ut peccaverint, verum et paratus sit ad sanguinem suum pro illorum salute rursus fundendum. Majore Deus in homines, quam in angelos peccantes utitur clementia; mox enim ut peccaverunt angeli, e caelo ejecti sunt et in infernum præcipitati. Quoad homines peccantes major est Dei clementia, quia eos non statim interimere, nec statim interficere solet; eos diu vivere sepe sinit, ut det illis spatium penitentiae. Sicut enim sanctorum Ecclesia, ut suam in peccatores manifestet clementiam, eos excommunicatione non ferit, quin prius eos his, ter, vel pluries monerit, ita clementissimus Deus non subito procedit ad damnationem impiorum; atque ut suam in illos manifestet clementiam, eis longioram vitam sepe tribuit, eosque per se, per angelos, et per concionatores pluries monet, antequam aeternæ damnationis excommunicatione feriat. Non ergo sine ratione Deus peccatores in hoc mundo diu vivere sinit, cum hoc faciat ad ostendendam clementiam suam, ac etiam ad manifestandam iustitiam suam.

2. Si quotiescumque quis in grave peccatum incidit, Deus in infernum mox illum detruderet, non deessent qui dicerent; severa nimis Dei est iustitia; Deus, qui novit poenarum infernalium atrocitatem et eternitatem, nimis severe agit in homines infirmos; ipse qui novit filamentum nostrum, non tam cito plectere debeat homines peccantes. Propterea Deus, ut hominum obturet ora, utque suam manifestet iustitiam, seu ut sciant et dicant omnes eum iustissime damnare malos, non illos ex hoc mundo eripit et ad inferni supplicia condemnat mox ut in gravia peccata ceciderunt; eos aliquamdiu, et sepe diu vivere sinit, ut convertantur. Sterilem et infructuosam ficum non mox succidi imperavit Christus, tribus annis expectavit, ut viderent et faterentur omnes, eam merito succidendam, cum jam a tribus annis nullus fructus odidisset. *Ecce tres anni sunt, ex quo venio querens fructum in ficulnea hac, et non invenio: succide ergo illam* (Luc. 12). Sic sinit Deus arbores infructuosas, seu homines per peccatum steriles diu in hoc mundo vivere, ut quisque dicat, cum damnantur, iuste damnari, nec de Deo conqueri posse, quia Deus dedit eis tempus poenitentiae, qui si poenitentiam non egerunt, non per Deum, sed per ipsos stetit. Deus ergo peccatoribus longevitatem concedit, ut suam manifestet iustitiam, *ac etiam ut potentiam suam patefaciat.*

3. Sinite eos crescere, inquit Deus; quousque vero illos crescere sines Domine? usque ad messen, inquit, seu usque ad mortem. Si enim ante mortem conversi minime fuerint, tunc eos de terra viventium eradicari jubet; quumque antea clementiam suam ostenderit expectando eos ad poenitentiam, postea suam patefaciet potentiam gravissimis eos afficiendo suppliciis. Si principi cuidam nunties, apros aut cervos esse in proxima silva, non illico ad vegetationem et ad praedam se accingere solent; ad enim, sinit eos comedere et vagari, quantum voluerint; nostras non effugient manus, quia spatiosa est terra nostra, nec extra illam discedunt; suo tempore expandemus retia nostra, eosque capiemus et mactabimus. Pari modo, novit Deus innumeros in mundo esse peccatores, quorum mores ferini

et belluini; scit ipse eos fertilem Ecclesiae agrum vastare, nec tamen mox illos e medio tollit; sinit eos vivere, crescere, et impinguari. Salteti, ludant, iniqua gerant, quantum volent, tacet Deus; tandem aliquando exurgit, utque suam ostendat potentiam, illos dirissime plectet. Sua tandem Deus expandet retia, ut illos capiat, *expandam super eos rete meum* (Ossee 7, 12), et postquam in interitu eos cepit, potentiam suam patefaciet mergendo eos in infernum, dirissimisque eos suppliciis afficiendo. Criticus quidam et mordax vir, nomine Eupolas, in ipsum etiam Alcibiadem, Atheniensium principem, mordacissimos versus componere et pervulgare portentarat. Acceptam ab hujusmodi viro injuriam aliquandiu dissimulavit princeps; tandem die quadam deprehensus Eupolas, in mare demersus est jussu principis, dicentis; *tu me in scena siepe mersisti. Eupole: ego te senel mergam* (Chavass. lib. prud. 2, 7). Deus peccatori, a quo, tandiu lasus est, idem aliquando dicit. O impie, inquiet Deus, tu me sepe in hac mundi scena mersisti: tu me pluries blasphemis aliisque injuriis affecisti, tu in me gravia perpetrasti crimina, et tacui, patiens fui, meaque clementiae tibi semper magna testimonia exhibui. Jamvero quia clementiae beneficia despexisti, jam advocabo potentiam meam, ut te dire plectat: jam te in infernum mergam, aeternum cruciandum. O peccatores, ad Dei clementiam nunc avolvate: vobis praesto est, sua vobis nunc offert beneficia. Clementissimus ille Pater vos modo ad poenitentiam vocat, gratiam conversionis vobis non denegat; gratiam et gloriam vobis pollicetur, si ad eum venire et converti vultis; ergo derelinquite vias vestras, et ad Deum convertimini. Ne oblata vobis a Deo gratia abutamini; convertimini, dum clementiae divinae sol vobis luget; quia si ante mortem non convertamini, non effugietis manus Dei; vos ipsi experientiam quomodo potentissima manu sua vos in inferno plectet et cruciabit. Septem fratrum Machabeorum minimus Antiocho, cujus imperio necabatur, dicebat: *Tu vero, qui inventor omnis malitiae factus es in Hebraeos, non effugies manum Dei* (2 Mach. 7). Hoc idem vobis dico, peccatores: non sine causa vos Deus in hoc

mundo diu vivere sinit; hoc sane permittit, ut clementiam et iustitiam suam vobis in praesens patefaciat; si iis abutamini, non effugietis manus ejus, quia est alia causa, propter quam vos hic diu vivere permittit, ut scilicet potentiam suam manifestet, utque durius vos puniat in inferno, si modo clementia ejus abutamini. Ecce rationes, propter quas Deus peccatores in hoc saeculo diu vivere sinit. Videamus, *cur Deus peccatores simul cum justis vivere velit?*

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

II PARS.

Cur Deus malos bonis commixtos esse velit?

Sicut in alio saeculo boni a malis sunt separati, magnumque inter utrosque intercedit chaos, ita et congruum videretur, ut etiamnum insali cum bonis haud essent mixti, sed invicem separati viverent, tum ut mali bonos ad iniqua non traherent, tum ut quisque nosceret, qui sunt boni et qui mali; qui amici Dei et qui ejus inimici, qui ad coelestia regna vocandi et qui aeternis suppliciis adjudicandi. Deus tamen, qui prima ratio est, a qua omnia regi debent, aequissime ordinavit bonos in hoc mundo simul cum malis mixtos vivere, 1. ut per bonos mali convertantur; 2. ut per malos boni exerceantur; 3. ut qui inter malos boni perseveraverint, gloriosius coronentur.

1. Fieri potest, ut qui mali sunt, boni fiant et ad Deum convertantur: *Fieri potest, ut qui hodie sunt zizania, eras sint frumentum* (S. Aug. ser. 46 de die.). Homines peccatores non sunt similes angelis peccantibus, qui immobiliter suo peccato adhererunt; possunt enim, quantumvis gravibus inquinati peccatis, ab iis surgere et ad Deum converti, quamdiu in hoc saeculo vivunt. Hoc quidem possunt peccatores, et revera saepe fit, ut qui mali erant, boni fiant et ad Deum convertantur: unde ait Doctor Seraphicus: *O quot mali jam hic sunt, qui si modo tollerentur, damnarentur: qui forsitan cito boni erunt, et salcabuntur* (Serm. 2 Dom. 4 p. Ep.). Vult autem Deus et ardentem

desiderat, ut convertantur peccatores a vitis suis pessimis; nec enim vult Deus mortem impii, sed ut *convertatur impius a via sua et vivat* (Ezech. 33, 11). Et ideo impios cum bonis mixtos vivere sinit, ut exemplis, monitis et consiliis bonorum ad recte vivendum et ad morum conversionem perducantur. Certum est, quod unum ex mediis efficacioribus ad conversionem inaplorum est conversatio eorum cum viris sanctis et piis: *Ad conversionem malorum multum prosunt exempla sanctorum*. Ita efficax habendum illud medium, ut dicat S. Gregorius, quod nullus peccator converteretur, nisi exemplis bonorum ad conversionem alliceretur: *Nunquam peccatores ad lamentum penitentiae redirent, si nulla bonorum essent exempla, quae eorum mentes traherent*. Et ideo Deus bonos malis mixtos esse in hoc mundo vult, ut mali bonorum exemplis et verbis ad morum conversionem adducantur. Non vult Deus, ut boni malorum exemplo ad malum declinent; verum ut mali bonorum exemplo ad surgendum a peccato et ad bene agendum alliciantur. Ecce, o peccatores, quas pietatis cogitationes cogitet Deus, cum in medio justorum vos vivere sinit; vult ut eorum verbis et exemplis ad conversionem, ad meliorem vitam frangam veniatis. Hoc agite, quod intendit Deus: convertimini a vitis vestris pessimis: redite ad cor, et ablegatis peccatis vestris, vitam et mores in melius immutate. Convertimini, dum vos misericorditer Deus justorum verbis et exemplis ad conversionem adducit. Deus autem malos in hac vita simul cum bonis mixtos relinquit ad hoc etiam, ut per malos boni exerceantur.

2. *Omnis malus, aut ideo cecit, ut corrigatur: aut ideo cecit, ut per eum bonus exerceatur* (August. in Psal. 54). Non vult Deus ut viri justi et boni in hoc mundo sint segnes, desides, delicati, et voluptatibus dediti; imo vult ut fortiter laborent, viriliter adversus salutis hostes decertent, ad variis adversitatibus et persecutionibus exerceantur: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (2. Tim. 3, 12). Vult Deus, ut justii salventur afflictionibus multis, tribulationibus multis, persecutionibus multis: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 12).

Si autem iusti cum solis iustis et bonis in hoc mundo viverent, ab iis non tribularentur, nec persecutionem paterentur: quare voluit Deus bonos cum malis mixtos in hoc mundo vivere, ut iusti a mali alligerentur et exerceantur. Mali saepe obsunt bonis in hoc mundo, quia pravis suis exemplis eos ad peccandum alliciunt: at eis etiam prosunt. Sicut voluit Deus, ut major serviret minori, Esau videlicet Jacobo: ita et vult, ut mali qui nunc dominari solent, serviant bonis: non quidem iis ministrando, usque se sultendo, verum eos probando et persecutionibus exercendo: *Non obsequendo, sed persequendo* (Aug. ser. 78 de tem.). Quomodo lima, vel mallei auro, quomodo mola serviunt tritico? quomodo panibus coquendis fornalia: quomodo in fornace auriferae palea servit auro, ubi palea consumitur, aurum probatur: ita, inquit D. Augustinus, mali bonis hic in terris prosunt *non obsequendo, sed persequendo*. Sic profuere Stephano Iudei qui illum lapidibus obruerunt: sic profuit apostolorum principi Nero, cum illum cruci affigi imperavit; sic beato Laurentio profuit iniquus Valerianus, cum illum ad ignis supplicium condemnarit; sic omnibus martyribus profuere tyranni; et sic omnibus bonis prosunt mali. Illi prosunt odio, invidia, detractionibus, contumeliis, maledictis, et omnibus injuriis, quibus eos afficiunt: quia his omnibus eos probant et exercent, dantque eis occasionem in virtute proficiendi, magnoque gloriae gradus in caelo comparandi. Et ideo vult Deus bonos in mundo malis mixtos vivere, ut scilicet a malis exerceantur et persecutionem patiantur, ac inde occasionem proficiendi sumant. Certum est, quod marcescat et torpeat sine adversario virtus, quodque non cognoscatur nullius fortitudo tempore pacis; ut ergo probeat Deus quanta sit bonorum patientia, quanta fortitudo, quanta constantia, quanta in sui obsequio fidelitas, eos inter malos vivere sinit, ut ab illis probentur et exercentur. Magni olim et perennes fuere conflictus Lacedaemonas inter et Romanos; coacto tamen die quadam Senatu romano ad deliberandum, utrum Lacedaemon a Romanis diruenda et solo aequanda esset, prohibuit Senatus ne dirueretur, eamque servandam statuit; ne si semel solo aequata esset,

torperent juvenes romani, quorum virtuti et fortitudini probanda et exercenda utilisima erat Lacedaemon: *Suorum colem ne destruas, neve tollas*. Sic Deus non vult, ut mali protinus ex hoc mundo tollantur; vult bonos inter eos vivere, ut ab iis probentur et exercentur. Ecce, o viri iusti, quo sine vos Deus peccatoribus commixtos in hoc mundo vivere sinit. Ejus in hoc adorate providentiam et peccatores inspicite tanquam homines a Deo missos, ut persecutionibus suis vos exercent, probent et celo dignos efficiant. Diligite eos, qui vos persequuntur; state fortes in medio tribulationum a peccatoribus immissarum, cum hoc Deus velit et a vobis exigit. Ad haec perpendite quod vult etiam Deus malos bonis permixtos degere; *ut si boni inter malos recte vivant, gloriosius in caelo coronentur*.

3. Non est mirum, nec magna gloria, magnoque premio dignum, quod vir aliunde bonus pie vivat in familia quadam religiosa et sancta, vel in pio quodam alio personarum coetu, in quo omnes pie vivere solent: quia qui inter pios versantur et vivunt, non nisi pietatis exempla et urgentia ad pietatem motiva vident. Quod autem Job in terra Hus innocentiam servet; quod quis inter superbos sit humilis, inter iracundos mitis, inter libidinosos castus, fidelis inter infideles et inter impios justus; hoc mirum, hoc portentosum, hoc gloria et honore dignum; quare vult Deus, justos cum impiis mixtos vivere, ut inter illos pie vivant; ut in justitia strenue perseverent; ac deinde gloriosius in caelo coronentur. Boni, qui inter bonos solummodo versantur, extra occasionem peccandi vivunt; cum autem inter malos versantur, habent occasionem male agendi, si velint; Dei mandata transgredi possunt, si velint; imo et ad ea violanda multis alliciuntur. Ideo si illa non violent, et si in injuria perseverent, multis premiis in caelo donandi sunt: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (Eccli. 31, 10). Hac de causa Deus bonos in hoc mundo cum iniquis mixtos relinquit ut inter eos recte viventes gloriosius in caelo coronari mereantur. Sic ergo, o iusti, inter peccatores vivite, ut glorio-

siorem in celo coronam vobis comparare valeatis. Eoae cur malos bonis commixtos velit Deus. Videamus nunc, *quomodo se gerere debeant boni, qui inter malos mixti concersantur.*

III PARS.

Quomodo se gerere debeant boni, qui inter malos mixti vivunt.

Illi, quibus nulla res est cum malis et impiis, quantum fas erit, cum iis societatem inire non debent, quia *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* (Ecli. 13). Et certe difficile est, ut quis cum malis familiariter diu vivat, quin malus fiat et pervertatur; *cum perverso percerneris* (Ps. 17). Quid de viris apostolicis et de omnibus, qui ex officio, ex statu et conditione sua, vel etiam ex quadam necessitate cum malis et impiis versari quasi coguntur? Quid de filiisfamilias, quorum patres, matres et fratres, cum quibus quotidie versantur, a semitis justitiae deviant? Quid de cunctis, qui in eodem foro vivunt, in qua plurimos a jure et justitia quotidie abhorrentes vident? Quid de bonis civibus, qui in eadem civitate cum propinquis, amicis, aliisque multis iniqua gerentibus morantur? Quomodo se gerere debent isti et alii boni, qui cum malis commixti vivunt? Isti sane debent 1. *lucere iis* verbo et exemplo; 2. *caecere*, ne et ipsi mali fiant; 3. *fugere*, si periculum casus provideant.

1. Apostolos toti mundo lucere voluit Christus: *Vos, ait eis, estis lux mundi* (Marc. 5); id est, a me vocati estis, ut sitis lux mundi; et revera lux mundi eritis, si meae vocationi et voluntati respondeatis, meoque gratiae, ut par est, cooperemini. Non mihi dumtaxat, aut alteri civitati, sed toti mundo Christus eos virtutibus et exemplis lucere optavit; ac ita lucere, ut verbis, exemplis et bonis operibus homines a vitiis revocarent, et ad Deum laudandam excitarent. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent*

Patrem vestrum, qui in caelis est (Matt. 5, 16). Sicut autem voluit Christus, ut Apostoli toti illucescerent orbi, eumque errorum et vitiorum tenebris obscuratum vitae suae exemplis illuminarent, ita vult Deus, ut viri boni, qui in urbibus, in pagis et in domibus particularibus inter malos morantur, illis luceant sanctis operibus, piisque vitae exemplis. Vult Deus, ut quilibet vir probus in medio perversorum et impiorum sit similis probis illis viris, quibus D. Paulus ait: *Omnia facite sine murmurationibus et hesitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravae et perversae: inter quos luceatis, sicut luminaria in mundo* (ad Phil. 2, 14). Vult, inquam, ut qui boni sunt, omnia quae ad vitam christianam spectant, faciant sine ulla mora et murmuratione; ac ita perfecte vivant, ut inter malos et perversos commorantes, nullam querelam et reprehensionis causam dent: ac iis veluti fulgentissima luminaria verbis et exemplis suis luceant. Videte, quales D. Paulus esse voluerit sui temporis christianos, qui tunc in medio Gentilium, hominumque omnibus vitiis deditorum vivebant; attendite, quomodo eos se gerere optaverit. Jam eos hortatur, ut omnia ad perversorum, cum quibus versantur, sedificationem faciant: *Omnia ad edificationem fiant* (1. Cor. 14, 26). Nunc eos rogat, ut nullus sermo malus ex illorum ore prodeat; ut talia verba proferant, quae adstantes ad bonum perficiendum moveant et audientes ad divinam gratiam obtinendam alliciant: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad edificationem fidei, ut dei gratiam audientibus* (Eph. 4, 29). Jam ab iis petit, ut malis, cum quibus commorantur, placeant non in destructionem, sed in edificationem: *Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad edificationem* (Rom. 15, 2). Semper tandem ab iis postulat, ut omnia ad malorum edificationem faciant, ac pie vitae exemplis iis luceant. *Quae pacis sunt, sectemur; et quae edificationis sunt, in invicem custodiamus* (Rom. 14, 19). Sic sic gerere se debent viri probi, qui cum perversis et peccatoribus commorantur; omnia ad eorum edificationem facere debent; ac ita vivere, ut verbis, bonis

operibus et exemplis luceant, eosque ad recte vivendum alligant: *Boni autem qui inter malos morantur, debent etiam cavere ne ab illis corrumpantur.*

2. Dum boni coram malis lucere debent, etiam cavere oportet, ne et ipsi mali fiant; cum enim magna facilitate male agere discant qui cum malis commiserunt. *Cominisci sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum* (Ps. 105). Natura nostra ad malum proclivis est, tentat diabolus, trahunt passiones et inordinati animi motus: nil tamen fortius ad peccatum allicit, quam prava malorum exempla: propterea quisque sollicite cavere debet, ne cum malis vivens, malus fiat et opera eorum discat. Heu! quot videmus juvenes, qui cum antea ambulabant in innocentia cordis sui, nebulonum et pravorum familiarium conversatione facti sunt blasphemus, libidinosus et pluribus vitiis dediti? Quot vidimus viros apostolicos, qui postquam sancto succensi salutis animarum desiderio cum malis aliquamdiu versati sunt, cum malis mali et cum pervertis perversi effecti sunt? Nonne vidimus nonnunquam concionatores et confessarios, qui habebantur veluti novi apostoli ad salvandas gentes missi, qui dum aliorum conversioni laborarent, ad gravia ipsimet peccata declinarunt? Cavete et vos qui in eadem urbe, ac etiam in eadem domo cum peccatoribus commoraminis, ne in similia cadatis; cavete, ne discatis facere sicut et illi, et ne pravis eorum exemplis ad iniqua ducamini. Nonne Judas apostolus inter bonos malus factus est? Quanto magis cavere debent alii, ne inter malos mali fiant! Heu! quoties *obscuratum est aurum, natus est color optimus* (Thar. 4. 1). Quoties viri aurei, celestes et quasi divini, conversatione malorum facti sunt per peccatum turpes, vilissimi et celo indigni? Cavete ergo a fermento Pharisaeorum; cavete a conversatione malorum, in qua est fermentum quoddam peccati, a quo mores vestri corrumpentur, nisi sollicite caveatis. O quam infelices, qui animae suae iacturam faciunt, dum aliorum salutem incumbunt! Quam miseri, qui dum alios ad bene agendum vocant, seipsos in vitiorum barathrum precipitant! Hi sunt similes facibus accensis, quae dum aliis lucent, seipsas absument. Hi etiam similes videntur

navibus, quae homines quidem ad portum vehunt; ipse in procelloso mari remanent, ubi saepe naufragium patiuntur, et usque ad ima merguntur. Cavete, ne his similes fiat, cavete, ne inter malos mali evadatis. Ad haec boni non solum cavere debent, ne inter malos mali fiant, *etiam fugere tenentur, si periculum casus provideant.*

3. Charitas bene ordinata incipit a semetipso; nullus amor proximi, nullus zelus salutis animarum, nullaque ratio suadere debet, ut quis inter malos remaneat, si provideat, se cum illis commemorari non posse sine gravi salutis suae discrimine (1). Quid enim homini charius esse debet, quam anima sua? Quid illi proderit, omnes mundi divitias, honores et delicias comparasse, si animae suae iacturam faciat. *Quid prodest homini, si unicum mundum lucrerit, anima vero sua detrimentum patiat?* (Matth. 16, 26). Quid proderit homini, quod omnes alios salvet, si non salvetur et ipse? Stultus est, qui cum animae suae dispendio malorum societati adherere vult, etiam ut eorum salutem invigilet, ideo, o homo, *omnia si perdas, animam servare memento*. Et licet certus esses, te plurimos Christo lucrifacitum, si tamen praevideas te cum animae tuae discrimine alios salvaturum, a societate malorum, inter quos tuae salutis imminet periculum, auferere debes. Fuge ergo, dilecte mi, fuge hominum malorum consortium, si periculum casus provideas. Cum Sodomam et Gomorrhaim incendio vastare voluit Deus, duo angeli ad Lot venerunt hortanti

(1) Qui vero et puro zelo et caritate proximi ducti inter malos commorantur, vix anquam suae salutis periculum subeunt; adest enim Deus, qui etiam in mediis flammis vitiorum et passionum spiritus vitam et incolunitatem suis servis pro animarum salute laborantibus tribuit. Id vero summopere timendum ne falso zelo quis utatur, de quo dicit S. Bernardus, quod zelus absque scientia (sive prudentia) errat; timendum ne caritati proximi missatur quid proprii commedi, tantillam huiusmodi gloriae, vel superbiae, vel presumptionis, neglecto orationis studio, ob qua quis meretur a Deo derelinqui aut minus potenter juvari: ex quo, nisi fallor, magis quam a malorum consortio originem duxerunt, et hodieum ducunt nimis lugendi casus quorundam virorum, qui vitae integritate praestabant et sancto zelo acti videbantur. N. E.

illum, ut in montem fugeret, ne et ipse simul cum aliis periret; *In monte saluum te fac, ne et tu simul pereas* (Gen. 19, 17). O fratres, tartareo incendio proximi sunt peccatores, cum quibus habitatis; si ergo prævidentis, periculum vobis inesse cadendi in peccatum, fugite et ab iis discedite, ne simul cum iis pereatis. Ascendente Christo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, et *ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus*. Cur ibi est periculum, ubi Petrus, ubi ipse Christus? Respondet S. Ambrosius: *erat ibi Simon Petrus; sed erat pariter et proditor Judas*. Quasi dicat, ibi erant boni, at ibi etiam erat perfidus Judas, et ubi vel unus malus est, semper est periculum casus. Ne igitur, inquit idem Ambrosius, nos immisceamus impiorum consortio, ubi est ruinae periculum. *Fugianus perfidum, ne per unum plurimi fluctuemus* (lib. 4 in Luc.). O frater, scis, quod quotiescumque hujus vel illius personæ societatem inis, motus magnus fit in corde tuo, multaque variarum cogitationum agitaris fluctibus, ita ut in magno peccandi verseris periculo, fuge hujus personæ consortium. Nosti quod in hac et illa domo est aliquis Judas, aliquis perfidus, qui te ad malum instigat, fuge et hinc perfidum et hanc domum. Experientia tibi constat, quod quotiescumque cum hac persona loquaris, tentat te diabolus, tuse excitantur passionēs, ita ut quasi totus immergaris et ad peccatum traharis; fuge, fuge. Si enim ames periculum, peribis in illo, et si fugias periculum, proteget te Deus, gratis suis te forebit, et tandem aeternam beatitudinem dabit. Amen.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

DE RELIGIONE CATHOLICA.

Simile est regnum colorum grano sinapis (Matt. 13, 31).

Regnum colorum, quod in hodierno Evangelio grano sinapis simile dicitur, intelligitur haud dubie fides Christi, doctrina evangelica; vel quod idem est, religio catholica; quæ quidem in sui principio quasi granum sinapis extitit, ratione parvitas suæ; cum minima fuerit respectu idolatriæ et aliarum falsarum religionum, quæ tunc in toto terrarum orbe grassabantur. Sancta hæc religio, quæ a tenui initio cum Christo cœpit, successu temporis in immensam crevit molem et in universum mundum ramos suos extendit, ita ut in ea habitent et sub ramis ejus obumbrantur volucres cœli, id est, reges et principes, homines scientiæ et sensu sublimes, necnon viri sancti et electi ad cœlestes thronos sublimandi. De hac religione catholica, ad quam per Dei misericordiam vocati sumus, audire non erit injucundum, iis saltem qui eam æstimant, venerantur, diligunt et sedulo profitentur. De hac autem loquemur, non ut disputemus, non ut controversias instituamus; verum ut eam laudemus, extollamus et commendemus: utque ejus supra alias omnes sectas præminentiam et excellentiam patefacimus. Ape.

Qui lutheranam, calvinianam et alias hoc ævo inductas in mundum religiones serio considerabit, eas falsas in se, iniquas in suis legibus et malas esse in sua institutione facile agnosset. *Falsæ sunt*, quia non a Deo sunt, sed ab hominibus: quia erroribus, dolis et fraudibus plenas, et quia in his nulla certa credendi regula, continua variatio doctrinæ, ac libertas credendi quod quisque voluerit. *Iniquæ sunt* in suis legibus, quia liberiori vite præbent aditum, bona opera evertunt, antiquas renovant hæreses: et omnes homines quantumvis

illum, ut in montem fugeret, ne et ipse simul cum aliis periret; *In monte saluum te fac, ne et tu simul pereas* (Gen. 19, 17). O fratres, tartareo incendio proximi sunt peccatores, cum quibus habitatis; si ergo prævidentis, periculum vobis inesse cadendi in peccatum, fugite et ab iis discedite, ne simul cum iis pereatis. Ascendente Christo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus, et *ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus*. Cur ibi est periculum, ubi Petrus, ubi ipse Christus? Respondet S. Ambrosius: *erat ibi Simon Petrus; sed erat pariter et proditor Judas*. Quasi dicat, ibi erant boni, at ibi etiam erat perfidus Judas, et ubi vel unus malus est, semper est periculum casus. Ne igitur, inquit idem Ambrosius, nos immisceamus impiorum consortio, ubi est ruinae periculum. *Fugianus perfidum, ne per unum plurimi fluctuemus* (lib. 4 in Luc.). O frater, scis, quod quotiescumque hujus vel illius personæ societatem inis, motus magnus fit in corde tuo, multaque variarum cogitationum agitaris fluctibus, ita ut in magno peccandi verseris periculo, fuge hujus personæ consortium. Nosti quod in hac et illa domo est aliquis Judas, aliquis perfidus, qui te ad malum instigat, fuge et hinc perfidum et hanc domum. Experientia tibi constat, quod quotiescumque cum hac persona loquaris, tentat te diabolus, tuse excitantur passionēs, ita ut quasi totus immergaris et ad peccatum traharis; fuge, fuge. Si enim ames periculum, peribis in illo, et si fugias periculum, proteget te Deus, gratis suis te forebit, et tandem aeternam beatitudinem dabit. Amen.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

DE RELIGIONE CATHOLICA.

Simile est regnum colorum grano sinapis (Matt. 13, 31).

Regnum colorum, quod in hodierno Evangelio grano sinapis simile dicitur, intelligitur haud dubie fides Christi, doctrina evangelica; vel quod idem est, religio catholica; quæ quidem in sui principio quasi granum sinapis extitit, ratione parvitas suæ; cum minima fuerit respectu idolatriæ et aliarum falsarum religionum, quæ tunc in toto terrarum orbe grassabantur. Sancta hæc religio, quæ a tenui initio cum Christo cœpit, successu temporis in immensam crevit molem et in universum mundum ramos suos extendit, ita ut in ea habitent et sub ramis ejus obumbrantur volucres cœli, id est, reges et principes, homines scientiæ et sensu sublimes, necnon viri sancti et electi ad cœlestes thronos sublimandi. De hac religione catholica, ad quam per Dei misericordiam vocati sumus, audire non erit injucundum, iis saltem qui eam æstimant, venerantur, diligunt et sedulo profitentur. De hac autem loquemur, non ut disputemus, non ut controversias instituamus; verum ut eam laudemus, extolamus et commendemus: utque ejus supra alias omnes sectas præminentiam et excellentiam patefacimus. Ape.

Qui lutheranam, calvinianam et alias hoc ævo inductas in mundum religiones serio considerabit, eas falsas in se, iniquas in suis legibus et malas esse in sua institutione facile agnosset. *Falsæ sunt*, quia non a Deo sunt, sed ab hominibus: quia erroribus, dolis et fraudibus plenas, et quia in his nulla certa credendi regula, continua variatio doctrinæ, ac libertas credendi quod quisque voluerit. *Iniquæ sunt* in suis legibus, quia liberiori vite præbent aditum, bona opera evertunt, antiquas renovant hæreses: et omnes homines quantumvis

malos caelesti gloria dignos iudicant, modo ad credant quod illis a sua religione credendam proponitur, sive verum illud sit, sive falsum. *Malignæ sunt* in sua institutione, quia institutione sunt ab hominibus pessimis, superbia inflatis, qui venena sua effuderunt, suasque religiones stabilierunt et propagarunt armis, rebellionibus, magnatum autoritate et licentia quam sectoribus dederunt aliena rapiendi, bona ecclesiastica invadendi, fœdis libidimbus frævandi ac ea perpetrandi ad que natura corrupta, spiritus concupiscentiæ et ambitionis inclinant. O quam execranda hæc omnes religiones! E contra quam amabilis et admirabilis est religio catholica, quæ vera, quæ sancta, et quæ mirabiliter stabilita et propagata dignoscitur! Videamus 1. quam vera sit; 2. quam sancta sit; 3. quam mirabiliter stabilita et propagata sit.

I PARS.

Quam vera sit religio catholica.

Unica esse potest vera religio, non multiplex. Una enim tantum est veritas; *una fides, unum baptisma* (Ephes. 4, 5). Ex quo sequitur, omnes religiones, unica excepta, esse falsas, mendaces, noxias et auctore patre mendaciorum introductas. Hæc autem vera religio alia non est quam catholica, quam veram esse innumeris probari posset argumentis; quia vero catholicos alloquor, qui de suæ religionis veritate non dubitant, dicam solummodo eam veram esse 1. quia catholica; 2. quia a Christo ad nos derivata; 3. quia martyrum constantia confirmata; 4. quia unanimi doctissimorum virorum consensu approbata.

1. Religio nostra non solum nomine, etiam re, catholica est, seu universalis, latissime patens et ad omnia regna se extendens. Hæc est granum sinapis, quia in principio minima erat; successu autem temporis ad omnes mundi nationes ramos suos extendit; nullum enim regnum, nulla gens nobis nota,

ad quam hæc religio aliquo tempore non pervenerit. Ino hisce temporibus apud omnes fere nationes, saltem ab aliquibus christianis, Deus ritu catholico honoratur. Apud Turcas enim, Tartaros, Persas, Japonos, Indos, Peruanos, Brasilios, Mexicanos et in omnibus fere mundi locis inveniuntur multi catholici, reperiuntur templa et altaria, coluntur Christi et Sanctorum imagines, sacrosanctum offertur missæ sacrificium, a Christo instituta administrantur sacramenta, servantur jejunia et festa; ac ritu caeremoniisque Ecclesie et religionis romanæ Deus a multis honoratur. Aliæ religiones habent suos terminos extra quos fere nunquam egrediuntur; nec enim unquam audivimus, Turcam zelo suæ religionis succensum in Galliam venisse, ut eam prædicaret et propagaret. Lutherani non pergunt ad Japonos et ad Indos, ut ibi suam religionem promulgent (1): religio nostra suos semper habet apostolos et viros apostolicos, quorum sonus in omnem terram exit; et qui zelo gloriæ Dei et salutis animarum accensi ad exterarum se conferunt nationes, ad omnes mundi partes pergunt, ibique religionem christianam profitentur, eamque cum vitæ suæ discrimine docent. Ideo nulli dubium videri debet, eam esse veram religionem, veramque salutis æternæ viam, cum eam Deus omnibus regnis proponi et prædicari velit, faciaturque catholici ad omnes terræ regiones se conferant et suæ religionis notitiam omnibus populis effundant. At si religio catholica vera habenda quia catholica, est etiam vera, quia a Christo ad nos derivata.

2. A tempore enim Christi usque ad nos, nulla ætas, nullum seculum assignari potest, quo hæc religio non floruerit. Omnibus a Christo sæculis sacrosanctum missæ sacrificium pro vivis et defunctis est oblatum, celebrata festa, servata jejunia, invo-

(1) Etiam Lutherani et alii protestantium sectæ hoc ævo suas habent missiones, et proselytos quarant, non certe zelo animarum sed catholice Ecclesie invidia; de quarum propterea missionum sterilitate vel ipsi protestantes quandoque testimonium reddunt; sine Christo enim laborantes, nil capiunt, et cum eo non colligentes dispergunt. N. E.

cati Sancti, honoratæ Sanctorum reliquie et alia nostræ religionis propria in usu fuere. Imo quod magis mirum est, riget successio ministrorum in Ecclesia a Christo usque ad præsens tempus, ita ut ministri qui sunt nunc in Ecclesia, a Christo et ab apostolis descendant, seu ab illis potestatem, qua potiuntur, habeant. Sicut enim omnes homines, quoad vitam et potentiam naturalem descendunt ab Adamo, ita omnes Ecclesiæ ministri secundum potestatem supernaturalem longa ordinationum et sanctificationum serie a Christo, qui est secundus Adam, descendant. A Christo, inquam, qui potestatem suam dedit apostolis; que deinde ab apostolis communicata est episcopis, et ab episcopis data est et quotidie datur inferioribus ministris, unicuique prout ministerium suum exigit. Unde nullus est modo minister in Ecclesia, qui potestatem suam, qua consecrat, qua sacrificat, qua a peccatis absolvit, qua alia sacramenta conficit, qua populum sanctificat et regit, ad Christum, tamquam ad ejus principium et authorem reducere non possit. Quam verum ergo hæc religio, que a Christo usque ad præsens tempus perseveravit! Quam vera hæc religio, in qua datur hæc successio! Falsæ aliæ religiones, que non a Christi, sed a Calvini, Lutheri et aliorum hæresiarcharum temporibus solummodo originem ducunt; falsæ aliæ religiones, que non a multo tempore inceperunt; vel si a multo tempore inceperint, cito interierunt et dissipatæ sunt; vera catholica religio, que a Christo ad nos constanter perseveravit tum in se spectata, tum quoad suos ministros. Hac ratione S. Augustinus religionem catholicam veram censuit et credidit: *Tenet me, inquit, in Ecclesia, ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad presentem episcopatum successio sacerdotum* (ep. 165). Vera ergo est religio catholica, quia a Christo ad nos derivata: insuper vera reputanda quia *martyrum constantia roborata*.

3. Tantus est martyrum numerus, ut vix concipi queat. Assertit S. Hieronymus in quadam ex suis epistolis, nullum esse toto anno diem « excepta prima die januarii, in qua Gentiles, spiritu quodam religionis ducti, sanguinem non effundebant », in quo numerus quinque millium martyrum et ultra adscribi non posset. In tanto martyrum numero erant non tantum viri, sed etiam juvenes et juvenulae, pueri et puellæ, multi sacerdotes et pontifices, nec non plures alii nobili genere et illustri prosapia orti. Qui tanta patientia, tantaque constantia suum pro religione catholica sanguinem effudere, ut nulla ratione a sævissimis quibusque tyrannis vinci potuerint; quin contra carceres, exilia, rotas, ignes et exquisitissima quæque supplicia, non solum strenue et constanter, simul etiam lætenter et magno cum cordis júbilo passi sint. Jam autem sic ratiocinemur. Si vera non esset religio catholica quomodo permisisset Deus, tot viros innocentes et sanctos qui ei obsequabantur et qui nil aliud præter ejus gloriam quærebant, in cultu suo ita misere errare? Quomodo permisisset, eos tam turpiter decipi et tam inaniter sanguinem suum fundere? Quomodo fieri potuisset, ut tot viri, tot juvenes et juvenulae tam dira supplicia et ipsam mortem constanter et lætenter sustinuerint, nisi Deus, eorum cultum approbans, eos miris et occultis modis corroborasset et internis consolationibus sustentasset? Quomodo tandem a tot tyrannis et a tam immanibus suppliciis vinci non potuissent, nisi hic fuisset digitus Dei eos corroborans, eorumque religionem veram esse patefaciens constantia, quam in suppliciis præferabant? Certe hæc omnia, sole clarius hanc religionem et verissimam et Deo probatissimam esse manifestant. Si vero catholicam religionem veram esse probet constantia martyrum; eam etiam veram demonstrat *unanimes doctissimorum virorum consensus*.

4. Innumeri Doctores in Græcia, in Asia, in Africa, in Gallia, in Hispania, in Germania et in aliis nationibus de religione catholica scribentes, de ejus principiis consenserunt, eam devotissime coluerunt, eamque adversus Gentiles, Judæos et Hæreticos luculenter defenderunt. Quanti enim viri exiitè Petrus, Paulus, Matthæus et alii apostoli ab ipso Spiritu sancto edocti? Quanti viri fuere Clemens, Ignatius, Polycarpus et Dionysius Areopagita, qui post apostolos fidem et religionem catholicam scriptis mandarunt? Quanti qui secundo vixere sæculo, Justinus

in quo numerus quinque millium martyrum et ultra adscribi non posset. In tanto martyrum numero erant non tantum viri, sed etiam juvenes et juvenulae, pueri et puellæ, multi sacerdotes et pontifices, nec non plures alii nobili genere et illustri prosapia orti. Qui tanta patientia, tantaque constantia suum pro religione catholica sanguinem effudere, ut nulla ratione a sævissimis quibusque tyrannis vinci potuerint; quin contra carceres, exilia, rotas, ignes et exquisitissima quæque supplicia, non solum strenue et constanter, simul etiam lætenter et magno cum cordis júbilo passi sint. Jam autem sic ratiocinemur. Si vera non esset religio catholica quomodo permisisset Deus, tot viros innocentes et sanctos qui ei obsequabantur et qui nil aliud præter ejus gloriam quærebant, in cultu suo ita misere errare? Quomodo permisisset, eos tam turpiter decipi et tam inaniter sanguinem suum fundere? Quomodo fieri potuisset, ut tot viri, tot juvenes et juvenulae tam dira supplicia et ipsam mortem constanter et lætenter sustinuerint, nisi Deus, eorum cultum approbans, eos miris et occultis modis corroborasset et internis consolationibus sustentasset? Quomodo tandem a tot tyrannis et a tam immanibus suppliciis vinci non potuissent, nisi hic fuisset digitus Dei eos corroborans, eorumque religionem veram esse patefaciens constantia, quam in suppliciis præferabant? Certe hæc omnia, sole clarius hanc religionem et verissimam et Deo probatissimam esse manifestant. Si vero catholicam religionem veram esse probet constantia martyrum; eam etiam veram demonstrat *unanimes doctissimorum virorum consensus*.

martyr, cujus scripta ad nos pervenere: Athenagoras, qui insignem pro christianis apologiam scripsit; Egesippus, qui scripsit historiam ecclesiasticam usque ad sua tempora, et S. Iræneus, qui plures libros adversus Valentinum composuit? Quanti in tertio sæculo viri, Gregorius Thaumaturgus, Clemens Alexandrinus, Cyprianus martyr, Lactantius Firmianus et alii, quorum quilibet speciali elogio dignus esset? Quanti in quarto sæculo, S. Athanasius episcopus Alexandrinus, S. Hilarius Pictavorum episcopus, S. Cyrillus Jerosolymæ Antistes, S. Ephrem Diacomus Edessenus, S. Basilius Magnus archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia; ac sancti Hieronymus, Ambrosius, Epiphanius et Gregorius Nazianzenus, quorum nomina et merita ubique prædicantur? Quanti in quinto sæculo, Augustinus, S. Joannes Chrysostomus, S. Maximus, S. Paulinus episcopus Nolanus et sanctus Cyrillus Alexandrinus? Quanti in sequentibus sæculis, S. Leo, Gregorius Magnus, S. Bernardus, S. Thomas de Aquino, S. Bonaventura et alii innumeri? Quanti viri in conciliis passim congregatis, ad quæ convenire quotquot in orbe erant homines scientia et pietate illustres? Hi autem omnes catholice religionis dogmata adversus quoscunque hostes strenue propugnaverunt, ac catholicam religionem omnes professi sunt eo modo quo illam nunc profiteremur: quis ergo nunc de veritate ejus dubitare audeat, cum a tot et tantis viris probata sit? De ejus veritate nullo modo dubitavit S. Augustinus, cum vidit unanimem consensum tot populorum et Doctorum assentientium hanc religionem esse veram: *Tenet me, inquit, in Ecclesie consensus populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate creta, vetustate firmata (de util. credend. 4)*. Quanto magis hæc nos tenere debet autoritas, cum post Augustinum multos alios habuerimus Patres et Doctores, qui religionem catholicam ut veram professi sunt et propugnaverunt? Quanto rationabilius est sentire cum tot sanctissimis et omni scientia eruditissimis Patribus et Doctoribus, quam cum aliis viris inflatis, impis et malignis, qui non Dei, sed proprio ingenio regi præsumunt. Credamus ergo religionem catholicam esse veram, credamus et gratias agamus Deo, quod ad falsas re-

ligiones nos declinare non permisit. Extra veram religionem non est salus, et si in alia vera fuisset eruditi, in ea forte pertinaciter perseverassemus, ac proinde damnati fuisset: quare ex totis visceribus gratias Deo referamus, quod ad religionem catholicam nos vocaverit, in qua quisque salvari potest. Est ergo religio catholica vera: *est etiam sancta.*

II PARS.

Quam sancta sit religio catholica.

Vera esse nequiret religio catholica, ni sancta esset et ad sanctitatem perduceret: ergo ex hoc quod vera sit, facile quisque conjiciet eam esse sanctam. Expediit autem ut ex aliis principiis ejus sanctitatem astruamus ac licetam religionem catholicam esse sanctam, quia 1. licentiam peccandi excludit; 2. magnifice de Deo sentit; 3. mirifice Deum honorat; 4. ad sanctitatem perducit.

1. Sicut initium omnis sanctitatis est declinare a malo, ita et religio illa sancta est, quæ omne malum et omne peccatum excludit et prohibet. Ejusmodi autem est religio catholica, quæ prohibet quidquid turpe et vituperabile est, omnem dolum, omne mendacium, omne furtum, omnem contumeliam, omnem injuriam, et ipsas quoque cogitationes et desideria prava. Nec solum hæc prohibet, multis quoque utitur modis et mediis, ut a peccatis removeat, et peccandi licentiam excludat. Nonne ad excludendum peccatum optimum medium est penitentia? Nonne deterrentur a peccatis homines, cum perpendunt ea omnia sigillatim in confessione aperienda, et pro illis penitentiam subeundam? Nonne ad abstinendum a peccatis excitantur, cum vident absolute non minime obtineri, nisi condonentur injuriæ, bona ablata restituantur, damna illata resarciuntur, et dolor de peccatis cum emendationis proposito eliciatur? nonne religio catholica peccandi licentiam excludit per doctrinam de satisfactione et purgatorio? cum docet, remissa culpa et pena æterna,

manere plerumque obligationem gravis pœnæ temporalis subeunda vel in hac vita per opera satisfactoria, vel in Purgatorio per acerrima illius supplicia? A peccato etiam removet et peccandi licentiam excludit religio catholica, cum docet unicum mortale peccatum pœna plecti aeterna in inferno, nisi in hoc mundo per penitentiam deletum fuerit. Peccandi tandem licentiam cohibet hæc religio, cum timorem sanctum hominibus inculcit, tum eis proponendo terribilia Dei judicia; tum numeri salvandorum paucitatem prædicando (1); tum crebra damnationis pericula obijciendo; tum hominis infirmitatem et labendi facilitatem manifestando. O vere sancta religio, quæ non tollit omnem damnationis timorem a cordibus hominum, nec laxat habenas ad omnia genera peccatorum, ut docent aliæ sectæ, apud quas plerumque omnia licent, aut ex earum principiis omnia licere inferunt. Ab omni ergo peccato removendo ac omnem peccandi licentiam cohibendo se sanctam exhibet religio catholica; suamque sanctitatem patefacit etiam in eo quod *magnifice de Deo sentit*.

2. Horrendum est, quam male de Deo senserint plurimi hæretici; alii etenim eum esse unicum negarunt et infinitum et ideo multos coluere Deos. Negarunt alii eum esse immensum et ubique presentem et ideo Deum unum in cœlo, alium in aère, alium in terra et alium in mari esse docuerunt. Negarunt alii ejus providentiam, qua gubernat omnia; alii ejus omnipotentiam, qua creavit omnia; et alii alias ejus perfectiones, sine quibus Deus esse nequit, tollere conati sunt. O quales religiones! Minime quidem sanctas, invero impie, pessime et a vero Dei cultu remotissimas. Religio catholica est religio sancta, quæ magnifice de Deo sentit. *Ipsa enim eum uni-*

(1) Valde incertus hæreo, utrum sive hæc sententia de paucitate salvandorum dicenda sit Ecclesie sententia, sive hujus sententia predicatio prosit ad deterrendos homines a peccato, et ad cœlum dirigendos. Profecto multo plures spe et amore ad virtutum sectandam moventur, quam timores. Ceterum vide infra notam appositam orationi de paucitate salvandorum, Dominica Septuagesime.

cum et absolute infinitum esse docet. *Ipsa* illum immensum proclamat et ubique presentem, per essentiam, quæ omnibus illabitur, per potentiam, quia ubique dominatur, ac etiam per inspectionem, quia omnia videt. *Ipsa* eum agnoscit ut immutabilem, tum quoad omnes ejus perfectiones, tum quoad ejus consilia, decreta, gaudia, felicitatem et voluntatem. *Ipsa* asserit, eum esse æternum, nec ullum habere sui esse principium; eum esse omnipotentem, quia omnia fecit et infinita alia summa facilitate e nihilo educere potest; eum esse summe sapientem, qui omnia que sunt et quæ esse possunt, distinctissime agnoscit, penetrat et comprehendit; eum tandem esse summe sanctum, summe justum, summe bonum, summe benignum, summe misericordem, ac omnes omnino perfectiones in eo esse essentialiter; ipsiusque essentiam esse fontem et originem omnium perfectionum creatarum, quæ omnes ab illa manant et profluunt. Ac ut pauca multa dicam, de Deo sentit religio catholica, quod *magnus est et non habet finem; excelsus et immensus* (Bar. 3, 25). Vel ut loquitur propheta: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (Ps. 144). O quam sancta est hæc religio, que sic magnifice de Deo sentit, et *quæ etiam mirifice Deum honorat*.

3. Eum quidem honorat non solum exterminatione idololatriæ, magiæ, simoniæ, perjuriarum, sacrilegorum et eorum omnium que cultui veri Dei adversantur, sed etiam magnificis templorum structuris, festis diebus ad ejus honorem institutis, vasis prædijvibus, vestibus sanctitatem redolentibus et cæremoniis, que reverentiam hominibus inspirant et que Deo non modicum honorem impendant. Ad hæc religio catholica Deum præcipue honorat oratione, votis et altissimo missæ sacrificio. Oratione quidem, tum mentali, qua intus et corde ad Deum erigimur, ab eo necessaria petimus, eique pro acceptis beneficiis gratias rependimus; tum vocali, qua mente simul et ore Deum invocamus, ejusque laudes decantamus. Et hic cultus in religione catholica est perpetuus; innumeri enim sunt hujus religionis cultores, qui die ac nocte non tacent

laudare nomen Domini, et qui ex statu et munere suo quotidie officium septem horarum decantare tenentur. Alii etiam fideles, mane, vespere et meridie, necnon in omnibus calamitatibus et necessitatibus ad Deum preces fundere et omnia ad ejus gloriam facere docentur. Votis etiam in religione catholica honoratur Deus, quia ibi Deo promittunt multi servare castitatem, paupertatem et alia, quibus Deum magis glorificari agnoscunt. In religione catholica magis adhuc honoratur Deus sacrosancto missæ sacrificio; sacrificio sane omnium præstantissimo, in quo Dei Filius, veluti victima perpetua offertur; et in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia et futura gloriæ nobis pignus datur. Sancta ergo hæc est religio, quæ sic Deum honorat, atque ita Dei honorem studiose curando *perducit ad sanctitatem.*

4. Dum homines a peccatis deterret, Catholica fides eorum etiam animos ad studium bonorum operum et ad omnis perfectionis amorem excitat et allicit. Hæc mentes hominum ab affectu terrenorum avocat, et ad celestem amorem traducit. Hæc hominum corda a rebus istis temporalibus et vilibus abducit, et ad celestia et æterna bona cogitanda, amanda et prosequenda urget. Hæc suadet terrena despiciere, a carnis voluptatibus abstinere, divitias et honores parvipendere, jejuniis, ciliciis, aliisque corporis mortificationibus carnem rebellem domare, ac contemptis aliis omnibus se totaliter virtutum exercitio, et Dei obsequio mancipare. Hinc innumeri, catholicam religionem sectantes, a vitiorum cæno ad sanctitatis et perfectionis apicem pervenerunt. O quot in religione catholica, contemptis divitiis, deliciis et dignitatibus, quibus fruebantur, et quibus frui poterant, sæculo abrenuntiaverunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis ejus, et se totos divino cultui, celestium rerum contemplationi, ac sanctitati acquirendæ consecraverunt! Quam multi magnatum filii, quam multi nobiles in sæculo, divitiis affluentibus, ingenio præstantes, eloquentia et omni litteraturæ celeberrimi, spreto omnibus quæ mundus colit, se totos humilitatis, patientiæ, charitatis, et omnis sanctitatis

operibus dederunt, ac omnis sanctitatis et perfectionis culmen attigerunt. O quam sancta hæc est religio! o quam sancti, et perfecti essemus, si juxta ejus leges viveremus! Jamvero, heu! multi catholicam religionem profitentes, gentiliter et impie vivunt. Satis esse credunt, quod nomen suum Christo et religioni catholicae in baptismo dederint, et ideo de religionis christianæ legibus servandis minimum satagunt. Illi sane magnam sibi damnationem acquirunt, et gravioribus suppliciis in inferno plecentur, quam qui religioni catholicae nunquam adhaeserunt, quia tanti a Deo accepti beneficii ingrati extiterunt. Itaque sancti estote, animasque vestras sanctificate, cum religionem proleamini, quæ sancta est, *et quæ etiam mirabiliter instituta et stabilita est.*

III PARS.

Quam mirabiliter stabilita et propagata sit religio catholica.

Cum Christus in hunc mundum venit, ut dissolveret opera diaboli, nil difficilius videbatur, quam idololatriam destruere, et catholicam religionem introducere. Si etenim vix sine multo labore in humili et vili oppido mos quidam antiquus aboletur, ut novus ei que contrarius inducatur, quam quæso difficile erat, non unicam, sed plures antiquas consuetudines, non in una, vel aliquibus dumtaxat urbibus, sed in toto terrarum orbe destruere, et novas constituere? Quam difficile erat, cultum idolorum annihilare, gentiliū sacrificia abolere, altaria vastare, templa solo æquare? Quam difficile triumphare de imperatoribus, de sacerdotibus, de magistratibus, et de populis cultui idolorum deditis, eis que suadere, deos eorum esse demonia; oracula illorum esse mendacia, sacrificia esse sacrilegia, sacerdotes esse deceptores, totamque illorum religionem esse superstitionem et impietatem, cui necessario abrenuntiari deberent, ut catholicam fidem toto celo idololatriæ contrariam amplecterentur,

et profiterentur? Hoc sane difficillimum erat: perarduum certe opus. Idololatria tamen destructa est: religio vero catholica mirabiliter stabilita et propagata. 1. sanctitate primorum christianorum; 2. verbi divini predicatione; 3. miraculorum operatione; 4. speciali Dei assistentia.

1. Miranda erat primorum christianorum sanctitas, miranda eorum bona opera: quae cum gentiles videbant, attentius inspiciebant, et ad amplectendam religionem catholicam vehementer movebantur. Primavi christiani sanctitate vitae et bonis operibus fovebant bonus Christi odor: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt* (2. Cor. 2, 15). Ex hoc odore unguenti repleta est tota hujus mundi domus, ita ut primorum christianorum sanctitas undique promulgaretur, et innumeri gentiles adducerentur ad sectandam illam religionem, quam viri piissimi et sanctissimi profitebantur. In primis christianis mirabantur gentiles quod nulli injuriam irrogarent; unde S. Blandina in tormentis de criminibus interrogata respondit: *christiana sum, nec mali quippiam a nobis committitur*. Mirabantur in christianis morum innocentiam, quae tanta erat, ut nil in eis reprehensibile agnoscerent: mirabantur invictam fidei constantiam, alacritatem in tormentis, equanimitatem in acceptis injuriis. Mirabantur stupendum mutuae charitatis vinculum, quod tantum erat, ut se mutuo in templis et in publico salutarent oculis, ut pro egenorum sustentatione collectas facerent: ut secretiores etiam carceres penetrarent sacerdotes, carceratis confessoribus sacramenta ministraturi; ut se mutuo ad martyrium pro fide subeundum hortarentur; ut martyrum corpora maxima cura et contentione etiam summo sui periculo raperent, et honorifice sepelirent. Mirabantur maximam eorum charitatem et benevolentiam etiam erga gentiles et inimicos suos, quae tanta erat, ut imperatorem quamvis ethnicum maxime venerarentur, eique omnia felicia precarentur; ut pro persecutoribus orarent, et carnificibus suis libentissima ignoscerent eisque amoris signa exhiberent, ut erga ipsos gentiles hospitales et munificos se praeberent, ut eos a demonum obsessu liberarent, ab infirmitatibus sanarent, famis tempore

victum eis suppeditarent, et peste infectis libenter ministrarent. Haec et alia sanctitatis opera in primis christianis mirabantur gentiles, et iis ad catholicam fidem amplectendam mirabiliter excitabantur. Iis sanctitatis exemplis ad Christi fidem convertebantur principes, tyranni, caruifices, et innumerae omnis sexus, omnisque conditionis personae. Sic in orbe universo fundata et propagata fuit religio catholica. *Magis adhuc propagata est verbi divini predicatione.*

2. Non mundi sapientes, non philosophos, non viros doctissimos misit Christus, ut sum annuntiare Evangelium, sed piscatores, sed apostolos et discipulos suos, quorum sonus in omnem terram exivit, verbumque quod praedicabant, quasi semen fecundissimum, innumeros Christo pariebat filios, et doctrinae ejus sectatores. Verba illorum erant quasi ignis sacer, quo ad Dei amorem auditorum corda accendebantur, et quasi malleus, quo iudurata gentium corda contrebantur, atque ad catholicam religionem sectandam floctebantur: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus: et quasi malleus conterens petram?* (Jerem. 23). Scitis ad unicum S. Petri concionem die Pentecostes habitam tantum millia ad Christum, et ad catholicam religionem esse conversa. Quis vero scit, quot conversi sint aliis S. Petri concionibus? Quot, concionibus aliorum apostolorum et discipulorum? Quot, concionibus ab Ecclesiae primordio in universo terrarum orbe habitis? Certe praedicatio verbi Dei fuit unum ex efficacioribus mediis, quibus Deus usus est ad religionem catholicam stabilendam, propagandam et multiplicandam. Ut enim ait D. Paulus *placuit Deo per stultitiam predicationis salvos facere credentes*. Ad haec religio catholica stabilita est etiam et propagata *miraculorum operatione.*

3. Praedicabant apostoli, praedicabant discipuli, et Deus confirmabat, quae ipsi praedicabant, miraculis quae eorum ministerio operabatur: *praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (Marc. 16, 20). Doctrina, quam praedicabant apostoli, erat sublimis, natura corruptae propensionibus opposita, ad ardua vocans et ad diffi-

cilia, hominibus carnem sapientibus ignota et quasi incredibilis; quare ut hæc doctrina a gentilibus benigne reciperetur, et crederetur, eam signis et miraculis Deus confirmabat: *ut ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda, quia et nos cum arbuta plantamus, tandiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus, et si semel radiceem fuerint, irrigatio cessabit* (S. Greg. ho. 29 in Evang.). Cum prædicabant apostoli, Christo crucifixo credendum, injurias condonandas, corpus mortificationibus atterendum, spernenda omnia sæculi bona, et alia credenda et agenda, quæ sacrum docet Evangelium, egre suadebantur auditores; cum autem videbant concionatores miraculis confirmantes ea quæ predicabant, fidem eis adhibebat. Cum audiebat unusquisque eos sua lingua loquentes; cum videbant eos nunc cæcos illuminantes, nunc mortuos ad vitam revocantes, nunc demonia e corporibus obsessorum expellentes, et alia miracula facientes, mirabantur, doctrinam eorum a Deo esse fatebantur, ac tandem ad catholicam religionem convertabantur. Neque tantummodo solum miraculorum operatione, *etiam speciali Dei assistentia religio catholica stabilita et propagata est.*

4. Cum Cyrus Persarum rex in urbe Sparta militum copias colligeret, ut omnes sui obsequio manciparet, palam dicebat: venite ad me omnes, vosque omnes exalabo et ditabo: qui pedestres sunt, equites faciam: equitibus dabo currus quibus veliantur: habentibus unam villam, omnis vici dominium conferam; eos qui unum pago dominantur, usque urbis dominos efficiam; eorumque dominio subiciam provincias, quorum ditiori subduntur urbes. Quoad aurum et argentum affluenter vobis dabuntur, et non numerabuntur, sed ponderabuntur. Quis non talibus promissis alliceretur? Quis vero non deterreretur iis, quæ Christus proponit, ut homines ad se et ad christianam religionem vocet? Qui vult venire post me, inquit, abneget semetipsum: qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: beati eritis cum maledixerint vobis homines, cum persecuti vos fuerint, et omne malum dixerint

adversum vos. Quis his et similibus ad catholicam religionem sectandam et ad Christum sequendum alliceretur? Vel potius quis ab ea amplexanda non deterreretur? Certe hæc omnia videntur religionis catholice multiplicationi opponi; attamen Deus speciali sua providentia et assistentia eam stabilivit et multiplicavit. Hæc autem singularis Dei assistentia eluxit in hoc, quod totus mundus post Christi adventum in pace positus sit; et unico Romanorum Imperio subditus, quo via aperta est ad mittendos per totum orbem prædicatores, qui Evangelium populis annuntiarent. Singularis hæc Dei assistentia apparuit in hoc, quod tempore persecutionum magis multiplicarentur fideles, et cum imperatores nomen christianum extinguere satagerent, quo plures christiani occidebant, eo plures ad christianismum convertebantur; ac sanguis martyrum fieret semen christianorum. Specialis hæc visa est Dei assistentia in hoc, quod exoriente quavis hæresi, excitavit semper viros aliquos religiosos et eruditos, qui eam expugnarent. Specialis hæc tandem assistentia omnibus nota est in hoc, quod catholica religio semper floreat, semper de inimicis triumphet, semper eadem perseveret, et usque ad mundi finem sit duratura, nec unquam adversus eam portæ inferni sint prævalitura. Miramini hanc religionem, quæ vera est, quæ sancta est, et quæ mirabiliter a Deo stabilita et propagata est. Miramini eam, et legibus ejus subdmini. Si christiani estis, Christum imitemini, et christiane vivite. Si fidem catholicam profiterimini, quæ fidei catholice sunt credite et perficite; Deusque vobis in hoc mundo gratiam, et in alio eternam beatitudinem conferat. Amen.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

DE PAUCITATE SALVANDORUM (1).

Multi sunt vocati, pauci vero electi (Matt. 20, 16).

Omnes naturaliter scire desiderant, tantaque multis inest sciendi cupido, ut indefesso labore, naturæ, gratiæ et divinitatis secreta scrutentur. Verum quidem, quod nullus jam ita stultus ac Democritus, qui oculos sibi eruit, ut naturæ arcana inten-

(1) Pene omnes oratores, qui auctoritate Hieronymi, usuvent ut ad terrendos peccatores et ad corda eorum extingenda hæc quoque conicio de paucitate electorum simul cum altera de numero peccatorum locum haberet in quovis sacræ prædicationis cursu. Cumque hæc præxim seculi sint præstantissimi quique illius ætatis copulationes, eam clamare vel exipere non auserim, quin et pæculum duxerim credere, tantos viros sancto rebo laud dictos, sive minus præditer videntur usi hæc in re sese accomodasse. Si vero, habita magistris reverentia, quæstio de paucitate salvandorum in se ipse, bifariam, uti patet, dividi potest: nempe primo, utrum electos, saltem comparatione facta cum reprobis catholicis, revera pauciores esse certo constat; secundo, utrum hæc thesis eorum fidelibus cujusque ætatis, ingenii agitari præditer possit. Missa hæc postrema questione, ne fines simplicis annotationis prætoram, quod primam thesım scriptoris sacri et oratores minus alterius seculi max clapsi id quidem pro certo assumunt, multisque congestis a Scripturæ, et SS. Patrum testimoniis demonstrare nitantur, revera exiguum esse numerum electorum præ multitudine reproborum, et hæc de re nulli dubium esse. Mihi vero, si quis opinor, hæc solutio videtur illi reconditam rem detegere voluisse, quam neque ipse Dominus J. Ch. revelatam voluit. Pene tota namque argumentatio asseritum paucitatem electorum nititur illis Christi verbis, *Multi sunt vocati pauci vero electi*; quid inde si constat hæc sententiam alium habere sensum ab eo, qui videm tribuitur a pluribus? Sane hæc Christus protulit sententiam in fine parabolarum de operariis in vinea, et de vocatis ad nuptias; quarum primam sic concludit oburgando primos operarios obmurmurantes eo quod unum denarium tantum sicut et alii accepissent: altera vice reprehendit impudentiam illius qui absque veste nuptiali cenam regalem ausus est ingredi. In priore parabola, omnes vocati, primi et novissimi denarium diurnum sc. coestem mercedem, ut inter-

tius contempleretur, nullus nunc ita crudelis ac Hierophilus ille medicus, qui sexcentorum hominum pectora aperuit, ut varios humani cordis motus exploraret, et qui, ut loquitur Tertullianus: *sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur: qui eam odio habuit, ut nosset*. Licet autem stulta hæc et feralis apud homines nunc non invenitur sciendi cupiditas, innata tamen cuique semper inest scientiæ libido. Et sicut de divitiarum cupiditate asseritur, quod semper crescat: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*, ita sciendi semper augetur desiderium, et quo quis doctor, eo ardentiori sciendi cupiditate agitur et angitur. Aliqui plantarum naturam, virtutes et proprie-

tes exponunt, acceptant: quomodo multi vocati, pauci electi? diversimode expositiones hæc verba interpretantur; ergo non unus verus sensus, quem eruant quidam de electorum exiguo numero. In altera parabola, unus veste nuptiali non indutus a mensa jussu regis est ejectus in tenebras exteriores; ceteri undequaque convocati permanserunt ad cenam, sive vite æternæ; ut quid ligitur pauci electi? Nempe quia major pars non obedit vocanti, hi sunt priores invitati; multi etiam eorum qui venerunt vel iterum auferunt, vel caritate carent, audientes legis tantum, non factores effecti; hos representat ille unus ejectus a convivio; illoque perpauci reperitur in die iudicii ad celestem gloriam electi; verum comparationis instituta cum omnibus hominibus, quod nonnulli fidenter, non cum solis catholicis, nisi plures contendunt. Re quidem vera, nunquid non omnes homines ad fidem externam vel internam prædicationem invitantur? *Multi vocati pro omnes dicto ut sepius habet a Scriptura*. Nam saltem in omnis Hebræorum gens ad Christum fidei auctorem vocata, quarum tamen paucissimi in Christum crediderunt et credunt? Sane hæc parabola non male ex mente Salvatoris ad Iudeos reproba et gentiles electos accomodat dicitur Hesselius: cui consentit Estius, et Jansenius certum dicit hinc esse germanum parabole sensum. Vido quid inde eruat per sententia de paucitate electorum inter catholicos. Ceterum inquisivisti questionem a quodam apostolo propositam, Christus respondit: « Contendite intrare per angustam portam; quia lata porta et spatiosa via est, que ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, que ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam! » (Math. 7; Luc. 13). Id quotidie cernimus. Verum qui novit quot convertentur ad nonam, quot ad undecimam horam, seu in extremis, qui longiore vel tota vite tempore ambulaverunt spatiosam viam perditionis? Certe plures salvantur providentia ordinis, plures extraordinaria: *quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* (ad Rom. 11). Et hæc pro annotatione abunde sufficiunt.

tates investigare contendunt; alii siderum, colorumque varios motus, variosque influxus observare conantur; alii gratiæ, gloriæ et predestinationis mysteriis scrutandis toti occupantur; et vix est aliquis, qui electorum et salvandorum numerum nosse non ambiat. Certum est, sine speciali revelatione sciri non posse, qui et quot a Deo ad beatitudinem æternam electi sint; utrum vero magnus vel parvus sit electorum numerus, declaravit ipse Christus dicens, paucos esse electos: *Pauci electi*. Quam ejus propositionem in sequentibus explicabo, edocens parvum esse electorum numerum. *Ape.*

Licet soli Deo sit cognitus numerus electorum, qui in superna civitate locandi sunt, si tamen electi cum reprobis conferantur, facile dignosci potest, an plures vel pauciores sint electi, quam reprobi; hoc enim satis dilucide sacra declarat Scriptura, hoc sancti Patres perspicue explicant, hoc theologi docent, et hoc ipsa ratio naturalis dicit. Jamvero ut res tota clarius et solidius pertractetur, hanc questionem de numero electorum et reproborum, triplici respectu inspicio et ventilare intendo. *Primò*, respectu omnium penitus hominum, tam fidelium, quam infidelium, qui sunt, qui fuerunt et qui usque ad mundi finem erunt. *Secundo*, respectu omnium christianorum, qui in Christum credunt, sive catholici illi sint, sive non. *Tertio*, respectu tantum catholicorum adultorum, qui scilicet fidem catholicam sectantur, ac Ecclesiæ romanæ adherent. Sub triplici autem hoc respectu paucos assero electos in comparatione reproborum, atque ostendendum assumo 1. quod ex omnibus omnino hominibus *pauci electi*; 2. quod ex omnibus christianis *pauci electi*; 3. quod ex omnibus catholicis adultis *pauci electi*.

I PARS.

Ex omnibus omnino hominibus pauci electi.

Si instituaturs comparatio inter homines generatim sumptos, qui a mundi primordio usque ad ejus finem vixerunt et vi-

cturi sunt, ex iis omnibus longe majorem esse reproborum, quam electorum numerum est evidentissimum. Siquidem ante Christi adventum rarissimus fuit veri Dei cultus, ac rara ejus cognitio, totusque mundus ita idololatriæ fuit deditus, ut in sola Judæa notus videretur verus Deus: *Notus in Judæa Deus*. Post Christi vero adventum longe major Gentilium, Turcarum, Judeorum et hæreticorum, quam catholicorum fuit numerus et ideo, quia *qui non credit jam judicatus est* (Joan. 3), aperte constat, ex omnibus hominibus simul sumptis paucos et paucissimos esse electos et salvandos præ multitudine reproborum et damnandorum. Nec de hoc dubitare potest, qui Christi verbis fidem adhibet, cum aperte dicat, quod *pauci electi*: quod saltem intelligi debet de omnibus hominibus electis, respectu omnium reproborum. Cum iret in Jerusalem Christus, populumque doceret transiens per civitates et castella, petit ab eo quidam, num parvus vel magnus esset electorum numerus: *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* (Luc. 13). O magnam questionem! Cui disertis verbis respondet Theophilactus, dicens: *Pauci sunt qui salvantur, eo quod angusta Paradisi via multos non recipiat*. Eidem questionem respondet divus Augustinus asserens, numerum electorum esse magnum et parvum; *magnum in se et parvum respectu reproborum: Qui salvantur, inquit, multi sunt et pauci; sed ipsi pauci qui multi, pauci scilicet in comparatione multorum perditorum*. Sic etiam respondent omnes catholici. Nec mirum, cum Christus, qui est suprema veritas, hanc questionem eodem modo solverit, ac expresse declaraverit, ex omnibus hominibus paucos esse electos collatos cum reprobis, scilicet: *Pauci electi* (1). De pusillo quodam græco loquitur Christus, de quo asserit, quod eum Pater æternus ad cœlestia regna possidenda destinavit:

(1) Si Christus hæc verba protulisset respondendo questionem propositam, de qua S. Lucas (13), profecto solita foret questio, ubi ille superasset dubitandum: verum illa protulit longe diversis in adiunctis, ideo ad rem parvam faciunt.

*Nolite, inquit, timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum (Luc. 12). Quis est ille grex, quem pusillum vocat Christus? Hic est grex electorum, qui, ut ait V. Beda, vere pusillus est, quia pauci electi. Jamvero quomodo pusillus ille grex, et quomodo pauci esse possunt electi, cum in celo S. Joannes viderit turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum? Respondet V. Beda, pusillum vocari gregem electorum ob comparationem majoris numeri reproborum (1). Electorum itaque grex magnus est et parvus; magnus est in se, et parvus, pusillusque in comparatione reproborum. Quod egregia et familiari similitudine præclare explicat S. Vincentius Ferrerius. Sumat, inquit, quis ex granis arenæ quantum una manu gestare poterit, certum est, quod unica hæc ejus manus multa et quasi innumerabilia arenæ grana continebit; illam tamen grana, quæ in se multa et quasi innumerabilia essent, paucissima et quasi nihilum censerentur, respectu totius arenæ maris. Similem in modum, ait S. Vincentius, certum est electos in se et in manu Dei multos esse: *Iustorum animæ in manu Dei sunt*. Verum si electi cum reprobis conferantur, paucissimi et quasi nihil sunt. Hanc electorum paucitatem indicavit Isaias propheta, cum Damascenos salvandos a strage Chaldaeorum comparavit paucis spicis residuis post messem, paucis olivis post excussam oleam remanentibus, et paucis uvis post vindemiam relictis. Inde enim paucitatem salvandorum figurari dicunt multi auctores, et præcipue D. Hieronymus, qui præfata Isaiæ verba exponens, ait: «Tanta erit Sanctorum paucitas, de quibus Dominus loquitur in Evangelio, dicens, *multi vocati, pauci electi*, ut eorum paucitas hæcis olivarum rarissimis comparaverit, quæ cum excussa fuerint*

(1) Notandum vero quod fidei Ven. Bedæ e vestigio subditi quasi superius dicta corrigens; «vel potius ob humilitatis devotionem nominat (pusillum gregem electorum)». Non ergo ita manifesta Bedæ sententia de paucitate electorum.

atque demissa, vix pauca remanserunt in ramorum cacumine. Et quomodo cum erit finita vindemia, solent pauperes egestate cogente vacuas circuire vites, et pauca uvarum grana colligere. O quam pauca sunt olivæ, quæ excussa olea remanent, præ illis, quæ sedulo collectæ sunt? O quam pauca sunt uvæ, quæ finita vindemia a pauperibus in vineis reperiuntur, præ tot illis quas vinearum domini colligi curarunt! Illæ certe in comparatione istarum paucissimæ sunt; eodem autem modo paucissimi sunt omnes electi respectu omnium reproborum.

Alia comparatione utitur Deus, ut doceat nos, quam parvus sit electorum numerus ad numerum reproborum. Ipse enim, Abraham alloquens, ait: *Sicut stelle cæli et sicut arenæ maris, sic erit semen tuum* (Gen. 22). Alios Abrahæ filios stellis cæli et alios arenæ maris Deus comparat: quod perpendens D. Augustinus ait, per *stellas cæli* electos intelligi, et per *arenam maris* reprobos. Ex quo infert, quod sicut numerus arenarum numerum stellarum longe excedit, ita numerus reproborum numerum electorum longe superat. Hæc et alia hujusmodi me terrent paucitatis salvandorum testimonia; multoque magis terrent et conturbant me ipsa Christi Salvatoris verba, qui duplicem viam proponit, arenam unam et spatiosam alteram; *arctam*, quæ ducit ad vitam; *spatiosam*, quæ ducit ad mortem; *arctam*, quæ pauci, et *spatiosam*, quæ multi incedunt. O quam fugienda spatiosa hæc via, quæ itur ad infernum! et tamen asserit Christus, quod multi sint reprobi, qui lata hæc via ad infernum properant; *Lata, inquit, porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam* (Matt. 7). O quam amanda, et sedulo sectanda est arcta hæc via, quæ itur ad cælum! et tamen dicit Salvator, quod pauci sint electi, qui hæc via incedunt: *Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam*! Qualis via, talis porta. Orci lata via et lata etiam porta, capiens plurimos: *multi sunt qui intrant per eam*; cæli vero angusta via et angusta etiam porta capiens paucos: *pauci sunt qui inveniunt eam*. Orci porta ethnicos, turcas, judæos, hæreticos, usurarios, libidinosos, falsarios, fures et innumeros omnis ge-

neris peccatores capit: *multi sunt qui intrant per eam; cœli vero via et porta aliquos solum religiosos, sacerdotes nonnullos et paucos laicos recipit (1): pauci sunt qui inveniunt eam.* Lata inferni vix omnibus sese offert, et ad illam sequendam inclinat natura, invitat mundus, sollicitat diabolus; ideo viatorum multitudine redundat: *multi intrant per eam.* Arcta vero paradisi via prima fronte terret, quia, ut ait S. Bernardus, *arduis est ascensus Jerusalem* (Serm. de quadr. deb.), et ut loquitur Firmianus, *vía cœlestis difficilis et olivosa propensa est, vel spinis horrentibus aspera, vel sociis extantibus impedita.* Quare pauci paradisi via incedunt, et pauci per paradisi portam ingrediuntur: *pauci sunt qui inveniunt eam.* Utramque hanc viam contemplantur S. Hieronymus, dicens: « vide quanta inter has vias separatio sit, quantumque discrimen. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam; illa vitibus per consuetudinem quasi declivior ac mollior, hæc inusito calle virtutum tristior et horridior. Illa tectitur a multis, hæc vix invenitur a paucis: *pauci intrant per eam* (ep. 14) ».

Utramque hanc viam serio considerate, et magna animi coelestione ponderate hæc duo verba a Christo prolata: *pauci et multi.* Querite ab illo, an multi vel pauci sint, qui per latam viam, quæ ducit ad inferos, transeant? Respondet ipse: *multi.* Ab illo petite, utrum multi vel pauci sint, qui per arctam viam, qua itur in cœlum, pergant? Respondet ipse: *pauci, pauci electi.* Quare cum Christus, qui est suprema veritas, semel et iterum asserat paucos esse electos, non ambigendum, nec hesitandum, sed firmiter credendum ex omnibus hominibus simul sumptis paucos esse electos comparate ad reprobos: *pauci electi.* Hoc sane credendum, quod tamen paucissimi credunt. Si enim præ reprobis paucos esse electos firmiter cre-

(1) Cavemus ammodo, ne his sententiis imprudenter prolatis plurimi in desperationis barathrum conjiciantur; si inter ipsos religiosos aliqui tantum salvantur, quid erit de secularibus? Ab hac sententia vix est gradus ad aliam: ergo de huiusmodi salute pene actum est.

deremus, quis non trepidaret? Quis totis artibus non contremiscret? Quis sancte et pie vivere non satageret? Quis salutis suæ non consuleret? Quis per angustam paradisi portam, qua pauci transeunt, intrare non contenderet? Ipsemet Christus, qui angustam esse cœli portam ac paucos per eam intrare declarat, hortatur omnes, ut per angustam hanc portam ingredi contendat: *contendite intrare.* Igitur si Christo credatis, per angustum hoc ostium intrare contendite. *Angusta est porta:* humiliare capita vestra et peccatorum sarcinam deponite, ut intrare possitis. *Angusta est porta:* dimicite cum demone, cum carne, cum mundo, qui anguste illius porte aditum præcludere conantur hominibus. *Angusta est porta:* contendite ac toto cordis impetu, omnique voluntatis affectu virtutis actibus insistite, ut per eam intrare valeatis. *Angusta tandem est paradisi porta,* per quam ingrediuntur pauci, hi scilicet, qui Dei mandatis obtemperant: ea ergo servare pro viribus satagite, ut cum paucis aliquando ingrediamini. Postquam vero ex omnibus hominibus electos paucos esse probavimus, dicendum etiam, *quod ex omnibus christianis pauci sint electi.*

II PARS.

Ex omnibus Christianis pauci electi.

Licet Deus omnes homines salvos fieri velit, licet omnibus salutis gratiam largiatur, licet pro omnibus incarnatus, passus et mortuus sit, speciali tamen christianos prosequitur amore, majorique cura salutem eorum invigilat, quos per baptismum, sine quo nulla salutis spes, ad veram fidem vocare dignatus est. Unde nunquam satis laudare et prædicare possumus felicitatem christianorum, que quidem magna est respectu infidelium, cum christianos Deus a tenebris erroris eruerit: cum eos in admirabile fidei suæ lumen perduxerit, eisque baptismalem gratiam infuderit. Infelices merito censemur turcas, barbaros, ethnicos, aliosque infideles, quibus nulla est Christi notitia;

eosque a salutis via alienos credimus, cum Salvatore Jesum, in quo solo est salus, non agnoscat, ejusque institutis nullo modo adhaereant. Deploranda sane hujusmodi hominum miseria, et respectu eorum felicissimi sunt, qui christiano nomine insi, guuntur, cum eis magis pateat ad salutem via, cumque longo facilius salvari possint, quam infideles. Verum o rem sanguineis lacrymis lugendam! Tanta est daemonis astutia, tanta seculi perversitas, tantaque hominum malitia, ut ex ipsis christianis pauci salvantur. Non quod fides deficit salutis gratia, sed quia ipsi gratia deficiunt: non quod cogi ostium iis non sit apertum, sed quia ipsi intrare nolunt: non, quod iis non dentur media ad salutem necessaria, sed quia ipsi mediis sibi datis uti renuunt. Unde fit, inquit Granatensis, tam paucos ex christianis salvari, ut vix aliqui inveniantur qui pie vivant et ad caelestia regna perveniant: *partem hanc, inquit, quae Christianorum nomine celebris est, intueri, et vide quo loco res christianorum hoc exalcoratissimo saeculo sint constituta; et fateberis, in hoc corpore mystico, vix aliquod membrum sanum reperiri (Ducis pecc. 1, 26)*. Hoc sane fatendum est, nec illud hac de re manet ambigendi locus. Nam ex omnibus christianis, seu ex omnibus qui baptizati sunt, et qui Christum ad Deum agnoscat, multo plures sunt haeretici, quam catholici; haeretici autem omnes damnantur (1), quis qui non credit, jam judicatus est (Joan. 3); ex catholicis vero non quidem omnes, sed quamplurimi damnantur. Ex quo evidentissime constat, quod si sumantur omnes Christiani simul, tam scilicet ha-

(1) Omnes damnantur qui voluntaria caecitate haeresi adherent, non vero qui bona fide haerese sentantur eo quod in illa nati et instituti vel nil de catholica veritate audierunt, vel non alio nisi aegrii ministrorum incriminationes et diceria contra Ecclesiam catholicam: quorum haeticorum bonae fidei non parvus est numerus, praesertim in regionibus, ubi a saeculis dominantur protestantium sectae. — Quod vero subdit de catholicis quamplurimos damnari, videtur auctor pro certo assumere quod demonstratione eget; saltem hanc sententiam aliquo excessu sive exaggeratione peccare, nemo, meo iudicio, diffitebitur.

retici, quam catholici, eorum longe plures sint damnandi, quam salvandi; quodque ex omnibus Christianis simul sumptis sint pauci electi. Hac de re nullatenus dubitavere sancti Patres, et praecipue S. Gregorius, qui explicans haec Christi verba, multi vocati, pauci vero electi, attonitus clamat: *Hoc terribile est velle, quia ad fidem plures veniunt, et ad caeleste regnum pauci perducuntur* (hom. 19 in Ev.). Ad fidem veniunt Angli, Svevi, Dani, Batavi et omnes qui baptismum recipiunt; at ex his omnibus pauci salvantur, et ad caeleste regnum perducuntur: quia cum adulti fiunt, vel fide cadunt, vel ad vitia declinant et in peccatis suis moriuntur.

Sole ergo clarius est, quod ex omnibus Christianis tam catholicis quam haeticis pauci salvantur. Et hoc manifestare voluit Spiritus Sanctus multis figuris in veteri Testamento relatis. In civitate enim Jerico, vastatis reliquis omnibus domibus, sola domus Rahab servata est. In urbe Sodoma sola domus Lot a generali incendio salva evasit. In diluvio universali sola domus Noë a communi cataclysmo liberata est. Ex sexcentis hominum millibus, qui ex Aegypto egressi sunt, ut ad terram promissionis iter facerent, duo tantum, Josue scilicet et Caleb, ad eam pervenerant. Quibus omnibus figuris juxta expositionem Doctorum indicatur, parvum et paucissimum esse numerum electorum respectu reproborum. Quod et indicatur in sancto Evangelio: *tum* per parabolam seminis, quod Deus in Ecclesiae suae agro seminavit, cujus tres partes, vel secus viam, vel super petram, vel inter spinas perierant; et quarta solummodo pars coecidit super terram bonam, et fructum afferret: *tum* ex maximo hominum numero, qui Christum sequebantur, quorum tres tantum ad montem sanctum Thabor ascenderunt. His omnibus figuris addi possent formidanda Zachariae prophetae verba (1, 13), qui tam paucos fore salvandos ait, ut ex tribus mundi partibus duas disperendas dicat; de tertia autem quid futurum sit, non determinet: *Erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duae disperdentur et deficient, et tertia pars retinetur in ea*. Ad quid vero plura colligeremus argumenta ad probandum, quod ex omnibus christianis tam catholicis quam

haereticis pauci salvantur, cum constet, uti mox dicturi et probaturi sumus, ex solis catholicis adultis paucos salvari? Si ex his pauci ad vitam perveniunt aeternam, quanto pauciores illuc perveniunt ex omnibus christianis tam catholicis, quam haereticis? Certe ex istis paucissimi salvantur, non quod Deus omnibus salutis gratiam non det, verum quia data sibi gratia pauci bene utuntur, et multi abutuntur. Hoc omnino certum est, unde superest quod timeamus. O christiane, pauci ex christianis electi sunt, time, ne unus haud sis ex paucis his qui salvantur: time, ne unus sis ex multis his christianis reprobis, qui in aeternum damnantur. Cum Christus Dominus duodecim Apostolis dixit: *Unus ex vobis tradet me* (Joan. 13, 21), trepidaverunt omnes. Unum dixit et timerunt omnes, ac singuli dicebant: *numquid ego sum?* Heu! quanto magis gelidus corda nostra pavor invadere debet, cum non unus ex duodecim christianis, sed ex omnibus christianis multo plures damnandi sint, quam salvandi. Tam grave, tamque horrendum est incidere in manus Dei viventis et in aeternum damnari, ut si a Deo ad nos missus angelus annuntiaret unicum ex tota civitate, quam incolimus, civem fore damnandum, trepidare deberemus omnes, et quisque nostrum timere deberet, ne ipse esset reprobus ille, sempternis ignibus adjudicandus. Parum est quod dico. Amplius nostram hypotesin et dicamus: quod si ex omnibus regni incolis, imo si ex omnibus Aëe filiis unicum tantum damnandum sciremus, vehementi timore concuti deberent omnes, ac quisque si recte saperet, secum ipse pavidus dicere: *numquid ego sum?* Numquid ego sum infelicissimus ille homo qui damnandus est et ad inferos praecipitandus? Quanto magis hoc dicere et formidare debemus, cum evidentissimum sit, ex ipsis christianis paucos salvari et quamplurimos damnari? Magno certe cum timore et tremore salutem suam operari quisque debet: *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (Philip. 2). Major autem subest causa timendi, majoreque cum sollicitudine salutis nostrae negotio incumbere oportet, cum non solum ex christianis, verum et ex catholicis pauci electi.

III PARS.

Ex omnibus catholicis adultis pauci electi.

Si fiat comparatio inter catholicos tam parvulos quam adultos, verisimilius est, plures salvandos, quam damnandos. Innumeri namque pueri unda baptismali renati, antequam ad rationis usum pervenerint, ex hac vita migrant: ex adultis etiam multi in statu gratiae ex hoc mundo exeunt: ideo verisimilimum, imo et certum videtur ex catholicis tam adultis quam non adultis plures salvari, quam damnari. Si vero de solis catholicis adultis instituat sermo, dico ex his plures damnari, quam salvari; seu, quod idem est, dico, ex catholicis omnibus adultis paucos esse electos comparate ad reprobos. Ne autem videar ex meipso loqui, audiatur Doctorum aquila, dicens: *Boni verique christiani, qui per seipso multi sunt, comparatione malorum pauci sunt: sicut multa grana, quibus horrea magna complentur, pauca sunt in comparatione palearum* (cont. Crescent. 3, 66). Rogatus aliquando idem Augustinus, quid de electorum et reproborum numero sentiret, ipsis sacre Scripturae verbis respondit: *arcta est via quae ducit ad vitam*. Ut autem ad mentem sua clarius explicandam cogeretur, ab eo petita est horum Christi Domini verborum expositio, et ille pavidus respondit: *haec verba explicatione non indigent, sed pavor*. Altera tamen vice de numero electorum et reproborum interrogatus Augustinus, clare respondit: *Arbitror tres mundi partes fore damnandas, eo quod in eas regnat infidelitas (de vero cultu)*. Quid vero de quarta mundi parte, quae catholicorum est? *De quarta*, inquit, *quid dicam, nisi quod* (1. Joan. 5) *dicitur: totus mundus in maligno positus est?* Non respondet sanctus Doctor, ex catholicis, qui quartam hanc partem constituent, plures salvari, quam damnari, sed totum mundum in maligno esse positum, ut ostendat in hac etiam quarta parte plures damnari

quam salvari, et in ea paucos esse electos, præ reprobis. Clarus hac in parte locutus est Chrysostomus: cum enim die quadam ad populum Antiochenum verba faceret, hanc adstantibus proposuit questionem: *quot esse putatis in civitate nostra, qui salvi fiant?* Non facile huic interrogationi respondissent auditores: quare ipsemet questionem solvit, dicens: *Infestam est quod dicturus sum, dicam tamen: non possunt in tot millibus centum reperiri, qui salventur* (ho. 40 ad pop.). Animadvertite, quod Antiochie tunc incolarum saltem centum millia erant, et tamen ex his centum millibus centum solum, seu ex singulis millibus unum tantum salvandum palam e veritatis cathedra pronuntiavit S. Chrysostomus: propterea, hoc audito, pavidi inimicem se respiciebant auditores ejus, quasi quid incredibile prædicasset. Ille tamen suam iterum ventilans propositionem, ait: *ne censeatis, me nimia cum exaggeratione locutum, quia etiam dubito, an ex omnibus magne hujus civitatis incolis centum salventur: quin et de iis dubito.* Cujus rei rationem mox reddens, ait: *Quanta enim in juvenibus est malitia? Quantus in senibus torpor? Filiorum curam gerit nemo, nemo solum habet? exemplaria jam deleta sunt.*

Attendite, quod qui talia proferit, est Chrysostomus, eximius hic Ecclesie Doctor, os illud aureum, ex quo nonnisi oracula fluunt. Loquitur autem non de Babylone vel Sodoma, verum de civitate Antiochie; idque de ea assertit non cum illi Christi fides nondum illuxerat, sed eo tempore quo Patrum, Martyrum ac Doctorum sanctitatis maxime vigeat; ac etiam tunc cum sanctus ille Doctor maximam hujus populi curam gereret. Heu! si tunc cum Christi Domini sanguis adhuc quasi madet, si, inquam, tunc dubitat Chrysostomus, an in maxima hac civitate plena populo ex tot millibus centum sint qui salvi fiant, quid sentiret de civitatibus nostris? Quid de sæculo nostro, in quo maxima in juvenibus malitia, in quo inertissimus in senibus torpor, in quo omnia inundant vitia, et in quo non est qui faciat bonum? Certe si jam in urbibus nostris concionaretur Chrysostomus, timeo ne quid terribilius in nostri confusionem proferret. Nec dubito quin ex catholicis adultis paucissimos sal-

vandos assareret. Hoc non multo ab hinc tempore asservit piissimus pariter ac doctissimus concionator Ludovicus Granatensis. Hoc et asseruit egregius Doctor simul et cardinalis Cajetanus, qui exponens parabolam de decem virginibus, quarum quinque fatue et quinque prudentes, ait, quod similiter ex catholicis illis, qui pietatis operibus seculo vacare ac salutis suæ negotio sollicitè invigilare profitentur, media pars salvetur et media damnetur (1): ex omnibus vero catholicis adultis plures damnetur, quam salventur, quia *multorum extrinseca opera sunt manifeste mala.* Hoc firmius et clarius asseruit sanctus Hieronymus, cum certissimum prædestinationis signum esse dixit, si quis vivat ut pauci vivunt: *vivere ut pauci.* Non ad infideles, vel ad hereticos hæc verba dirigit Hieronymus, quia hi nullum prædestinationis signum in se habent, catholicos alloquitur, ex quibus multi damnantur et pauci salvantur; et inter quos verum prædestinationis signum esse, *vivere ut pauci*, quia etiam inter eos pauci sunt qui salventur et eternam beatitudinem consequantur. De catholicis, qui in Ecclesia romana congregantur, loquens Origenes, paucos salvari ait his verbis: « Si quis consideret multitudinem hominum, qui in ecclesia congregantur, et discussit, quanti sunt qui versantur discipline et renovantur novitate sensus; quanti autem negligentissime conversantes conformantur huic sæculo, videbit esse verum sermonem Domini dicentis: *multi sunt vocati, pauci electi* » (hom. 10 in Math.). Considera quanta sit injustitia apud senatores, iudices, caudicatos et omnes justitiæ secularis ministros: quo usure, quotque fraudes apud mercatores, artifices, divites et plebeios; quot lædæ libidines apud utriusque sexus et conditionis juvenes; quot omnis generis vitia undique circumfluant, et fateris, inter catholicos etiam verum esse sermonem Christi, dicentis: *multi sunt vocati, pauci electi.* Attende, inquit Bernardus, quod recessit custodia a prælatis, devotio a religiosis, reverentia a subditis, consilium a senibus, lex a sacerdotibus.

(1) Et hic præsertim locum habet quod supra adnotavi p. 158. N. E.

justitia a rectoribus, æquitas a iudicibus, charitas a civibus, veritas a mercatoribus, dilectio ab omnibus. Mente revolve, inquit Ludovicus Granatensis, quamcumque volueris ex civitatibus celeberrimis, in quibus vere, pure et sincere religionis exteat adhuc vestigia. Perambula porro; non dico tabernas et loca publica, quæ mendaciis, ebrietatibus et imposturis sunt dicata, sed ipsas domos vicinorum, et audies undique murmur, mendacia, execrationes, juramenta et blasphemias. Ad, si velis, aulæ, tribunalia, officinas, naudinas, militiam, fora, naves, currus, privatas aedès, et ibi puerorum, adolescentum, puellarum, virorum, senum perjuria, fraudes, convicia, odia, temulentiam, lasciviam, aliaque vitia observabis. Intra, si libeat, in ipsas ecclesias ac loca sacra, et ibi sacrilegia, profanationes, irreverentias, aliisque christiano nomine indigna adnotabis. Quocumque tandem te vertas, si catholicorum mores serio examinaveris, tot videbis negligenter, tot indisciplinate et turpiter vivere, ut nec dubitare possis quoad etiam catholicos, verum esse sermonem Domini dicentis: *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Verus quidem et verissimus sermo Domini dicentis, paucos esse electos. Verus est non solum respectu omnium hominum et respectu omnium christianorum, sed etiam respectu omnium catholicorum. Unde est, quod jam cum Isai propheta dicamus: *Dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum sine termino* (5, 14): dilatavit quidem infernus animam suam, suumque os ita aperuit, ut paucis exceptis, omnes penitus homines deglutiat. Quis ergo non timeat? Quis per angustam paradisi portam intrare non contendat? quis angusto tramite sibi portam salutis non querat? Quis per pia opera certam suam vocationem et salutem facere non satagat? Hæc duo verba, *pauci electi*, velut horrendum tonitru, magnam orbis christiani partem terrare: hæc multos constituta vitam mortales a victorum orno ad arctiorem omnium virtutum viam sectandam alexere: hæc plurimos ab urbilus ad deserta et antra compulere. Hæc duæ voces, *pauci electi*, innumeros ad corpora sua jejuniis, ciliciis, vigiliis, verberibus, aliisque gravibus poenitentis et mortificationibus crucianda adduxere: hæc

invictissimos plures athletas in catastas, in equuleos, cruces, rogos, bestiarum dentes, ac in armatis tortorum manus egere. O utinam hæc eadem verba in omnium hominum auribus sonarent? Utinam omnium corda penetrarent! Rogo vos, fratres, per viscera misericordiæ Dei nostri, ut non recedant hæc verba a mentibus vestris; non recedant a cordibus vestris. Dicat quisque intra semetipsum: *pauci electi*; quapropter, ut cum paucis annumerari merear, a peccati somno volo surgere, et in divinorum observantia mandatorum constanter perseverare. Dicat quisque sibi metipsum: *pauci electi*, ideo quiddid durum et asperum sese mihi in via salutis offeret, libenter subibo, ut cum paucis aliquando vivere et reguare mihi contingat. Dicat quisque: *pauci electi*, ideo salutis meæ negotio sollicitè invigilabo, adversus omnes animæ mese hostes strenue decertabo, ac indefessa cura bonis operibus incumbam, ut ad coeleste regnum, quod paucorum est, pervenire valeam. Mementote semper, coelestem coronam dari solummodo sollicitè vigilantibus, viriliter pugnantibus et strenue laborantibus: qui omnes *pauci sunt*. Igitur omnem procul pellite negligentiam, ac vigilate, pugnatè et laborate, ut cum paucis coelestem coronam impetrare possitis.

Amen.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

DE VERBO DEI.

Semen est verbum Dei (Luc. 8, 11).

Verbi divini apostolorum et concionatorum ore prolati tanta est virtus, efficacia tanta, ut Verbi increati, per quod omnia facta sunt, emanatio quadam et participatio esse videatur. Quia sicut Verbum increatum est causa principalis et prima rerum omnium quæ factæ sunt, ita verbum prædicationis est causa instrumentalis mutationum, conversionum et omnium fere ho-

justitia a rectoribus, cequitas a judicibus, charitas a civibus, veritas a mercatoribus, dilectio ab omnibus. Mente revolve, inquit Ludovicus Granatensis, quamcumque volueris ex civitatibus celebrioribus, in quibus vere, pure et sincere religionis exteat adhuc vestigia. Perambula porro; non dico tabernas et loca publica, quae mendaciis, ebrietatibus et imposturis sunt dicata, sed ipsas domos vicinorum, et audies undique murmur, mendacia, execrationes, juramenta et blasphemias. Ad, si velis, aulias, tribunalia, officinas, naudinas, militiam, fora, naves, currus, privatas aedes, et ibi puerorum, adolescentum, puellarum, virorum, senum perjuria, fraudes, convicia, odia, temulentiam, lasciviam, aliaque vitia observabis. Intra, si libeat, in ipsas ecclesias ac loca sacra, et ibi sacrilegia, profanationes, irreverentias, aliaque christiano nomine indigna adnotabis. Quocumque tandem te vertas, si catholicorum mores serio examinaveris, tot videbis negligenter, tot indisciplinate et turpiter vivere, ut nec dubitare possis quoad etiam catholicos, verum esse sermonem Domini dicentis: *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Verus quidem et verissimus sermo Domini dicentis, paucos esse electos. Verus est non solum respectu omnium hominum et respectu omnium christianorum, sed etiam respectu omnium catholicorum. Unde est, quod jam cum Isala propheta dicamus: *Dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum sine termino* (5, 14): dilatavit quidem infernus animam suam, suumque os ita aperuit, ut paucis exceptis, omnes penitus homines deglutiat. Quis ergo non timeat? Quis per angustam paradisi portam intrare non contendat? quis angusto tramite sibi portam salutis non quaerat? Quis per pia opera certam suam vocationem et salutem facere non satagat? Hac duo verba, *pauci electi*, velut horrendum tonitru, magnam orbis christiani partem terrare: haec multos constituta vitam mortales a victorum orno ad arctiorem omnium virtutum viam sectandam allexere: haec plurimos ab urbilus ad deserta et antra compulere. Haec duae voces, *pauci electi*, innumeros ad corpora sua jejuniis, ciliciis, vigiliis, verberibus, aliisque gravibus poenitentis et mortificationibus crucianda adduxere: haec

invictissimos plures athletas in catastas, in equuleos, cruces, rogos, bestiarum dentes, ac in armatis tortorum manus egere. O utinam haec eadem verba in omnium hominum auribus sonarent? Utinam omnium corda penetrarent! Rogo vos, fratres, per viscera misericordiae Dei nostri, ut non recedant hac verba a mentibus vestris; non recedant a cordibus vestris. Dicat quisque intra semetipsum: *pauci electi*; quapropter, ut cum paucis annumerari merear, a peccati somno volo surgere, et in divinorum observantia mandatorum constanter perseverare. Dicat quisque sibi metipsum: *pauci electi*, ideo quiddid durum et asperum sese mihi in via salutis offeret, libenter subibo, ut cum paucis aliquando vivere et reguare mihi contingat. Dicat quisque: *pauci electi*, ideo salutis meae negotio sollicite invigilabo, adversus omnes animae mese hostes strenue decertabo, ac indefessa cura bonis operibus incumbam, ut ad coeleste regnum, quod paucorum est, pervenire valeam. Mementote semper, coelestem coronam dari solummodo sollicite vigilantibus, viriliter pugnantibus et strenue laborantibus: qui omnes *pauci sunt*. Igitur omnem procul pellite negligentiam, ac vigilate, pugnatate et laborate, ut cum paucis coelestem coronam impetrare possitis.

Amen.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

DE VERBO DEI.

Semen est verbum Dei (Luc. 8, 11).

Verbi divini apostolorum et concionatorum ore prolati tanta est virtus, efficacia tanta, ut Verbi increati, per quod omnia facta sunt, emanatio quadam et participatio esse videatur. Quia sicut Verbum increatum est causa principalis et prima rerum omnium quae factae sunt, ita verbum praedicationis est causa instrumentalis mutationum, conversionum et omnium fere ho-

norum, quæ in hominum animis et cordibus geruntur. Quis enarret admirandas mutationes, quæ hoc verbo effectæ sunt? Quis dicat quot sapientes in pueros evangelicos, quot ignari in magistros verbi hujus virtute sint conversi? Quam multe sancto hoc prædicationis verbo abrogatæ sint prævæ consuetudines? Quæ vitia non abolita? Quæ virtutes ab hominibus, alias peccato servientibus, non acceptæ et sedulo excoltæ? Quid hoc verbo hominibus non persuasum, idque omnibus sæculis, necnon apud omnes nationes et gentes? Jamvero heu! infelici hoc ævo, auditorum incuria, malitia et defectu, Dei verbum suam omnem vim et efficaciam perdidisse videtur. Nullo unquam tempore plures fuere concionatores, quam nostro: tam multa nunquam habita sunt conciones, et quidem sine ullo eloquentiæ furo, et satis magna diligentia ad audientium utilitatem elaboratæ. Et tamen exiguis inde manat fructus, et paucissimos reperire est, qui concionatorum voce permoti suos corrigant mores; qui peccati jugum a se expellant, et ad meliorem vitæ frugem veniant. Quod haud dubie processit ex defectu auditorum, qui Dei verbum non audiunt sicut oportet. Ut igitur tanto occurramus malo, modum debite audiendi verbum Dei jam doceamus. *Ace.*

Ex christians nonnulli verbum Dei audiunt, sed non retinent: alii illud quidem memoria retinent, sed non credunt: et alii illud credunt et retinent, non tamen illi obediunt, nec executioni mandant id, quod Dei verbum peragendum docet. Qui Dei verbum audiunt et non retinent, sunt similes cribro: quod quidem recipit aquam, quam mox emittit, nec aliquid ejus retinet. Qui Dei verbum retinent et non credunt, sunt similes principibus illis et pharisæis, qui Christum prædicantem audiebant, at verbis ejus nullam fidem adhibebant: *Namquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisæis?* (Joan. 7, 48). Qui tandem verbum Dei credunt et illi non obediunt, sunt similes homini, qui vultus sui speciem in speculo considerat, nec tamen maculas, quas in vultu adnotat, abstergere satagit: *Hic comparabitur viro consideranti cultum natiuitatis suæ in speculo* (Jacob. 1). Audire verbum Dei et

non retinere, parum prodest. Retinere Dei verbum* et non credere, multum nocet. Credere verbum Dei et illi non obedire, seu illa non perficere, quæ a Dei verbo perficienda doceantur, sæpe non tam prodest quam nocet. Ut ergo fructum quisque ex Dei verbo eliciat, ita audiendum, ut 1. memoria retineatur; 2. corde credatur; 3. manu executioni mandetur. Verbum Dei retinendum, verbum Dei credendum, verbo Dei obediendum; et tres hujus concionis partes.

I PARS.

Verbum Dei memoria retinendum.

Nil homines majore cum affectu conservare et majore cum sollicitudine retinere solent, quam res, quas pretiosas censent. De conservandis et retinendis apud se luto, lapidibus, aliisque vilibus, non est qui curet; aurum, argentum, aliasque res pretiosas, cuncti studiosè servare et custodire solent. Quapropter ut ad memoria retinendum et conservandum Dei verbum vos inducam, vobis suadere conabor, nil eo esse pretiosius; si quidem Dei verbum est semen, margarita et thesaurus: 1. *est semen*, cujus pretium incomparabile; 2. *est margarita*, cujus pretium inestimabile; 3. *est thesaurus*, cujus pretium infinitum.

1. Verbum Dei est semen quoddam spirituale et mysticum, *semen est verbum Dei*. Est quidem vere semen, *tum* quia sicut semen est principium vitæ naturalis, ita et Dei verbum est principium vitæ spiritualis; *tum* quia sicut preparari debet humus, ut satum in ea semen fructus afferat, ita et debite parata esse debent corda auditorum, ut verbum Dei a concionatoribus seminatum penitentia et salutis fructus producat. Semen autem illud est pretiosissimum, quia cum in terra bona et bene culta, seu in corde bono rore coelesti irrigato et gratia Dei exequito, seminatur, fructus cælo dignos et in æternum duraturos producit. Unde prædicatores, qui Dei verbum

seminant et predicant, vocantur *satores aternitatis*, quia scilicet eum verbum Dei, quod serunt, cadit in terram bonam, spirituales, coelestes et in aeternum duraturos fructus affert et producit. O quam pretiosum illud semen! Tanti fecit, tanque pretiosum censuit illud semen Christus Salvator, ut de caelo illud iulerit, et in terram ad illud seminandum descendere. *Exiit* et quasi egressus est e sinu Patris; *exiit* a caelo in terram, et *exiit* ut verbum Dei predicaret et seminaret; *exiit* qui *seminat, seminare semen suum*. Illud seminavit non solum per seipsum, sed etiam per apostolos et per discipulos, qui ad omnes orbis terrarum partes se contulerunt, ut ubique satorum munereungerentur, et ubique divinum illud semen sererent. At Christi etiam et apostolorum tempore coeleste illud semen ab innumeris concionatoribus continue seminatum est, mirabilesque saepe, portentosos et in aeternum perseveraturos fructus edidit, quia innumeros peccatores ad Deum convertit et in viros sanctos mutavit, qui in caelo aeternum regnabunt et triumphabunt. O quam mirandam, quam pretiosum illud semen! Dic, quaso, si semen ali- quod in tua haberes potestate, cuius tanta esset virtus, ut in terra satum mirabiles, raros et pretiosos fructus non utiles tantum ad vitam temporalem, verum etiam ad coelestem alendam produceret, nonne illud pretiosissimum censes? Nil haud dubie hoc semine rarius, nil pretiosius aestimares. Verbum autem Dei est semen illud, quod in hominum terrestrium et carnalium cordibus satum, eos in viros coelo dignos et in sanctos aeternum in empyreo regnatores immutat. Nonne Dei verbo Augustinus miser et obcecatus in virum justum et caelo idoneum conversus est? Nonne Dei verbo Magdalena peccatrix in Magdalenam penitentem, sanctam, Deo placentem, et celestibus thronis dignam mutata est? Nonne hoc verbo Paulus, qui infidelis erat, factus est vas electionis? Nonne Matthaeus, qui ad telonium sedebat, Dei verbo ad apostolica munia vocatus, et deinde ad coelestia regna translatus est? Nonne ab Ecclesiae Christi primordio hoc Dei verbum a zelo successis concionatoribus satum, sanctos in caelo multiplicavit et usque ad mundi

finem multiplicabit? Certe plerique sanctorum, qui in paradiso beantur, veluti fructus Dei verbi sibi habendi. Igitur Dei verbum, ut semen pretiosissimum inspiciendum, et ut quid pretiosissimum retinendum est. Cum ergo Dei verbum audis, illud, quantum fas erit, memoria manda; illudque in memoria, tanquam rem pretiosissimam retine, ut eo ad tui sanctificationem et ad coeleste regnum obtinendum utaris. Retinendam etiam Dei verbum, *quia est margarita, cujus pretium inestimabile*.

2. Non illud ex meo sensu, sed ex Christi sententia margaritam appello; prohibet enim Salvator, ne ante porcos projiciantur margaritae; *neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (Matt. 7, 6). Quid per margaritas ibi Christus intelligit? Loquitur ne margaritis materialibus? Non equidem; quia hujusmodi margaritae projici non solent, nec aliquis ita prodigus, ut eas ante porcos mittat. Quae ergo sunt haec margaritae, de quibus Christus? Haec sunt Dei verba, coelestisque et pretiosa doctrina Evangelii. *Margaritarum instar*, inquit sanctus Hieronymus, *est sermo Dei*; et ut ait S. Joannes Chrysostomus (Prol. in Joan.), *margaritae haec verba vocant, quae his longe pulchriora, prestantioraque sunt*. O quam pretiosum est Dei verbum! Ipsi sane margaritis est pretiosus, ejusque pretium est inestimabile: quia qui Dei verbo ad sui sanctificationem utitur, eo totum coeleste regnum sibi emit. Quare cum ita pretiosum sit Dei verbum, non illud a mente et a memoria ejicias; illud retine, illudque saepe mente revolve. Si pretiosas possideres margaritas, non illas haud dubie foras mitteres, imo eas pro viribus occultares et retineras; conserva ergo et sollicite verbum Dei memoria retine, cum sit ipsis margaritis pretiosus, ejusque pretium sit inestimabile. Demum memoria retinendum verbum Dei, *quia est thesaurus, cujus pretium infinitum*.

3. *Non solum thesaurum verbum Dei comparatur*, inquit Chrysostomus, *sed etiam fonti* (hom. 3 in Gen.). Verbum est quidem simile fonti, quia fluit et ubique se communicat sicut fontis aqua. Verbum est etiam simile thesauro ratione pretii sui, quia pretiosum tanquam thesaurus. Cognoscitur, ut subdit S. Chrysostomus, quanti pretii sit aliquis thesaurus, ex re, quo

mediante hoc thesauro comparari potest. Magnus est thesaurus, si eo emi possit illustre aliquid prædium: *major*, si eo acquiri possit insignis quidam ductatus: *maximus*, si eo comparari possit amplissimum aliquid terræ regnum. Verbum Dei est thesaurus in infinitum major, quia verbo Dei, si quis bene utatur, acquiri potest regnum cœlestis, æternum et infinitum. O quam magnus et pretiosus ille thesaurus! Pretiosissimum esse illum thesaurum novit psaltes regius, qui illum in corde suo abscondit et occultavit: *in corde meo abscondi eloquia tua* (Ps. 118, 11). Quo thesaurus aliquis est pretiosior, eo in loco occultiore abditur, et ideo Dei verbum in corde suo, quasi totius corporis humani loco abditore, abscondit propheta, quia æstimat verbum Dei esse thesaurum, quo nullus pretiosior. Cum ergo Dei verbum sit thesaurus pretiosissimus, summa cura, summaque sollicitudine est retinendum et conservandum. Inventum thesaurum nemo sane mentis projicit, sed præ gaudio illius vadit et abscondit illum, illumque summa cura custodit et retinet: similiter quoad Dei verbi thesaurum pretiosissimum sedulo agendum ne pereat. Non imitandi illi, qui Dei verbum audiunt; facta autem concione, illius non ultra recordantur, nec recordari curant. Nec etiam illos imitari decet, qui auditum Dei verbum projiciunt retrorsum, ita ut illud nusquam amplius menti suæ obijci velint et patientur: *Projecisti sermones meos retrorsum* (Ps. 49). Non imitandi tandem hi, qui postquam concionatorem audierunt, Deique verbum in corde suo receperunt, a cœli volucribus, seu a dæmonibus illud auferri et a memoria deleri permittunt. Audiendum attente et modeste verbum Dei, in corde est recipiendum, ac in eo summa sollicitudine retinendum et custodiendum, tamquam semen, cujus pretium est incomparabile; tamquam margarita cujus pretium est inestimabile; tamquam thesaurus, cujus pretium est infinitum. *Si quis diligit me*, inquit Christus, *sermonem meum servabit* (Joann. 14). Non projiciendus, nec conculcandus, nec oblivioni tradendus Dei sermo, sed servandus et custodiendus. *Ubi autem servandi Dei sermones? Haud dubium quia in corde*, seu in memoria; ibi servandi, ibi retinendi. Nec ullâ

unquam audienda est concio, quin aliquid ad sui instructionem in memoria penè retineatur. Videte quomodo se habuerit Maria, postquam Christum audivit loquentem: verba ejus non abjecit, nec eorum oblita est; verum, ut ait sacer Textus, *Mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo*: postquam etiam audivit Maria pastores Christum laudantes et mirabilia que de eo dicebantur, enarrantes, *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (Luc. 2, 51): eodem modo memorie consignanda et in corde conferenda concionatorum verba. Numquam a concione exeas, quin aliquid memoria mandaveris, et deinde cum ad propria redieris, ea que adnotasti in memoriaris, ea mente revolve, ut tuis ad bene agendum movearis; ea filiis et domesticis enarra, ut et illi ad declinandum a malo et ad proficiendum in bono alliciantur. Præceperat olim Judeis Deus, ut legem suam in manibus ligarent, in fronte gererent, in aedum forentibus scriberent, eamque sero et mane, omni loco et tempore meditarentur et mente revolverent. Sic tu, cum concionem audis, Dei verba a concionatore propalata retine, ut deinde ea sæpe ad memoriam revoces, mente verses, cogitatione revolvas, usque ad profectum tuum spirituales utaris. At si Dei verbum est memoria retinendum, *est etiam corde credendum.*

II PARS.

Verbum Dei est corde credendum.

Veritas, que de cœlo orta est, infensissimos in terra habet hostes, qui ei insidiantur, qui eam male recipiunt, variisque modis odium, quo illam prosequuntur, manifestant. Jamvero veritatem odio habeant homines, quantum voluerint; quicumque tamen eam perspicue cognosceret, ei in corde assentietur: nec enim quis in corde suo id negare et non credere potest, quod verum esse cognoscit: quare ut Dei verbo credendum suadeam, dicam solummodo, illud esse verissimum. De quo nullus dubi-

tare poterit. cum probavero, quod Deus, a quo profertur illud verbum, 1. nunquam mentitur: 2. non amat mentiri: 3. non potest mentiri.

1. Qui alicujus criminis sunt rei, alios ejusdem criminis reos esse facile credunt; qui avari sunt, alios avaritiae arguere solent; qui libidini dediti sunt, alios similiter libidinosos esse censent; qui superbi, alios superbos; qui invidi, alios invidos; qui tandem alicui vitio obnoxii sunt, alios omnes eidem vitio obnoxios esse arbitrantur. Cum autem omnes homines mendaces sint, non desunt qui Deum sicut illos mendacem esse sentiant; e contra nunquam mentitur Deus, nec est similis hominibus qui omnes mentiri solent: *Non est Deus quasi homo, ut mentiat* (Num. 23, 39). Apud mortales nil mendacio communis: ubique fraudes, ubique doli, ubique mendacia. Apud poetas fingere et mentiri familiare et usitatissimum est. Ut auditoribus placeant oratores (1), veritatem sæpissime adulterant: quodque nigrum et malum est, tanquam album et bonum quandoque delineant et obducunt. Quis ex profanis historicis fabulas et falsa pro veris non refert? Quid in scholis philosophorum audimus, nisi homines de eodem asserentes, quod sit et non sit, quod possit et non possit esse, quod idem sit verum et falsum? Quid denique in aulis principum, in foro, in mercatorum tabernis et ubique, nisi fraudes et mendacia? Ubiqueque sunt homines, ibi sunt mendaces: quia *omnis homo mendax*; vel ut habet alia versio, *omnis homo mendacium* (Ps. 115, 2). Non sic sentiendum de Deo: Deus enim, qui est suprema Veritas, non mentitur sicut homines; *Non mentitur Deus* (ad Tit. 1, 2). Cum ergo non mentiat Deus, latendum verissimum esse verbum ejus; quod etiam verissimum declaratur, quia *Deus mentiri non amat*.

(1) Adde; profanos, sive rethores sive causarum patronos; alioq. enim omnino sentiendum de sacris oratoribus, qui pro Christo legatione funguntur, quique ab Ecclesia mittuntur; que propterea solertius invigilat, ne errent circa doctrinam fidei et morum, ne ne moris pascua aliant fideles; errantes, corripit, et pertinaces in errore a sacre predicationis ministerio repellit. N. E.

2. Deus est prima et essentialis Veritas, a qua omne verum manat; est etiam author veritatis, qui veritatem amat: et ideo mentiri non diligit: *Non amat falsum author veritatis*. Infinita est oppositio Deum inter et dæmonem, præcipue ratione veritatis, quam Deus summo opere amat, dæmon autem maxime odit. Odio habet veritatem dæmon et mentiri amat: dolosus est, fraudulentus est, versipellis, fallax, mendax et mendacii pater est, qui mendacis et fraudulentis suis hominibus continue insidiatur: *Mendax est et pater ejus* (Joann. 8, 44). Deus vero mentiri non amat; quin contra quam maximo mendacium odio prosequitur. Unde inter plurima, que a Deo odio haberi dicit Sapiens, mendacium non ultimum tenet locum: *sex sunt, inquit, que odit Dominus, et septimum detestatur anima ejus: oculos sublimes, linguam mendacem* (Prov. 6, 16). Itaque Deus nec mentitur, nec mentiri amat; quis ergo non credat verissimum esse verbum ejus? Addendum esse verissimum, quia *Deus mentiri non potest*.

3. Cum veritas sit de essentia Dei, sicut impossibile est Deum non esse Deum; ita et impossibile est Deum mentiri: *Impossibile est mentiri Deum* (Heb. 6, 18). Et ideo præclare dixit Tertullianus, Deum in hoc solum esse infirmum, quod mentiri non possit: *Deus solummodo de fallacia infirmus*. Si creanda sidera, cæli, mundus unus et mille mundi, Deus quoad hæc nullo modo est infirmus; hæc omnia facillimo negotio operatur; unico verbo et unico voluntatis sue actu hæc omnia perficere potest. Si vero de mendacio proferendo agatur, hoc non potest Deus, in hoc infirmus est: *Solummodo de fallacia infirmus*. Fâtentur omnes, Deum esse omnipotentem: non inde tamen inferendum, eum mentiri posse. Non dicendum: Deus omnia potest, ergo mentiri potest; quin contra, inquit Augustinus, si Deus mentiri posset, non esset omnipotens, quia mentiri est infirmitatis, et infirmitatem denotat in eo qui mentitur: *Deus, licet sit omnipotens, tamen falli non potest, mentiri non potest; et ideoque omnipotens est, quia ista non potest* (de symb. ad cath. 1, 1). Augustino assentiunt sanctus Joannes Chrysostomus, dicens; *Deus, licet omnipotens, tamen*

aliqua non potest, nimirum mentiri et fallere (hom. 1 in Simb.). Cui concinit S. Ambrosius his verbis: *Deus falli, aut mentiri non potest, neque istud in Deo est infirmitatis; sed potius virtutis et majestatis* (ep. 37). Et revera, si mentiri posset Deus, id fieret aut ex ignorantia, aut ex malitia; vol, quod idem est, aut defectu scientiæ, aut defectu bonitatis; omne enim mendacium aut ex defectu scientiæ, aut ex defectu bonitatis procedit. In Deo autem non potest esse defectus scientiæ, cum omnia pateant oculis ejus, et ea quæ sunt, et ea quæ non sunt; ejusque scientia est infinita, cui propterea nullus error subrepere potest. In eo etiam nequit esse defectus bonitatis, cum essentialiter sit bonus, eique essentialis sit bonitas: *Cujus natura bonitas*. Et ideo cum in Deo non possit esse defectus scientiæ, nec defectus bonitatis, fatendum, illum mentiri non posse. Igitur cum Deus nec mentiatur, nec mentiri amet, nec mentiri possit, necessario concludendum, verissimum esse Dei verbum; si autem verissimum, ipsi credendum. Cum Deus in mundi primordio per seipsum hominibus loquebatur, ei credendum erat; cum loquebatur per prophetas, ei credendum erat; cum locutus est nobis per Filium, ei credendum fuit; et cum loquitur nobis per concionatores, ei credendum est: quia sive per seipsum, sive per alios nobis loquatur, semper verbum ejus verum est, et semper verum erit, et ideo semper ei credendum. Cum audiuntur prædicatores Dei Evangelium annuntiantes, non accipienda verba quæ proferunt, ut verba hominum, sed ut Dei verba, quæ ab hominibus proferuntur. Sicut cum legatus ex parte regis, a quo missus est, loquitur, verba ejus inspicuntur, non ut verba legati, sed ut verba regis ore legati prolata, ita prædicatores sunt quasi legati a Deo missi: *pro Christo legatione fungimur* (2. Cor. 5, 20), et ideo prædicatorum debito munere suo fungentium verba inspicere debent, non ut hominum, imo vero ut Dei verba ore eorum prolata: *non ut verbum hominum, sed sicut est verè, verbum Dei* (1. Thes. 2, 13). Si autem inspiciantur ut Dei verba, et verè sint Dei verba, eis firmiter credendum, quia semper Dei verbum verum est,

cum impossibile sit mentiri Deum. Fateor, quod si concinator aliquis ita impius foret, ut non Dei verbum, sed falsa annuntiaret, non ei credendum esset. Cum autem concinator verba Dei loquitur, cum mysteria fidei docet, ei firmiter credendum, quia nil verbo Dei verolat. At heu! quam multi verbo Dei a concinatoribus prolato fidem non adhibent! Dic, o peccator, quoties audisti prædicatores ex parte Dei dicentes, nullam tibi fore spem salutis, nisi in hoc mundo penitentiam egeris: *Nisi penitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (Luc. 13, 3). Credistine hoc? Non utique, quia si credidisses, penitentiam egisses. Dic, avarè, nonne pluries tibi dictum et prædicatum est, reddenda cuicunque sua, et non dimitti peccatum, nisi restituatur ablatum? Idne credidisti? Nequaquam: quia si id credidisses, aliena quæ detines, jam restituissets. Dic, o homo ultionis avarè, nonne tibi sepe annuntiata sunt verba Christi præcipientis, ut quisque suos diligit inimicos: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros?* Adhibuistine fidem his verbis? Nullatenus: quia si eis fidem adhibuisses, inimicos perpercisses. Dic, o impie, multoties haud dubie audisti, apertum esse os inferni, ut deglutiat omnes peccatores terræ, ibique in æternum cremandos, si in hoc mundo non convertantur? Hecne credidisti? Neutiquam: quia si hoc credidisses, omnia mortalia, quibus inquiraris, delevisses. Dic tu, qui te christianum proclamas, nonne pluries audisti, qui predicarent tamquam fide divina certum, Christum Salvatorem esse verè et realiter in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento? Anne hoc firmiter credidisti? Non: quia si firmiter credidisses, pluries illum intra te recepisses, illumque in tabernaculis remanentem pluries visitasses. O miserè, cur Dei verbis non creditis? Si vera sint hæc verba, cur eis non creditis? Si veritatem dicant vobis concionatores, cur eis fidem non adhibetis? *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* (Joan. 8, 46). Hujus rei rationem adducit S. Augustinus, dicens: *Vis scire quare non credant? Amant veritatem lucentem; oderunt eam redarquentem*. Si concionatores eis adularentur, et jucunda loquerentur, eis crederent; at quia eis terribilia annuntiant, eosque

acriter arguunt, verbis eorum non credunt. Igitur verbo Dei semper credendum, quia verissimum est. *Denique verbo Dei est obtemperandum.*

III PARS.

Verbo Dei est obediendum.

Concioni intersunt multi, non ut prædicatorum dictis obediunt, atque meliores fiant, sed ut meliores videantur, et a spectantibus p̄i censeantur: et hi sunt hypocritæ, qui in Christi maledictionem incurrunt: *Vae vobis hypocritæ.* Alii ad concionem accedunt, non ut Dei verbo pareant, sed ut de concionatore censeant: ut iudicent, an bene vel male manus suam obeat: et hi similes sunt œnopolis illis, qui omnia in foro degustant vina, non ut ipsi emant, sed ut aliis dicant, quod sit melius, et quod deterius. Alij concionibus adsunt, non ut bonum operentur, et inde sanctionibus evadant; sed ut discant, et doctiores fiant: et hi sunt similes infirmis hujusmodi, qui peritissimum audientes medicum, ejus verba mirantur, et ab eo discunt remedia, quibus mediantibus a morbis, quibus laborant, possent liberari, quin tamen ea adhibere curent. Alii concionibus assistant, non ut concionatorum dictis obtemperent, sed ut hominum corda ad sui amorem alliciant: tales sunt multæ adulescentulæ, quæ in medio auditorii, circumornatæ ut similitudo templi, et profanis vestibus indutæ, se videndas omnibus exhibent. O quam prævie sunt prædicatorum omnium auditorum intentiones! Ab hujusmodi sane intentionibus quisque declinet necesse est; ad concionem convenire debent omnes, non ut æstimentur, non ut de prædicatore iudicent, non ut discant, verum ut audita opere perficiant et verbo Dei obediant. Quæ obedientia cuique mandatur 1. ut Dei gratiam obtineat: 2. ut æternam beatitudinem assequatur: 3. ut ad inferni supplicia non condemnentur.

1. Gratia sanctificans, inquit Doctor Angelicus, est thesaurus

inestimabilis, qui toti terrarum orbi prævalet. Imo cum sit spiritualis et ordinis supernaturalis, mundus vero sit corporeus, minimus hujus gratiæ gradus omnibus mundi bonis antecellit. Ut autem peccator justificetur, et gratiam justificantem obtineat, verbo Dei obedire debet, et ea peragere quæ concionator agenda dicit, quia, ut ait D. Paulus, non justificantur, et gratiam sanctificantem non obtinent hi, qui concionem attente et modeste audiunt; sed hi, qui audita concione, ea faciunt quæ ad justificationem et ad salutem necessario facienda docuit concionator: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabantur* (Rom. 2, 13). Superno lumine illustratus Ezechiel propheta, vidit Cherubinos habentes manus similes hominum manibus: *Apparuit in Cherubim similitudo manus hominis.* Quid hi significant Cherubin humanas gestantes manus? Cur Cherubinis, qui toti spirituales sunt, manus tribuantur humano? Ut hoc intelligatur, sciendum, per hos Cherubinos denotari scientiam, quia *Cherubim est plenitudo scientiæ*; hi vero Cherubin manus gestant, ut inde discamus, quod mox ut verbum Dei audimus, eoque edocemur, manus est adhibenda operi, atque agere debet peccator, quæ faciendæ docet prædicator. Quæ nisi perficiat, gratiam sanctificantem non obtinebit, nec justificabitur: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores.* Obedite ergo Dei verbo, ut Dei gratiam obtineatis: *Ac etiam ut æternam beatitudinem assequamini.*

2. Salvator quidem beatos fore dicit eos, qui Dei verbum audiunt: *Beati qui audiunt verbum Dei* (Luc. 11, 28); unam autem subdit conditionem, modo scilicet ei obediunt: *et custodiunt illud.* Si enim Dei verbo non obtemperarent, nec ea facerent, quæ ut ad salutem necessaria proponit concionator, beati non forent, nec æternam beatitudinem obtinerent. Et ideo S. Joannes Evangelista in Apocalypsi, eos quidem beatos declarat, qui Dei verbum audiunt: *Beatus qui audit verba prophetiæ hujus* (Apoc. 1, 3); ast mox subjungit, eos esse beatos, modo ea faciant et servent, quæ a verbo Dei servanda præcipiuntur: *et servat ea.* Si enim ea, quæ verbo Dei præci-

piuntur, opere minime complerent, nullomodo prorsus ad aeternam beatitudinem pertingerent. De Dei verbo ait propheta; quod magna velocitate currat; *Velociter currit sermo ejus* (Ps. 147, 15). Divinum hoc verbum a sinu Dei, in quo conceptum est, transit ad sacre Scripturæ libros, a sacris his Codicibus ad concionatoris mentem migrat, a mente ad linguam illius transfertur, a lingua ejus ad auditorum aures fertur: ab auribus ad corda illorum currit; hic autem herere non debet Dei verbum: a cordibus enim eorum ad manus transeat necesse est, ita ut ea faciant quæ Dei verbo præcipiuntur. Quæ qui operari negligunt Dei verbo non obediunt, paradisi gloriam non obtinebunt, quia beatitudo datur solummodo iis, qui illud audiunt, eique obediunt; *Beati qui audiunt et custodiunt*. Igitur Dei verbo obedire teneantur auditores, ut aeternam beatitudinem assequantur; et consequenter obtemperare debent, *ut ad diriora supplicia non condemnentur*.

3. Hanc rationem desumo ex S. Chrysostomo, qui cum die quadam ad populum Antiochenum sermonem haberet, sic auditores suos affatus est. Scio, fratres, quod ad audiendum Dei verbum frequenter accedatis; singulis fere diebus huc convenitis, ut me dicentem audiatis. Non sine magna voluptate vos meis concionibus audiendis assiduus video; quid vero vobis proderit, quod frequentissime Dei verbum audiatis, si ei non obediatis, et si ea facere renatis, quæ a Dei verbo facienda jubentur? O invidè, quid tibi proderit audisse me adversus invidos concionantem, si audita concione, rodentem invidia spiritum e corde non evellas, et proximum non diligas? Quid tibi proderit, o libidinosè, pluribus astitisse concionibus, verboque divino ad recte vivendum fuisse concitatum, si libidinibus non abrenuntias, et caste non vivas? Quid tibi proderit, o avarè, pluries interfuisse concioni, si ea audita, quæ iniuste detines, proximo tuo non restituis? Tantum abest, ut subdit os illud aureum, quod prosit vobis Dei verbum audisse, quin contra hoc vobis in majoris damnationis occasionem erit: *Non solum vobis non prodesset, verum majoris flet occasio damnationis*. Quod Antiocheno populo Chrysostomus, hoc idem

dico vobis. Esto, vos sacris concionibus audiendis videam assiduus: esto, quod maxima assiduitate et mirabili cordis voluptate Dei verbum audiatis, si eo auditò, injurias inimicis non condonetis, si non restituitis alieni, si praves et cordibus vestris non eradicetis habitus, si de perpetratis criminibus penitentiam non agatis, si tandem verbo Dei non pareatis, et ea, quæ a Dei verbo jubentur, non agatis, *non solum hoc vobis non proderit, verum majoris fiet occasio damnationis*.

Conqueritur Ezechiel propheta de multis, qui Dei verbum, instar cantilenæ a concionatore decantatæ, audiunt. Hujusmodi autem dicit esse eos, qui, auditò concionatore, ea non faciunt, quæ Dei verbo facienda imperantur: *Audiunt sermones tuos, et non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos*. Cum nocturno tempore in alienius civitatis vicis et comitis gratissimus quidam sit concensus, qui eum audiunt, si lecto decumbant, attentas præbent aures, caput aliquantum erigunt, ut varios hujus harmoniæ tonos distinctius percipiant. Imò et nonnunquam e lecto surgunt, et ad cubiculi fenestras se conferunt; mox ut explectus est concensus, quisque ad cubile suum redit, et in eo decumbit sicut antea. Similem in modum, cum illustris quidam concionator sermonem ad populum est habiturus, ad eum audiendum accurrunt omnes; cumque de morte, de Dei iudiciis, de formidandis inferni suppliciis, vel de alia hujusmodi materia dicit, pessimi quique peccatores sua erigunt capita, attente, quæ dicuntur, audiunt; piis motibus intus cientur, imò et a peccatis surgere, et pie vivere quodammodo statuant. Tunc ebrius vult sobrius fieri; superbus tunc humilitatem sectari desiderat; tunc impudicus caste vivere optat, et quamdiu cantat concionator, omnes in melius vitam suam mutare volunt; finita concione, quisque ad propria redit, auditum Dei verbum oblivioni traditur, et in peccato suo suisque jacet et dormit sicut antea: *sermones in canticum vertunt*. Heu! quid proderit Dei verbum audisse, si eo auditò, a vis vestris pessimis non convertamini. *Non solum hoc vobis non proderit, verum majoris fiet occasio damnationis*. Ideo non solum Dei verbum memoria retineatis, non illud solum

corde credatis, sed et illi obedite, eaque peragite quae Dei verbo praecipiantur. Hoc sane quisque facere deberet; at heu! *Quis mihi tribuat auditorem?* (Job. 31, 35). Quis det auditores, qui sollicite Dei verbum retineant, qui illud humiliter credant, et qui illi obediant, illudque opere exequantur? Rarissimi sunt hujusmodi auditores, sicut et rarissimi sunt qui salvantur. Euge, homines terrestres, Dei verbum debite audite; *Terra, terra, terra, audi verbum Domini* (Jer. 22). Dei verbum ita audite, ut illud memoria retineatis, ut illud firmiter credatis, ut ei fideliter obtemperatis. Et postquam in hoc mundo ea feceritis, quae Dei verbo praecipiantur, aeternam in caelo felicitatem obtinebitis. *Amen.*

DOMINICA QUINGAGESIME.

DE MORTE CHRISTI PRO OMNIBUS.

*Tradetur gentibus, et illudetur, et flagellabitur,
et conspuetur; et postquam flagellaverint, occident eum*
(Luc. 18, 32).

Toto caelo, semper et in omnibus differt spiritus Ecclesiae a saeculi spiritu; praecipue vero ab eo differt isto saturnali tempore, in quo dum mundus gaudet, tristatur Ecclesia; dum mundus profanas componit cantilenas, cantica spiritualia Ecclesia emittit; dum vestes superbas mundus praefert, Ecclesia lugubribus utitur ornamentis, atque ut paucis multa dicam, dum hoc tempore mundus totus est luxui, vanitati, ludis, conviviis et libidinibus intentus, Ecclesia ut ad omnia quae mundi sunt spernenda et projicienda inducat, legendum nobis exhibet Evangelium, in quo narrantur dira supplicia, quae Christus sustinuit, et acerba mors, quam pro omnium hominum salute, summo

cordis affectu pertulit; *Tradetur gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur; et postquam flagellaverint occident eum.* Profana, vana, et exitiosa mundi gaudia verbo et exemplo damnavit Christus, dum in saeculo viveret, et qui recte sapiet, ab his omnibus nunc abstinebit gaudiis, ut cogitet de Christo, utque mortem ejus serio perpendat et mente revolvat. Non jam sigillatim meditanda proponam cuncta quae Christus passus est supplicia, nec omnes mortis ejus enarrabo circumstantias; verum ut ad mundi contemptum, et ad Christi Salvatoris amorem inducantur omnes, eum pro omnibus hominibus mortuum esse dicam. *Ave.*

Christi mors considerari potest in Dei decreto, in Christi morientis oblatione, et in fructu quem ex morte ejus homines percipiunt. Mors, inquam, Christi considerari potest in aeterno Dei decreto; in oblatione, quam Christus moriens in cruce fecit; et in fructu, qui ex illa morte ab hominibus in tempore percipitur. Sciunt omnes et fatentur, acerbissimam illam mortem, quam passus est Christus, fuisse a Deo decretam ab aeterno, oblatam a Christo in cruce, et utilem homini in tempore. Imvero ut pateat, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse et sanguinem fudisse, dico quod hoc decretum, haec oblatio, et hic fructus ad omnes penitus homines, tam reprobos, quam justos extendantur. Si Christus pro aliquibus solum, et non pro omnibus mortuus fuisset hominibus, hoc esset, *vel* quia Christus, ut Verbum, in aeterno suo decreto non statuisset mori pro omnibus omnino hominibus, *vel* quia in cruce Christus mortem suam non obtulisset pro omnibus hominibus, *vel* quia in tempore fructum mortis ejus non omnes penitus homines perciperent. Ut autem plenissime constet et clarissime pateat, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse; dico, quod Christi mors 1. decreta est ab aeterno pro omnibus hominibus *sine ulla exceptione*: 2. oblata est in cruce pro omnibus hominibus *sine ulla exclusione*: 3. utilis est in tempore omnibus hominibus *sine ulla limitatione*. En tres hujus concionis partes, quibus Christus pro omnibus omnino hominibus mortuum esse constabit.

I PARS.

*Mors Christi decreta fuit ab aeterno
pro omnibus hominibus sine ulla exceptione.*

Licet unicuique sit intrinsece divinae voluntatis actus, ille tamen actus multiplex est terminative, seu respectu diversorum ob-
jectorum ad quae terminatur. Quare varia in divina voluntate distinguimus decreta, non quod intrinsece plures et diversi sint actus illius voluntatis aeternae, sed quia unicuique ille actus ad varia objecta terminatur, eum ordinem quodam praesuppositionis unius ad aliud. Horum autem Dei decretorum ordo, respectu rerum creaturarum, a Scotistis (si bene memini) sic concipi solet; quod scilicet, postquam Deus ab aeterno infinita sua scientia novit omnes creaturas possibles, ex illis omnibus decrevit in primo instanti producere Christum, tanquam omnium entium creabilium nobilissimum, in cuius productione quam maxime divina elucet bonitas: quia producendo Christum, Deus ad extra infinite se communicat. In eodem etiam instanti decrevit Deus producere angelos, et homines, qui in tempore producti sunt, quorum Christus primogenitus est et caput. Et in hoc instanti decrevit Deus Christi Incarnationem quoad substantiam solum, abstrahendo a modis quibus fieret; an scilicet modo passibili, vel modo impassibili. In sequenti instanti praevидit Deus lapsum Adam, totiusque generis humani in eo: propterea lapsus per Adam peccatum naturae humanae misertus Dominus, in instanti immediate sequenti decrevit illam per Christum redimere, et tunc decrevit, quod Christus incarnaretur modo passibili, ac pro hominibus mortem obiret, idque fieret pro omnibus, non pro quibusdam tantum. Sicut enim omnes homines ad aeternam mortem erant destinati, ita et Christum ad mortem pro omnium hominum redemptione subeundam Deus destinavit. Tanta Patris aeterni in homines fuit charitas, tantus in illos amor, ut decreverit, Christum non pro aliquibus dumtaxat, sed pro omnibus sine

ulla exceptione hominibus moriturum. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit*, inquit D. Paulus, *sed pro nobis omnibus tradidit illum* (Rom. 8, 32). Quomodo Pater aeternus tradidit Filium suum pro omnibus? Non quidem inspirando Iudaeis, ut eum traderent et occiderent, sed aeterno suo decreto destinando eum ad mortem pro omnibus hominibus sustinendam; *tradidit illum pro omnibus hominibus*, inquit Doctor Angelicus, *quia aeterna sua voluntate praevindicavit passionem Christi ad humani generis liberationem* (3 p. q. 47, a. 3). Christus in sacris Codicibus vocatur agnus, *qui occisus est ab origine mundi*. Quomodo a mundi origine occisus fuit Christus? Responderi posset eum ab origine mundi occisum, quia ipsius mors omnibus hominibus ab ipsa mundi origine profuit, sicut et ipsis usque ad consummationem saeculorum profutura est. Christus est etiam agnus ab origine mundi occisus, quia ab aeterno, mox ut Deus hominem lapsum praevidit, Christi mortem pro omnium hominum redemptione ordinavit. Unde Christus adumbrat nobis duos agnos immaculatos, qui quotidie in veteri lege Deo immolabantur, et quorum unus mane, et alter vespere offerebatur: *unum offeretis mane, et alterum ad vespertim* (Num 28). Non enim solum vespere in cruce immolatus est Christus; etiam mane, seu ab aeterno immolatus est in decreto divino quo statuit, eum in cruce pro omnium hominum salute immolandum. Cum Isaac, lignis holocausti onustus, a patre in montem immolandum duceretur, rogavit patrem, ut diceret, ubi esset victima immolanda? Cui respondit pius pater: *Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi* (Gen. 22, 8). Nos miseri, communi pisculo onusti, aeternis eramus ignibus cremandi; pater Abraham et Deus misericordiarum ab aeterno providit victimam pro nobis immolandam, Christum scilicet, qui est agnus ab origine mundi et ab aeterno in Dei decreto occisus. Pro quibus hanc immolandam victimam ab aeterno praevidit Deus; pro quibus Christum immolandum decrevit? forte pro solis electis? non; sed *pro nobis omnibus tradidit illum*, inquit D. Paulus. Quae apostoli verba ponderans S. Ambrosius, ait quod mire addiderit D. Paulus, Deum pro nobis omnibus

tradidisse Filium, ut ostendat, quod Deus ita homines diligit, ut dilectissimum Filium suum pro omnibus tradiderit (de Jacob., etc. 7). O ineffabilem Dei in homines dignationem! Quae tanta est, ut non pro aliquibus solum, sed pro omnibus hominibus Christus immolandum ab aeterno decreverit. Lapsus est in peccatum angelus, lapsus est in peccatum homo: lapsus angelo, nullum in ejus favorem remedium Deus praedixit, lapsus homini, Deus subvenire decrevit, illumque redimere ab aeterno statuit. Redemptionem unam Deus ab aeterno invenit: *Aeterna redemptione incerta* (Heb. 9, 12). Non plures, sed unam Deus ab aeterno redemptionem invenit, quia non pro angelis Cherubin et Seraphin, sed pro solis hominibus redemptionem invenit, et decrevit: « Angelus, inquit S. Gregorius, sua malitia cecidit; homo vero aliena malitia, scilicet Adami, quare superbus spiritus reparari non potuit, et perditus homo reparari debuit » (Mor. 4, 10). Ex quibus summi pontificis verbis constat, quod ideo ab aeterno Deus non angelum, sed hominem redimere decrevit: quia angelus sua culpa, homo vero aliena, non sua, ceciderat. Cujus rei aliam etiam rationem adducit, dicens: « Duae creaturas ad intelligendum se fecerat Deus, angelicam et humanam; sed una tegmen carnis habuit, alia vero nihil infirmum de carne habuit; misertus ergo Creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpe ex infirmitate aliquid constat habuisse, humanam scilicet » (ib. c. 9). Praeclara videtur haec ratio, quod scilicet Deus non angelos, sed homines redimere decreverit, quia homo ex infirmitate ceciderat, angelus vero non ex infirmitate, sed ex malitia. Quidquid sit de ratione, quam Deus in mente habuit; certum est, quod Deus ab aeterno homines, non angelos, redimere statuerit. Nec aliquos solum, omnes penitus homines Deus ab aeterno redimere, ac pro iis mori decrevit: ab aeterno enim statuit, quod semetipsum in cruce immolaret, ut sua morte omnes penitus homines redimeret. *Unus mediator Dei et hominum Homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* (1 Tim. 2). O magnum Christi in homines amorem! Qui tantus fuit, ut ab aeterno statuerit illos

redimere non alicujus angeli vel archangeli ministerio, verum per semetipsum. Multum quidem deberemus Deo, si angelum nobis ab aeterno in redemptorem obtulisset; jamvero hoc alteri committere noluit, voluit quippe ipse redemptor noster fieri, et ideo ab aeterno decrevit, se morte propria omnes penitus homines redempturum. O portentosum Dei in nos amorem! Magnus quidem fuit amor Jonathae in Davidem, ovium pastorculum, quando pro ejus salute peroravit apud Saulem. Quanto majori amore nos persecutus est Christus, qui non solum pro nobis Patrem deprecatus est, verum ab aeterno se obtulit in nostrae redemptionis pretium. Ab aeterno enim Christus, ut Verbum, decrevit, se naturam humanam assumpturum, et in cruce pro hominum salute moriturum. Quid autem vita sua pretiosius pro nobis offerre poterat? Quomodo suum in nos amorem magis manifestare valebat? Cum Tiranes, Armeniae rex, simul cum uxore a Cyro captus fuisset, rogatus, quid pro uxoris dilectissime redemptione daturus esset? Nihil, inquit, mihi pretiosius propria vita, quam libenter pro sponse meae redemptione offero; innuens se alia libenter oblaturum, si quid pretiosius haberet, Magnus quidem regis illius in uxorem amor: at in infinitum magis homines dilexit Christus, qui pro iis omnibus, licet indignis, licet ingratis, vitam propriam, qua nihil in mundo pretiosius, libenter ab aeterno obtulit, ac se pro iis omnibus moriturum decrevit. Miramini hunc Christi in vos amorem, et amate eum, qui tanto in vos amore exarsit. Ne ingrati sitis in tantum benefactorem, ne in illum peccetis; imo amore ejus atqueant corda vestra. Amate eum, quia ita homines dilexit, ut ab aeterno decreverit, se in tempore pro omnium hominum salute moriturum, et qui *revera in cruce pro omnibus omnino hominibus mortuus est.*

II PARS.

Mors Christi oblata fuit in cruce pro omnibus hominibus sine ulla exclusione.

Sanguis Christi ratione unionis hypostaticæ tanti erat pretii, ut minima ejus gutta sufficiens extitisset pretium, non tantum ad homines futuros et possibiles, etiam ad omnes demones redimendos, si pro eis oblata fuisset. At non pro dæmonibus Christus in cruce sanguinem fudit, veram pro solis hominibus, illamque in cruce obtulit, tam pro infidelibus, quam pro fidelibus, tam pro reprobis, quam pro prædestinatis, ac generaliter pro omnibus, ut omnes redimeret, utque sanguinis sui virtute æternam salutem omnes consequi valerent. Equidem finem ultimum, propter quem Christus sanguinem suum fudit, seu æternam beatitudinem multi minime obtineant; quia pretioso Christi sanguine, id est gratis sibi hujus sanguinis virtute datis male et in sui perniciem utuntur. Certum tamen, quod Christus vere pro omnibus omnino hominibus in cruce mortuus sit et mortem suam obtulerit: *Etsi*, inquit Concilium Tridentinum, *Christus pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*. Ex quo patet, Christum mortuum esse et in cruce sanguinem obtulisse, tam pro prædestinatis, qui ultimum sanguinis ejus beneficium, seu æternam beatitudinem percipiunt, quam pro reprobis, qui ultimum illud beneficium non recipiunt. Quod et asserit S. Chrysostomus, dicens: *Christus non solum pro fidelibus, sed pro universo mundo gustavit mortem* (hom. 4 in ep. ad Heb.). Et ut ait S. Anselmus: *Christus mortem sustinuit pro omnibus, ut omnes sua morte redimeret* (in ep. 1 ad Tim. 2). Hoc idem probari posset ex Concilio Remensi, in quo adversus Goteschaleum hæc edita est propositio: *Nullus est, fuit, vel erit homo, pro quo passus non fuerit Christus*. Probari etiam posset ex Alexandro VII, Innocentio XI, aliisque summis pontificibus, qui

tamquam de fide certum definierunt, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse. Probari similiter posset ex SS. Patribus, qui passim dicunt, quod Christus, non pro aliquibus dumtaxat, sed pro omnibus hominibus mortuus est, quodque *Salvator est non horum quidem, illorum vero non, sed omnium* (Clem. Alex. 7 Strom.). Id autem verbis, quibus clariora nulla haberi possunt, definire videtur D. Paulus. Si enim ab eo quæras, an Christus pro aliquibus solum, vel pro omnibus hominibus mortuus sit, non respondebit, quod pro omnibus, non pro aliquibus dumtaxat, mortuus sit: *pro omnibus mortuus est Christus* (2 Cor. 5, 14). Dic, o sancte apostole, estne mortuus Christus, etiam pro infidelibus et hæreticis, quorum infinitus est numerus? *Pro omnibus mortuus est Christus*. Forte non est mortuus pro judæis et barbaris? *Pro omnibus mortuus est Christus*. Estne credibile, eum mortuum esse etiam pro iis, qui eum flagellaverunt, spinis coronarunt et cruci affixerunt? Non solum pro his, invero *pro omnibus mortuus est Christus*. Quid clarius his D. Pauli verbis? Audiamus adhuc illum hæc de re loquentem, *Christus*, inquit ipse, *est salvator omnium, maxime fidelium* (1 Tim. 4, 10); quasi dicat, Christus est salvator judæorum, gentilium, hæreticorum, infidelium et omnium omnino hominum, quia pro omnibus mortuus est, omnibusque media, quibus salvari possunt, exhibuit; maxime tamen est salvator fidelium, quia virtute mortis suæ majores eis gratias, majoraque iis, quam aliis, salutis adjumenta confert. Licet autem hoc modo Christus fidelium magis, quam infidelium sit salvator; est tamen vere infidelium et omnium salvator: *Christus est salvator omnium*. Quomodo autem omnium salvator est Christus, nisi quia pro omnibus mortuus est? Nec enim hominum salvator dicitur, nisi quia pro iis mortem obiit et sanguinem suum fudit. Dicite nunc, quæso, an clarius loqui possit apostolus? Et quis asserere audebit, Christum non esse salvatorem omnium, cum expresse dicat Paulus: *Christus est salvator omnium*? Quis etiam docere pertentabit, Christum non esse pro omnibus mortuum, cum dicat apostolus: *Pro omnibus*

mortuus est Christus? Talia docere non possunt, nisi viri pertinaces, protervi et heretici. Hujusmodi farinæ, vel potius hujusmodi furfuris viri dicunt: Christus non est salvator omnium; et D. Paulus ait: *Christus est salvator omnium*. Dicunt illi: Christus non est mortuus pro omnibus, et D. Paulus ait: *Pro omnibus mortuus est Christus*. Cui, quæso, credendum? Anne illis hereticis, qui a plurimis summis Pontificibus et a variis Conciliis condemnati sunt, vel D. Paulo, qui est magnus Christi apostolus, prædicator veritatis et doctor gentium? Illi dicunt, Christus non est mortuus pro omnibus, et Paulus ait: *Pro omnibus mortuus est Christus*. Nonne Pauli verbis adhaerendum? Nonne dicendum cum Apostolo: *Pro omnibus mortuus est Christus*, nullo excepto? Hoc sano dicendum et hoc firmiter credendum, atque pro tanto beneficio immortalis Christo gratias sunt referenda. O homo, *gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam* (Eccli. 29, 30). *Fidejussor* hic est Christus, qui pro te in cruce animam, seu vitam suam dedit. *Fidejussor* hic est Christus, qui immolatione sua tibi apertum clausit infernum, tibi quoque clausum paradysum aperuit, ita ut jam tibi facile sit inferni supplicia devitare et paradisi gaudia obtinere. *Fidejussor* hic est Christus, qui pro tui salute in cruce passus et mortuus est; quare *gratiam fidejussoris ne obliviscaris*; ac pro tanto beneficio ei gratias agere non desinas. Perpende serio, quod non vilis pecunia pretio, sed sanguine suo, supplicii multus et dira morte redemit te Christus; quod hæc supplicia, illanque mortem tanta charitate pertulit, ut alia plurima et acerbiora libenter passus esset, si hoc pro tui salute necesse fuisset; quod tandem ex mera bonitate sua, absque ulla spe retributionis ex parte tua et sine ullis tuis precedentibus meritis tot supplicia et tam acerbam mortem passus sit. Hæc serio recogita et nil non suscipias, ut debitas tanto benefactori grates rependas. Ama, ac ardentem ama eum, qui tantopere te dilexit, ut ab æterno pro tui salute mori decreverit, et qui ita te amavit, ut revera pro te in cruce mortuus sit. Ita dilexerat te Christus, ut de coelo in terram descenderit

propter te; ita etiam te amaverat, ut qui orat Deus invisibilis in sinu Patris, homo visibilis in ventre femineo factus fuerit. Nondum consummata erat Christi in te dilectio: nihil enim tibi profuisset, quod homo factus esset, si pro te passus et mortuus non fuisset; et ergo majora adhuc amoris sui testimonia tibi daret, pro te pati et mori voluit: *In tantum dilexit eos, ut moreretur pro eis* (S. Aug. tr. 55 in Joan.). O amorem omni alio amore majorem! Ecquis non amet eum, qui ita omnes amavit homines, ut pro iis omnibus mori dignatus sit! Quis ita ingratus, ut tanto amatori amorem suum deneget? Quis amore reciproco non langueat, totusque in Christum amore non succendatur? Quis tantum amatorem offendere audeat? Heu! offendere eum, qui pro nobis mortuus est, o quantam ingratitudinem! Peccare in eum, qui pro nobis libentissime sanguinem fundere et mori complacuit, o qualem immanitatem! o quantam perfidiam! Attamen quot ingrati et perfidi inveniuntur in mundo? Quam multi peccant in eum, qui pro iis mori dignatus est? Desine, o peccator, inique agere! Ne amplius pecces in Deum tuum, Creatorem tuum et Redemptorem tuum: qui tanto te amore persecutus est, ut pro te et pro omnium hominum salute in cruce mortuus sit. Christi mors oblata in cruce pro omnibus hominibus sine ulla exceptione utilis est etiam in tempore omnibus hominibus, sine ulla limitatione.

III PARS.

Mors Christi est utilis omnibus sine ulla limitatione. ®

Innumera sunt elemosina, quæ ex Christi morte eliciunt viri pii, qui eam serio et sæpe meditantur. *Nunc* enim in cordibus eorum accenditur charitatis ignis, cum attente considerant, quanto amoris excessu Christus pro omnium hominum salute flagellari, conspui, cruci affigi et immolari voluerit. *Nunc* spes illorum firmatur et roboratur: quid enim sperare non

possunt ab eo, qui pro iis libenter et gratuito vitam tradidit? Nonne merito sperare debent, quod minora non denegabit, qui vitam suam, qua nihil pretiosius est, pro iis libenti animo dedit? *Nunc* huiusmodi viri ad patientiæ amorem inflammantur; passionis enim Christi meditatio est stimulus excitans ad imitandum Christi exemplum et ad sequenda ejus vestigia; nec potest quis considerare dira supplicia et acerbam mortem, quam pro omnibus hominibus perperussus est Christus, quin ad patiendum cum Christo et pro Christo moveatur. Christus tandem in cruce moriens est liber apertus, in quo humilitatem, paupertatem, mansuetudinem, mortificationem, aliasque omnes virtutes discunt, qui illum legunt et qui Christi mortem sedulo meditantur. Has et alias multas ex Christi morte eliciunt utilitates, qui ejus meditationi se dedunt. Verum et hi et omnes penitus homines alia plurima ex Christi Salvatoris passione percipiunt emolumenta, ex quibus duo solummodo recensebo. *Primum*, quod virtute passionis et mortis Christi omnibus omnino hominibus datur gratia ad salutem sufficiens. *Secundum*, quod ab ejusdem Christi morte habent omnes homines, quod salvari possint, ita ut qui jam damnantur, non Christi, sed sua culpa damnentur.

I. Nullus equidem est, sive Græcus ille sit sive Barbarus, sive fœdalis sive infidelis, cui non detur gratia et auxilium ad salutem sufficiens: gratia hæc in omnes diffunditur, et ut loquitur S. Chrysostomus, *gratia in omnes diffusa est, non Judæum, non Græcum, non Barbarum excipit, aut designatur omnibus se facilem exhibet, omnes partem honoris advocat* (hom. 7 in Joan.). Et revera, si non daretur omnibus gratia, qui gratiam non haberent, non peccarent, cum Dei præcepta violant, que sine Dei gratia servari nequeunt. *Si non daretur omnibus gratia*, salvari nequirent qui gratia carerent, quia sine gratia impossibile est aliquem servari. *Si non daretur omnibus gratia*, Dei mandata aliquibus essent impossibilia; iis scilicet, qui non habent gratiam. Dei autem mandata non possunt esse aliquibus impossibilia, quia, ut ait Concilium Tridentinum, *Deus impossibilia non jubet* (Rom. 7). His et aliis

rationibus, quæ adduci possent, certissime constat, gratiam et auxilia ad salutem sufficientia omnibus dari. Jamvero a quo habent homines hæc gratiam? Nonne a Christi morte? Nonne Christus hæc nobis meruit gratiam pretiosissimi sanguinis effusione et dira morte, quam pro omnium salute obiit? Si in cruce mortuus non fuisset Christus, omni penitus gratia privati fuisset; quia pro omnibus mortuus est, hæc gratia omnibus datur: *Gratia Dei pro Jesum Christum*. Igitur omnibus omnino hominibus utilissima est Christi mors, cum ejus virtute omnes, nullo excepto, gratias ad salutem sufficientes recipiant. Christi autem mors est etiam omnibus omnino utilissima, quia ab ea habent omnes, quod salvari possint.

2. Si Christus pro nostra salute mortuus non fuisset, salvari non potuissemus; januæ enim cœli omnibus semper clausæ extitissent, nec ullus unquam in cœlum intrare valuisset. Crux Christi fuit quasi clavus, que reserata sunt paradisi fores, ita ut, Christo jam pro nobis mortuo, nullus sit, qui salutis opera adimplere et vitam æternam obtinere nequeat. Unde si quis nunc non salvetur, sua culpa non salvatur, quia scilicet mediis a Christo datis uti non vult: *qui non salvatur, non est quod de Deo, vel de mediatore possint conqueri; sed de seipsis qui nec redemptionem, nec salutem, quam Deus obtulit voluerunt accipere* (S. Anselm. in ep. ad Tim.). Deus alia assumere potuisset media ad salvandos homines, ast nullum sapientiæ ejus visum est convenientius, quam Christi mors, et ideo Christum pro omnibus moriturum decrevit. Hoc est medium salutis, quod nobis dedit; si Christus mortuus pro nobis non fuisset, nullus salvatus fuisset. Jam autem omnes virtute mortis Christi salvari possunt, quia mors illa, que infiniti fuit meriti, in omnes omnino homines influit, ad omnes se extendit, et ejus virtute omnibus media ad salutem necessaria conferantur. Unde præclare dixit doctor Angelicus, quod Christi passio fuit *causa universalis nostræ salutis*; quia scilicet passione et morte Christi omnibus hominibus datum est, quo salvari possint. O quam magna hæc passionis Christi utilitas! Quam magnum hoc emolumentum, quod a Christi morte eliciunt omnes! O quam felices cuncti

penitus homines; cum a Christi passione et morte habeant omnes, quod salvari possint, quo quidem nil eis utilius esse potest. Sciendum vero, quod non salvabuntur, nisi qui passionis et mortis Christi fructum sibi applicaverint per baptismum, poenitentiam, aliaque sacramenta; necnon per suam cooperationem ad gratias, quæ virtute passionis Christi illis dantur. Causa enim universalis nihil efficit, nisi per aliam particularem ad effectum applicetur: ideo licet Christi mors sit causa universalis, quæ datur omnibus hominibus media ad salutem necessaria, non tamen salvabuntur, nisi qui, ut causæ particulares, fructum passionum et mortis Christi sibi applicabunt. Quod præclare docet Doctar Angelicus, dicens: *Meritum passionis Christi sufficienter operatur, ut quædam causa universalis salutis humanæ. Sed oportet hanc causam applicari singulis per Sacramenta, et per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur* (q. 19 de ver. a. 8). Magna quidem fecit Christus pro hominum salute; non omnia fecit. Magna fecit, quia passione sua nos redemit, nobisque dedit media ad salutem necessaria; non omnia fecit, quia insuper quisque hæc media assumere et illorum auxilio fretus operari debet, ut salvetur: vel ut cum D. Paulo loquar, adimplere quisque debet quæ desunt passionum Christi, *Adimpleo*, inquit apostolus, *ea quæ desunt passionum Christi*. Si sufficientiam spectes, nihil deest passioni Christi; sufficiens namque est mille mundis redimensis et salvandis; si applicationem et efficaciam attendas, applicatio sæpe deest ex parte nostra: unde fit, quod passio Christi, ex se sufficiens, respectu nostri non sit efficax. Illud autem quod passioni Christi deesse sciebat D. Paulus, seu applicationem ejus, adimplebat. Adimpleamus nos quoque quæ desunt passioni Christi: applicemus nobismetipsis Christi passionem per frequentem sacramentorum receptionem et per fidei, obedientiæ, charitatis, aliarumque virtutum opera, quæ ex illius passione et ex morte ejus pretium habeant et meritum. Potuisset Christus, si voluisset, ita morte sua nos redimere, ut ad salutem obtinendam nihil ex parte nostra faciendum remaneret: hoc modo nos redimere ei non placuit: voluit

enim, ut ex parte nostra aliquid agendum superesset: voluit, ut passionem suam quisque sibi applicaret sacramentorum perceptione et virtutum exercitio. Adimplete ergo quæ desunt passionum Christi: applicate vobis Christi merita per frequentem sacramentorum receptionem et per pia opera: si enim fructum passionis Christi vobis non applicaveritis, ad salutem nullo modo vobis proderit. Familiari ista similitudine utitur egregius quidam prædicator, ut hæc explicet: « Sit, inquit, stagnum aquarum multitudine plenum, sufficiens ad irrigandam totam, quæ circumcirca est, terram: si foramen, ex quo aqua exire queat, non fiat, arida profecto et infœcunda ipsa humus tibi manebit; non propter aquarum penuriam; satis enim erat in stagno; sed quia illam tibi utilem et fructuosam, aditus per quos exiret ad irrigandam terram patefaciendo, facere noluit. Ita passio et mors sacratissima Christi redemptoris nostri stagnum quidem aquarum infiniti valoris extitit: si vero eam tibi non applicas, viamque per quam ipsa aqua in animam tuam profuatur non aperis, arida, infructifera et infertilis remanebit non quidem ob defectum meritorum Christi; sed ob tuam negligentiam et malitiam. Suspiria autem, lachrymæ, labores patienter tolerati, usus divinarum sacramentorum, ac denique cætera pia opera sunt foramina, per quæ divina hæc aqua in hominum corda dilabitur: et quanto ampliores sunt illi aditus, tanto major in hominum corda fluit aquarum copia ». Itaque hos aditus aperi: fac ut ad te veniant uberes gratiarum fontes, quas passione sua omnibus meruit Christus: applica tibi fructum passionum ejus per frequentem et piam sacramentorum perceptionem, per bona opera et per multos virtutum actus. Hoc si facias, nil respectu tui deerit passioni Christi: ejusque virtute æternam beatitudinem obtinebis. Amen.

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

DE OBSEQUIO SOLI DEO PRÆSTANDO.

Domineum Deum tuum adorabis, et illi soli servies
(Matth. 4).

Tanta Dei majestas, celsitudo tanta, tantaque ejus in omnes homines bonitas, ut mirum sit inveniri unum aliquem qui ei servire, ejusque obsequio se mancipare renuat. O homo, dic, queso, quid habes, quod a Deo non acceperis? Imo *dic mihi quid desiderare potes, quod non plene inveniatur in Deo? Si te delectat sapientia, sapientissimus est: si pulchritudo, speciosissimus est; si gloria, si divitiæ, gloria et divitiæ in domo ejus: si voluptas, et delectatio, delectationes in dextra ejus usque in finem. Si saturitas et abundantia, inebriabuntur ab ubertate ejus, qui possident eum* (S. Tho. a Villanova, *de transfigur.*). Quis ergo non serviat Deo, qui tantus, tamque erga homines beneficus est? Ei quidem servire, eique omnes obsequi debent. Jam heu! obsequio ejus se multi subtrahunt, ut peccato et demoni serviant: clamant concionatores, clamant confessarii dicentes, non demoni, sed Deo soli serviendum; et tamen innumeri, derelicto Deo, ad peccati et demonis partes declinant. Audio Christum, demoni hodie dicentem: *Domineum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Quod Christus illi nequam spiritui, hoc ego omnibus hominibus dico: totaque hac concione hoc unum dicam, quod non demoni, verum Deo soli serviendum, *Ave.*

Duo sunt domini, qui expansis vexillis omnes homines ad sui obsequium allicere satagunt, Deus scilicet et demon: *Deus*, cui omne obsequium, omnisque debetur honor et gloria: *demon*, qui omni supplicio omnique execratione dignus est. In Dei vexillo depicta est crux, quam Deus offert omnibus, ut

medium ad salutem necessarium; in demonis vero vexillo delineatae sunt carnis deliciae et mundi divitiæ, ut quid summe optabile. Ideo cum dura displiceant, blanda placeant, ad crucem pauci et ad delicias multi advolant: pluresque demoni, quam Deo suum dant nomen. Jamvero si probe scirent homines, quis sit Deus, et quis sit demon, abjecto pessimo demone, totos se Dei obsequio haud dubie manciparent et consecrarent. Quis, queso, diviti, potenti et fideli potius, quam pauperi, dehilli et fallaci domino servire non malit? Nullus sane ita stolidus, ita stultus nemo, qui a pauperis, debilis et infidelis domini partibus non declinet, ut ditissimi, potentissimi et fidelissimi domini obsequio se subdat. Ergo ablegato demone, omnes Deo servire ambiant, si serio perpendant, quod demon est pauper, debilis et fallax: 1. *demon est pauper*, et Deus ditissimus; 2. *demon est debilis*, et Deus potentissimus; 3. *demon est fallax*, et Deus fidelissimus. En tres rationes, quibus ad soli Deo serviendum quisque excitari debet: *Domineum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

I PARS.

Demon est pauper, et Deus ditissimus.

1. Deus ab initio demonem pretiosissimis gratiæ et spirituum bonorum thesauris ditaverat, eique celestium omnium bonorum gazas aperire paratus erat. Infelix et rebellis ille spiritus ita prodigus fuit, ut in momento suam omnem dissipaverit substantiam, inestimabilia gratiæ dona perdidit, ac ita pauper evaserit ut nec vel minima cujusque rei possessor remanserit. Verum est, quod vocetur *princeps hujus mundi* (Joan. 12), quia impiis, omnibusque peccati et mundi amatoribus dominatur, eosque inique regit: non tamen sic dicitur mundi princeps perinde ac si mundo huic visibili præsit, omniumque mundi divitiarum sit dominus: quinimo tam pauper et miser est ut

nec minimam quamque rem propriam possideat; *Nihil maligni spiritus in hoc mundo proprium possident* (S. Greg. hom. 3 in Epan.). In hodierno evangelio pauperem se prodit diabolus: dum non cibos exquisitos, imo nec panes Christo, sed lapides tantum offert, quos si comedere vellet, in panes convertat: *Dic, ut lapides isti panes fiant* (Matth. 4). Cur astutus daemon, ut Christum ad gula peccatum alliciat, duos solummodo offert lapides? Cur perlicies, phasianus, vel alia pretiosa et palato suavia non objicit cibaria, quorum odore, vel aspectu solo Christum illaqueare pertentet? Cur non magnificum parat convivium, quo, ut incentive, ad gula indulgendum eum alliciat? Hoc fecisset haud dubie, si potuisset: tanta autem erat ejus paupertas, ut nec frustum panis dare posset. Et ideo lapides solummodo obtulit: *Quia non invenit cibum, quem offerret esurienti, postulat in cibum sacra mutari. Undique exclusus, undique fraudatus, ad pavimenta se confert* (S. Ambr. ser. 3 de jejun.). O quam magna daemonis paupertas? Quid eum tibi daturum speras, cum Christo lapides solummodo offerat? Divitem, omniumque regnorum mundi dominum se dicit satanas, dum regna omnia Christo offert, modo ipsum adoret: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (Matth. 4, 9). Imo, ut ait sanctus Lucas Evangelista, postquam daemon Christo omnia mundi regna ostendit, dixit ei: *Tibi dabo potestatem hæc universam et gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa* (Luc. 4, 6). Habetne omnia mundi regna diabolus, ut illa det? Non: ut enim ait sanctus Maximus: *daemon Christo offert, quod non habet*. Potestne demon dare Christo regna mundi, que ei pollicetur? Minime: hæc, ait Chrysologus, *hec dicit, non quod possit dare, sed quia vult fallere*. Omnia offert, omnia pollicetur, ut decipiat; verum nec minimum quid dat, vel dare potest; Christo offert omnia mundi regna, modo cadens adoret illum: avaro montes aureos promittit, modo aliena inique rapiat: superbo dignitates pollicetur eminentiores, modo peccatis animam suam inquinet: omnibus promittit quaecumque desiderare possunt. Ast magna intercedit differentia inter promittere et dare: promittit enim omnibus omnia, offert omnibus

omnia, quia fallax est; nil ulli dat, nec dare potest, quia pauperimus ipse nullius rei dominium habet. Sibi suadent non nulli, demones perditarum rerum, necnon thesaurorum sub terra reconditorum esse dominos; errant autem qui ita sentiunt. Si enim demones thesaurorum essent domini, auro et argento omnes fere homines obsequio suo manciparent, cum homines ita temporalium bonorum sint cupidi, ut si eos daemon ditare posset, omnes fere ad illum advolarent. Propterea Deus simul spiritualibus et temporalibus bonis demones carere voluit, *expolians principatus et potestates* (Coloss. 2); illosque ita hujusmodi bonis spoliavit, ut nec minimum quid in hoc mundo possideant: *Nihil maligni spiritus in hoc mundo proprium possident*.

2. O quam miser et pauper est daemon, qui promittere quidem omnia potest, nihil dare potest! Deus autem ditissimus est, cum celi, terre, mundi totius et omnium que in mundo sunt, sit Dominus: nec ulla sit creatura, que ejus dominio non subdatur: *Domini est terra, et plenitudo ejus: orbis terrarum et universi qui habitant in eo* (Ps. 23, 1). Bovum, taurorum, et aliorum quorundam animalium sacrificia Deo offerre consueverant Judæi in testimonium supremi ejus domini in omnes creaturas. His vero sacrificiis nil Deo offerebant, nilque ei offerre poterant, quod ejus non esset, quia non solum boves, oves, et omnia animalia ad eum attinent, sed et omnia creata, quorum supremus est Dominus. Ut enim ipse loquitur: *Mecæ sunt omnes fere silicarum, jumenta in montibus et boves. Meus est enim orbis terra, et plenitudo ejus* (Ps. 49). Credit Philo Judeus, nullum imperatorem, nullum regem, nullumque hominem esse ullius rei dominum; Deumque usum solummodo rerum hominibus concessisse, sibi vero omnium dominium reservasse: *Deus sibi omnium vindicavit dominium, usum vero distribuit suis subditis*. Eiusdem sententia fuisse videtur Chrysostomus, dicens: *Omnes usum habent, dominium autem nemo*. Attamen fatendum cum omnibus fere aliis doctoribus, homines simul cum Deo esse rerum dominos. Verum est, hominum in res suas dominium esse dependens, sub-

ordinatum et transitorium, quia rerum sunt domini dependentes ad Deo, et ad brevissimum tempus, quo in hoc mundo vivunt. Dei autem in omnes creaturas dominium est supremum, independens et aeternum: earum omnium est et semper erit Dominus; nec est aliqua creatura, quae ejus dominio non subdit: ejus sunt et semper erunt caelum, terra, et omnia mundi bona: *Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi* (1 Paral. 29). Praeclare dixit D. Augustinus, Deum non esse divitem pecunia, sed omnipotentia: *Deus dives est, non pecunia; sed omnipotentia*. Quomodo, et in quo sensu dicitur Deum non esse divitem pecunia? Nonne ipsius aequae sunt pecuniae ac alia omnia? Nonne ipsius est omne aurum et argentum? Nonne dicit ipse: *Meum est argentum, et meum est aurum?* (Agg. 2). Si autem Dei est omne aurum et argentum, cur, dicit Augustinus, Deum non esse divitem pecunia? Hoc dicit, ut doceat, non credendum quod Deus, instar divitum saeculi, arcas auro et argento refertas habeat. Cum enim dicimus, Deum esse ditissimum, non intelligendum, magnam pecuniarum copiam et congeriam cum aliquo in loco fecisse. Non quidem sic dives Deus; alio modo dives est et actu et omnipotentia. *Dives est actu*: quia aurum, argentum, et omnia creata ad illum actu pertinent. *Dives est omnipotentia*: tum quia montes aureos, et mille mundos omni divitiarum genere refertos creare potest: tum quia homines ditare valet, quantum placuerit: tum quia eis temporalia, spiritualia et aeterna bona confert, prout libuerit: tum quia potestatem habet tribuendi eis hujus mundi, et caeli regna, cum voluerit; nec alius quisquam hanc habet potestatem: *non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno caelorum solis piis: regnum vero terrarum et piis et impiis, sicut ei placet* (Aug., de civ. D. 5, 22). O quam dives est Dominus, qui omnia habet, omnia possidet, et omnia dare potest! Equis, abjecto daemonis obsequio, non se totum Domino consecrabit? O homo insensate, nonne abrenuntiare debes daemone, qui pauper est, qui nihil habet, et qui nihil dare potest? Nonne, inquam, ei abrenun-

tiare expedit, ut te pietati, virtutum exercitio, et Dei obsequio totaliter dedas? Certe, si sapias, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. In baptisate abrenuntiasti satanae, et tamen, o miser, derelicto Deo tuo, ablegato Creatore et Redemptore tuo, tandem daemone adhesisti, quamdiu in statu mortalis peccati permansisti. Modo tuam detestare miseriam, infelicitatem tuam deplora, et abrenuntia daemone, ut Deo fideliter servias. Ac semper in ore tuo haec versentur verba: *Abrenuntio tibi satanae, et conjungor tibi, Christe* (Chrys. ho. 21 ad pop.). Dic, quaso, o peccator, quam utilitatem, quod emolumentum a daemone percepisti eo tempore, quo illi obsecutus es, et quo in statu lethalis peccati perseverasti: *Quem ergo fructum habuisti tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* (Rom 6, 22). Accepistine ab illo magna praemia, divitias in aeternum permansuras, vel aliquid pretio aestimabile? Nequaquam: quia hic ita pauper est, ut nihil habeat, nihilque dare valet. Cum ergo daemone sit pauperrimus, Deus vero sit ita dives, ut omnia habeat, omnia possideat, omnia dare valet; et aeterna bona tibi dare disponat, modo ei fideliter servieris, abrenuntia satanae, ut Deo sedulo, ferventer et fideliter servias. Dic, saepe dic, et ex corde sincero dic: *Abrenuntio tibi satanae, et conjungor tibi, Christe*. Spreto igitur diabolo, Deo serviendum, quia ille pauperrimus, Deus autem ditissimus; cui quoque obsequi oportet, *quia daemone debilis est, Deus autem potentissimus*.

II PARS.

Daemone est debilis, et Deus potentissimus.

Si ligatam a Deo potestatem non haberet daemone, omnia quae in mundo sunt, vastaret et everteret; omnesque justos, imo et omne genus mortalium a facie terrae deleteret (S. Basil., ho. 13). Ita vero ligata eius est potestas, ut jam infirmus, debilis, et impotentissimus videatur.

Prodit se debilem et impotentem in hodierno Evangelio: in quo dicitur, quod Christum quidam supra templi pinnaculum statuere potuit, quia hoc ipse ei permisit: eum tamen dejicere non potuit. Dixit Christo: *mitte te deorsum*; haud illum deorsum mittere et precipitare potuit; *non impulit, non tetigit, non appropinquavit, sed tantum dixit: Mitte te deorsum. Nam diabolus ad malum hortari potest, cogere non potest* (hom. 5 Op. imperf. int. op. Chrys.)

Ante Christi adventum audaciores et ferociores erant daemones; nunc eorum potestatem debilitavit, et ligavit Salvator, ut jam blandiri, suadere, tanquam leones circuire et rugire possint; cum autem eis resistitur, nullam habent potestatem in homines. Unde similes videntur daemones priscis Gallis, quorum indolem describens Plinius, ait, eos in primo conflictu audacissimos, temerarios, formidandos, et plus quam viros fuisse; at vix dum primus eorum impetus retardabatur, primusque ardor restinguebatur, deinde debiles, effrenati, et minus quam viri fiebant: *Priora eorum praefata plus quam virosum, postrema minus feminarum* (Tit. Liv. l. 10). Idem dicendum de demonibus, qui in primis illis certaminibus, quae ante Christi adventum inibant, feroces, audaces nimis, et hominibus fiebant terribiles. Mox a Christi adventu, ita debilis, infirmus, et effeminatus factus est daemon, ut si ei resistatur, statim vertatur in fugam; *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (Jac. 4, 7). Adnotarunt rerum naturalium scriptores inter innumeris pisces qui in mari sunt, unum aliquem reperiri, qui *ensis marinus* dicitur, eo quod os longum, instar ensis acutum, fronte gerat. Piscis ille, qui semper ense suo armatus incedit, spectantibus terribilis et formidandus videtur, revera ita ignavus et debilis est, ut minimi quique alii pisces illi illudant. Huic autem pisci aliquo modo similis est daemon; formidandus enim cuique videtur; ipsum ejus nomen terrorem incutit; at a Christi adventu, ita debilis est effectus ut quisque ei illudere queat; *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei* (Ps. 103). Dirissima olim Romanos inter et Cartaginenses inita sunt praelia, quibus rebellem Cartaginem Romani debellare quidem

poterant, dominio suo perfecte subdere nequibant. Postremo statuere Romani, rebellem et formidandam hanc solo aquare Cartaginem, novamque aedificare, quam Cartago vocaretur, Cartago autem esset nomine solum, non virtute, ac fortitudine. *Superesse Cartaginem, sed non formidabilem*. Sic daemon ante Christi adventum terribilis et formidandus hostis Dei amicos terrebat, et nullo negotio vincebat; tunc orat leo, qui non solum rugiebat, sed et facile debellabat et devorabat. At a Christi adventu daemon est quidem semper leo; non amplius est leo formidandus, nec est, quod eum jam timeamus. Illi enim, inquit S. Basilius, illudere possumus, sicut leonis pelli illuderemus, *Non amplius velut leonem timeamus, sed velut pellem conculcavimus* (op. ult.). Et revera, cur daemone timeamus? Cur hunc pertimescamus hostem, qui tam debilis est, ut in rebus salutis nec in minimo nobis nocere possit, nisi eum nobis nocere velimus? Non timeamus hie anime et salutis nostrae inimicus, non timeamus ille canis, qui, ut ait Augustinus, *latrare potest, sed mordere non potest, nisi volentem*.

Nemo arbitretur, datam daemone potestatem aliquam supra hominis voluntatem ut hominem ad malum compellere et necessitare possit. Latrare enim potest, suadere potest, inspirare potest; cogere et necessitare non potest, quia *liberi arbitrii nos fecit Deus; et nec ad virtutes, nec ad vitia necessario trahimur* (Hier. c. Jovin. 2). Vis scire, inquit sanctus Chrysostomus, quam in homines potestatem daemon habeat? *Praeter latratum nihil habet, seu nihil potest, nisi latrare, suadere virtutis, fugam, et vitii amorem inspirare*. Si nolimus, et si ei resistamus, non potest nos a virtutis amore revocare, et ad vitii affectum compellere. *Diabolus potest ad malum incitare, non potest trahere*; adversarius noster diabolus, *tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret* (1. Pet. 4); circuit quidem ut devoret; verum nec ferit, nec devorat, nisi volentem. Rugire ille potest, et quaerere quem devoret; devorare non potest, nisi in fauces eius se libens quispiam intradat: *rugire daemon potest, ferire non potest* (S. Ber. ser. 13 in Ps. Qui

habit.). Rugiatur quantum voluerit, nihil in nos potest, nisi nos velimus: tanta eius erga nos est debilitas, ut nec ad minimum peccatum veniale nos inclinare possit, nisi velimus. Quam enim potestatem in nos habere potest demon, qui nec in porcos potestatem habet? Nec enim in illos intrare potuit, sine accepta a Christo ad hoc licentia. *In homines nihil licet, quibus in porcos iussum est, ut liceat* (Chrysol. ser. 16). Nihil in nos potest demon, et quoad nos debilissimus est. E contra Deus potentissimus est.

2. Quid enim non potest Deus, qui omnia potest? Non hoc solum, aut illud, aut omnia possibilia potest, excepto peccato, quod facere non potest, quia peccare non potestatis est, sed infirmitatis. Si educendus sit mundus e nihilo, et homo ex luto, hoc potest Deus. Si vertenda sint aqua in sanguinem, virga in serpentem, mulier in statuam salis, aqua in vinum, et panis in Christi corpus, hoc facere potest. Si faciendi mille mundi, isto ampliores et pulchriores, hoc facere posset Deus, qui per omnipotentiam suam sine ullo labore, sine ulla difficultate, et sine ulla resistantia facere potest quicquid possibile est. Sicut in mundi creatione, cum dicebat Deus ut fierent coelum et terra, mox coelum et terra fiebant; cum dicebat ut fierent sol, luna, sidera, et omnes creature, statim illa facta erant: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*. Tanta praeditus est potentia, ut si modo diceret; fiant mille mundi isto nostro mundo pulchriores, ditiores, ornatiores, et majores, statim hi omnes mundi existerent, quia amico voluntatis suae actu omnia quae voluerit, perficere potest. O magnam Dei potentiam! Quid ergo non potest pro nobis? Nonne potest nos salvare, vel damnare? Immensa quidem paradisi praemia omnibus proponit; omnes salvari vult, omnibusque dat media ad salutem necessaria, quibus si bene utantur, salvabuntur; si iis abutantur, eos ad aeterna tartari supplicia condemnare potest: *potest et animam, et corpus perdere in gehennam* (Mat. 18, 21). O homo, quid times a demone, qui ita debilis et impotens est, ut nullam in te habeat potestatem? Quid metuis a tam in-

firmitate domino, qui hanc solam in te habet potestatem, quam tu illi das? Ne times demonem, nec ejus te obsequio mancipis; potius time Deum, qui omnia potest, time Deum, eique fideliter obsequere, quia nisi ei fideliter servieris, aeternis te ignibus adjudicabit. Deus summe bonus est, infinita ejus est bonitas; servis suis infinitam in caelo preparat mercedem, et regnum aeternum; omnesque qui ei sedulo et fideliter servierint in hoc mundo, audient Christum in die iudicii dicentem: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*. Eos vero, qui ei non fideliter servierint, mittere potest, et mittit in infernum, aeternum cruciandos: vide quam expedit ut in perpetuum servum te totaliter Deo subicias. Ne servias mundo, peccato, demoni; obedi Deo tuo et Domino tuo: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. Ne servias demoni, qui ita debilis est, ut nullam adversus te habeat potestatem; Deo obsequere, qui omnia potest, et qui in aeterna tartari gehennam te mittere valet. Non itaque demoni, sed Deo serviamus, cuius est infinita virtus et potentia; cuiusque pariter ubique praedicanda fidelitas et veritas: *quia demon fallax est, et Deus fidelissimus*.

III PARS.

Demon est mendax et Deus fidelissimus.

Mendax, fallax et infidelis est satanas, qui plurima bona promittere solet, non ut det, sed ut decipiat. A mundi primordio mendax fuit, cum in Paradiso terrestri primos parentes mendacis suis fefellerit: promisit enim eis immortalitatem: *nequamquam moriemini*; pollicitus est eis etiam divinitatem: *eritis sicut dii*; ac tandem promisit eis scientiam boni et mali: *scientes bonum et malum*. Rei eventus illum mendacissimum, et fallacissimum esse demonstravit; non enim ad immortalitatem, ad divinitatem, et ad eminentem scientiam evecti sunt; e contra postquam nimium creduli falsis demonis suasionibus adhaerentes, de ligno vitato comederant, non

immortales, sed morti obnoxii; non dii, sed iumentis insipientibus similes; non doctiores, sed ignari facti sunt. O quam turpiter ab initio mundi mentitus est dæmon, quam inique fefellerit protopetentes nostros! Adhuc et eum fallacissimum esse in hodierno patet Evangelio, in quo ut refert S. Lucas, asserit dæmon, omnia mundi regna sua esse, et de iis ad arbitrium posse disponere: *Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa.* Mentitur, inquit S. Irænaeus, in eo, quod asserit, sibi tradita esse omnia regna cum potestate gubernandi et donandi ea ad libitum: diabolus enim nihil in mundo habet, quod suum appellare possit; ac per consequens nec aliquid dare potest. Mentitur secundo dæmon, cum ait, se dare gloriam regnorum, divitias scilicet et honores; nam, ut ait S. Cyprianus, ad illum talia non pertinent, nec huiusmodi dare valet: *Tu, impie ac mendax, quid habes, quod dare possis?* Mentitur tandem, inquit S. Chrysostomus, quia nullatenus intendebat dare quod promittebat: si enim uni omnia mundi regna dedisset, nil illi aliis dandum superfuisset: quis autem credat, quod pro uno lucrando, omnes alios servos amittere vellet? Hoc nemo credet; e converso patet quod mendacis suis Christum decipere voluerit: sicut et certissimum est, quod fallacis et fallacibus promissis homines quotidie decipiat. Christum, cujus sapientia erat infinita, decipere non potuit, dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me;* jamvero multos homines quotidie decipit, dicens cuique: *hec omnia tibi dabo.* Avaris promittit pinguem fortunam, magnam bonorum temporalium copiam, et divitias quibus diu gaudebunt, modo fraudibus, usuris et aliis viis iniquis aliena rapere studeant; iisque dicit, *hec omnia vobis dabo.* Superbis pollicetur altiores mundi dignitates, honorem et gloriam sæculi, modo latam et spatiosam perditionis ambulentiam; illisque dicit, *hec omnia vobis dabo.* Voluptuosos delicias offert plurimas et perennes, modo a via regia sanctæ crucis declinant. Iis et omnibus aliis, quos ad peccatum allicere intendit, plurima promittit, dicens: *hec omnia vobis dabo.*

Verum, ut ait D. Augustinus, *non solum mendax est, sed etiam mendacii pater,* quia promittit non quod dare velit, sed quia decipere intendit. Astrologos iudiciarios dire objurgat sanctus Augustinus, eosque vocat *seductores,* eo quod fingentes se ex siderum influxibus quæ cuique eventura sint, cognoscere, fallant homines prædicando eis multa bona, ignorantes hæc illis eventura, illosque decipientes, ut aliquid ab eis extorqueant. Quanto magis mendaces et seductores sunt dæmones! Prædicant enim, et promittunt cuique ea quæ optare cognoscunt: avaro divitias, voluptuosos delicias, unicuique ea quæ appetit, pollicentur, nil tribuere valentes, dummodo illos seducant et ad tartara ducant.

2. O quam mendax et fallax est dæmon! Econtra fidelissimus Deus, qui cum sit suprema, æterna et infallibilis Veritas, nec fallere nec mentiri potest. Infinita habetur oppositio Deum inter et mendaciam: cum enim Deus sit summa et essentialis veritas, infinite opponitur mendacio, et sicut impossibile est eum esse simul Deum et non Deum, ita impossibile est eum esse Deum et mendacem. Si enim Deus est, necessario non est mendax; et si mendax est, necessario Deus non est. Ideo cum Deus sit, non mendacem, sed in promissis executioni mandandis fidelissimum esse fatendum est. Pollicitus est Deus gratiam sanctificantem recipientibus baptismum; peccatorum remissionem penitentiam agentibus; æternam gloriam perseverantibus et mandata custodientibus: facite quæ precipit, et dabit ille quæ promittit; quia impossibile est eum mentiri, et promissa non servare. Haudquaquam credendum Deum in sermonibus suis esse nobis similem, et sicut nos mutari, ut modo aliquid dicat, modo aliud; nunc asserat, hoc est; nunc, hoc non est. Huiusmodi mutationibus non est obnoxius Deus: ut enim ait Divus Paulus, *fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est et Non* (2 Cor. 1). Deus non est infidelis, ut jam neget, quod antea affirmaverat, atque ita promissis non stet; quin contra, ut præfata verba exponit Doctor Angelicus, *fidelis Deus, id est servat promissa sua.* Itaque cum Deus sit fidelissimus, et dæmon infidelis, non

isti sed Deo serviendum. Deus ditissimus est, et daemon pauper; Deus potentissimus est, et daemon debilis; Deus fidelissimus est, et daemon mendax et infidelis: en efficaces rationes, cur, nuncio remisso diabolo pauperi, debili et infideli, Deo soli, qui ditissimus, potentissimus, et fidelissimus est, ex toto corde servire statuamus; *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Hoc sciunt omnes! nullum latet, quod ablegato satana, soli Deo sit serviendum. Prohi deor tamen! quam multi, relicto Deo suo, daemone misere obsequuntur!

Dic, quæso, cui a juventute tua servivisti? Nonne peccato? Nonne daemone? Plurimos confessarios et concionatores audisti dicentes, te non posse simul servire Deo et avaritiæ, Deo et luxuria, Deo et iniquitati, Deo et daemone; quodque, iis omnibus procul pulsis, soli Deo esset adherendum. Cui, quæso, adhasisti? Nonne, relicto Deo, te avaritiæ, libidini, vel alteri cuidam vitio totaliter dedisti? Dicebant confessarii, dicebant concionatores, dicebant tibi: *Soli Deo servies;* et tu, miser, in corde tuo dicebas: avaritiæ serviam, gula serviam, luxuriæ et aliis vitis serviam. Deus per se, et per angelos sepe intus dixit tibi; o miser, abrenuntia huic creature, quæ te decipit; frange prævæ consuetudinis vincula, quæ te captivum dedinent; valedic proximæ huic occasioni, quæ te ad peccata inclinat; detestare satanam, qui te ad tartara ducit; ut mihi, et mihi soli obsequaris. Sic, sic Deus in corde tuo sepe locutus est; tu vero verbis ejus aures oclusisti, ac daemone, quam Deo servire maluisti. O infelix, tuam detestare cæcitatem; et videns in infinitum melius esse servire Deo, quam satanae, firmiter statue in corde tuo te imposteram Dei obsequio totaliter adhesurum. Non amplius peccato et daemone, ast soli Deo servias; ac in Dei obsequio angelos imitare, de quibus in hodierno Evangelio dicitur, quod postquam Christum daemone reliquit, hi accesserunt, ut Christo ministrarent; *reliquit eum diabolus, et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei* (Matt. 4, 11). Quomodo Christo ministrarent angeli? Ita sane, ut ejus voluntatem in omnibus adimplerent: *ministri ejus, qui faciunt voluntatem ejus* (Ps. 102). Sic similiter tu Deo servias:

ita ei obsequere, ut semper et in omnibus voluntatem ejus adimpleas. Vile quid a te Deus postulet; quid velit; quid desideret; *Postulat,* ut ab omni vitiorum genere declines: hoc faciendum est. *Vult,* ut conscientiam tuam ab omni labe peccati mundaes et purifices: hoc agendum est. *Desiderat,* ut penitentia et omni virtutum generi te dedas: hoc adimplendum est. In omnibus tandem adimple Dei voluntatem: et Deus, qui ditissimus, potentissimus et fidelissimus est, æternis illis te ditabit bonis, quæ diligentibus et sibi servientibus promisit. Amen.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

DE CHRISTI TRANSFIGURATIONE.

Transfiguratus est ante eos (Matt. 17, 1).

Christus Dominus, quamdiu cum hominibus conversatus est, viator simul et comprehensor fuit ac beatus saltem quoad animam, quæ a primo instanti creationis suæ ac unionis cum Verbo, Dei visione gavisus et beatus fuit: ejusque beatitudo in corpus semper redundasset secundum suas dotes, nisi ex alto Dei consilio repressa esset. Ut enim pati et cum hominibus conversari posset Christus, claritas, aliæque corporis gloriosæ dotes in beata ejus anima cohibite fuerunt, ne in corpus se diffunderent. Miraculum erat, quod Christi corpus gloriosus non frueretur dotibus, sibi non solum ratione unionis hypostaticæ, sed etiam ratione beatitudinis animæ debitis. Hodie cessat miraculum, saltem quoad claritatis dotem, quæ corpori Christi communicatur; et ideo transfigurari dicitur, quia externam speciem mutat, mirabilemque splendorem et claritatem assumit,

qua omnes spectantes in admirationem rapit. Magnum est illud Transfigurationis Christi mysterium, ejus testes extitero nonnulli apostoli; quod contemplati sunt Moyses et Elias; quod sancta romana Ecclesia pluries singulis annis nobis proponit; quodque nos jam pro modulo nostro exponere pertentabimus. *Aee.*

Certum est, quod transfigeret se daemon, transfigeret se homo, transfigeret se Christus. *Transfigurat se daemon*, sequē interdum in angelum lucis et in amicum benevolam transformat et exterius immutat, ut homines decipiat et perdat. *Transfigurat se homo* aliquando in bonum, cum scilicet a statu peccati ad gratiæ statum migrat; et aliquando in malum, nempe cum a statu gratiæ ad lethalis peccati statum declinat. *Transfigurat se Christus* hodie, cum vultus, totiusque corporis sui externam speciem mutat et mirabilī claritate fulgentem se exhibet. Dæmonis transfiguratio maligna est et dolosa; hominis transfiguratio aliquando bona est et aliquando mala; Christi transfiguratio mirabilis in se est et hominum salutī plurimum utilis. Dæmonem transfiguratum reformidemus; hominem a malo in bonum transfiguratum imitari conemur, et Christum coram Apostolis, Moysē et Eliā hodie transfiguratum attente contemplemur; ac sedulo perpendamus 1. quomodo sit transfiguratus; 2. quare sit transfiguratus; 3. ubi sit transfiguratus. Vel ut aliis verbis mentem meam explicem, videamus transfigurationis Christi modum, finem et locum; *modum*, quo facta est; *finem*, ob quem facta est; *locum*, quo facta est. En tres hujus concionis partes.

I PARS.

Quomodo facta est Christi Transfiguratio.

Non ita coram tribus apostolis transfiguravit se Christus, ut suam eis ostenderit divinitatem, eo modo quo illam Beatis in celo manifestat: divinitas enim oculis corporeis videri ne-

quit. Ita se transfiguravit, ut in facie, in veste et in toto corpore novam præstulerit claritatem. *In facie*, quæ mirabiliter resplenduit: *in veste*, quæ alba facta est; *in toto corpore*, quod mirum in modum refulsit.

1. In Christi transfiguratione, haud immutata vultus essentia, ingens quidam splendor, quasi divinus, ab ipsa Christi anima, utpote beata et hypostaticè Verbo unita, in faciem ejus emanavit, quo sicut sol et magis quam sol resplenduit. Verum est, quod dicat Scriptura, Christi faciem sicut solem resplenduisse, *Resplenduit facies ejus sicut sol*; asseri tamen potest, quod etiam supra solem refulserit. Claritas enim illa in Christi facie apparens multo augustior et magnificentior erat solis claritate, quia claritas solis naturalis est; claritas vero in Christi vultu efulgens, erat supernaturalis, seu a principio ac radice supernaturali procedens, a beatitudine nempe animæ et ab unitiōe hypostatica. S. Antonius Patavinus ait, splendorem vultus Christi excellentiorem fuisse solis luce; dicitur autem, quod facies ejus resplenderit sicut sol, splendorque faciei ejus splendori solis comparatur, quia in his sensibilibus non est quid clarius et splendidius, cui possit comparari. Non ergo censendum, quod facies Christi instar solis tantum fulserit, at per hoc palpabile exemplum investigare debemus magnitudinem splendoris, quo Christi facies refulsit. Si Christus totum diviniæ gloriæ fulgorem coram Apostolis exhibuisset, cum adhuc pro humane vitæ conditione tantum splendorem ferre non possent, non ab eo lætificati, potius obcecati fuissent. Propterea vultus sui splendorem Christus temperavit, ita ut solè splendidior foret et tamen splendor ille Apostolorum oculis tolerabilis esset et jucundus, eosque ingenti gaudio recrearet. *Resplenduit facies ejus sicut sol*, inquit S. Joannes Damascenus (or. de Transf.), non quod solè splendidior non esset, sed quantum intueri poterunt spectatores; nam si universam gloriæ claritatem ostendisset, illi penitus exarsissent.

2. O quam mirabilis est ille modus, quo Christus transfiguratus est *quoad faciem*? Jam vero mirabilis etiam est modus, quo transfiguratus est *quoad vestem*. Ut enim sacrum refert Evan-

gelium, *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*. Facies Christi instar solis merito rutilavit, quia divina hæc facies, passionis tempore conspuenda, maximeque deformanda erat; magne autem confusioi magna gloria jure debebatur. A Christi facie, imo et a toto ejus corpore ad vestimenta ejus quidam manavit fulgor, a quo alba facta sunt, ita ut si prius Christi vestes essent nigrae vel violaceae, in transfiguratione facta sint albae, et si prius essent albae, ut arbitratur Tostatus, factae sint albiores et albae sicut nix; *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix* (Abul. c. 2). A Christi facie et a toto ejus corpore splendor quidam in vestimenta redundavit, a quo lucida simul et alba facta sunt. Ipse splendor in Christi facie radiabat ut sol aureus et fulvus; transfusus vero in vestes, factus est albus. Sicut lux solis, dum a sole diffunditur, in ipso sole aurea apparat et fulva, in altera autem re excipiente et a sole diversa, sensibus alba videtur, ita fulgor, quo Christi facies rutilabat, in ipsa Christi facie quasi aureus cernebatur; ad vestes vero transfusus, non aureus, sed albus, et nivis albedinem præferens videbatur: *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*. Sicut luna, cum exceptis solis radiis illuminatur, alba videtur; sicut etiam nubes soli objectæ, colorem album ac lacteum reddunt, ita et fulgor ille, qui in Christi facie instar solis rutilat, ad vestimenta ejus transfusus, albus apparet quasi nix. *Vestimenta autem facta sunt alba sicut nix*.

3. Ecce modum, quo transfiguratus est Christum quoad vestem; ad hæc transfiguratus est etiam quoad totum corpus, quod mirum in modum regulat: *Christus*, inquit sanctus Ephrem, *toto suo corpore, tamquam sol suis radiis, resplenduit gloria suæ divinitatis*. Non sola Christi facies resplenduit, non soli faciei, etiam manibus, pedibus, totique ejus corpori mirabilis ille fulgor inhaesit; Christi enim transfiguratio fuit perfecta et plena, et ideo dicendum, quod totum ejus corpus nitore resplenderit. Unde si sancti Evangelistæ solam Christi faciem commemorent, per faciem tamquam partem principaliorum, magisque spectabilem cætera membra intelligenda sunt, quæ omnia mirabiliter resplenderunt, et ut loquitur sanctus

Ephrem, *ex toto corpore gloria ejus scaturioit, et ex totis ejus membris resplenderunt radii*. Ex toto Christi corpore fulgentissimi manarunt radii, tantaque fuit totius corporis ejus in transfiguratione gloria, ut prohiberentur Apostolis, ne eam aliis hominibus revelarent: *Nemini dixeritis visionem*. Mandat visionem hanc taceri, quia tanta tunc exiit corporis Christi gloria, ut si hominibus annuntiata fuisset, incredibile eis visa esset. *Non vult Christus hoc in populis prædicari, ne et incredibile hoc esset pro rei magnitudine*. Et ut loquitur S. Chrysostomus: *Mandavit ut nemini dicant; quia in populis rudibus id videretur incredibile* (ho. 17 in Math.). Tanta fuit etiam Christi in transfiguratione claritas, tantus tunc, tamque jucundus ex corpore ejus fulgor manavit, ut Petrus, quasi extra se raptus, eo viso, terrena cuncta despiciat, dicens: *Domine, bonum est nos hic esse*. O Petre, bonum tibi videtur, quod in monte Thabor præsens adsis, quia Christum tibi vides mirabili modo transfiguratum in facie, in veste et in toto corpore; quam melius erit tibi, quando cum Christo in æternum vives et in celo regnabis! Ineffabili gaudes suavitate, quia Christum transfiguratum et claritate celestis radiantem aliquibus dumtaxat momentis intueris; quanto majore suavitate perfueris, cum non solum aliquibus momentis, verum per infinita secula ultimam essentiam in celo contempleris! Incomprehensibili affluit gaudio, quia brevissimo tempore Christi carnem caritate nova fulgentem vides; quanto majore afficeris lætitia, quanto eminentiori poteris beatitudine, cum in æternum non solum Christi Salvatoris carnem radiis celestibus fulgentem, verum ipsam ejus divinitatem facie ad faciem videbis! O fratres, sursum corda nostra sublevemus, ad coelestem hanc beatitudinem oculos et mentem extollamus, et si Christum in hoc mundo, mirabili modo transfiguratum videra nequeamus, ad coelestem anhelemus beatitudinem, in qua cum transfiguratum et ineffabili gloria fulgentem in æternum contemplantur. Non in hoc mundo terrenis et transitoriis bonis nostra figamus corda; ibi nostra fixa sunt corda, tibi vera sunt gaudia. Obvii quique nos non deterreant labores, quia pro æterna gloria adipiscenda omnis labor

exilis, omnisque pœna levis. Momentaneis sæculi deliciis a tanti boni assecutione non avertamur, quia, ut ait S. Augustinus, nulla major insania, nulla major stultitia, quam pro delectatione momentanea perdere æterna et tam indicibilia gaudia, quæ habentur in visione divina et Christi Jesu præsentia gloriosissima. Expergiscimini ergo nunc, peccatores! A gloria, quam Christus in transfiguratione exhibet, celestis beatitudinis gloriam investigate; a felicitate, qua fruitor Petrus, eo quod Christum mirabili modo transfiguratum cernat, inferte quanta futura sit vestra felicitas, si ad celestem beatitudinem pervenire valeatis. Identidem ad tantam felicitatem suspirate, eam toto corde concupiscite et pro ea acquiranda fortiter laborate, non enim otiosus et desidiosus datur hæc beatitudo, verum his solummodo, qui fideliter in Christi vinea laborant. De his tantummodo dicit Christus: *Voca operarios, et da illis mercedem*: eos et non alios in celesti regno præmiabit. Ergo laborate fideliter: Dei obsequio subditæ vos, ea facite quæ a vobis exigit, ut celestem beatitudinem assequi valeatis. Hic est fructus, qui ex modo, quo transfiguratus est Christus, elici debet. Videamus nunc quare transfiguratus sit.

II PARS.

Quare facta est Christi transfiguratio.

Christus, qui hominum gloriam summa sollicitudine fugere consueverat, coram Apostolis suis hodie transfigurari et gloria circumdatus videri voluit nullas ob rationes. Ex quibus ut aliquas adducam, dico, quod transfigurari voluerit, ut fidem nostram firmaret: ut ad desiderandam beatitudinem nos excitaret; ut ad pugnandum pro ea nos induceret.

1. Ante Christi adventum, sanctissimæ Trinitatis mysterium occultum erat et a fidelibus implicite solum credebatur; adveniente Christo, major altissimi hujus mysterii hominibus data est notitia, tum per ipsum Christum, qui pluries mani-

festavit, tres esse in divinitate personas; tum per Apostolos, quos in universum mundum misit, ut hoc mysterium predicarent et ut in nomine trium personarum sanctissimæ Trinitatis baptizarent: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matt. 28, 19). Ut autem hoc mysterium hominibus magis innotesceret et ab iis firmiter crederetur, transfigurari voluit Christus et per transfigurationem suam illud magis manifestare. Per eam enim manifestatus est Pater, qui auditus est de Christo dicens: *Hic est Filius meus dilectus* (Id. 17). Per eam manifestatus est Filius, qui ineffabili claritate qua fulsit, se Deum esse probavit. Per eam manifestatus est Spiritus Sanctus, in nube scilicet lucida, quæ Christum et Apostolos obumbravit: ut enim ait V. Beda, *hic est Spiritus Sanctus in nube lucida, sicut in Jordane fuit in columba*. At non solum transfigurari voluit Christus, ut fidem nostram firmaret circa sanctissimæ Trinitatis mysterium, verum et ut fidem nostram firmaret circa mysterium resurrectionis. Prædixerat Christus resurrectura et fulgida in cælo futura justorum corpora, dicens: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (Id. 13). Vix autem credi poterat, quod corpus terrenum et vile, tardum et immundum, fragile et corruptibile, solis claritatem, pernecitatem et incorruptionem induere posset, Christus ut homines in futuræ corporum resurrectionis fide firmaret, voluit seipsum transfigurare, quasi sol rutilare et corporis sui claritatem manifestare, qualia in resurrectione futura erunt hominum corpora. Transfiguratus est ergo Christus, ut fidem nostram firmaret: ac etiam ut ad desiderandam celestem beatitudinem nos excitaret.

2. Plerique hominum Dei celestiumque bonorum amore et desiderio minime afficiuntur; cum enim nesciant, quam suavis sit Dominus, ac quanta sint cæli bona ignorent, de iis comparandis non cogitant, nec ea acquirendi desiderio flagrant. Sicut initium transfigurationis Christi non viderunt Apostoli utpote saporè gravati ita hominum plerique vitiorum suorum veneno consopiti, ad æternorum bonorum considerationem oculos

non extollunt, nec ea bona considerant, quæ in celo Deus diligentibus se preparavit. Christus ergo coram Apostolis transfigurari vult, ut discipulos et omnes homines ad spiritualia, cœlestia et æterna bona desideranda excitet. Quum enim Christus ineffabili claritate circumfusum se se illis exhibuit, idem fuit ac si dixisset, videte quanta sit gloria, quæ circumdatus sum; attendite quantum ex corporis mei transfigurati visione jam percipiatis suavitatem et scitote, quod in æterna gloria longe majore suavitate et ineffabili dulcedine perfruentur sancti; ideo non terrena a vobis, sed cœlestia bona summo affectu sunt concupiscenda. Cum terram promissionis adire non satis optaret populus Hebræorum, jamque fatigatus in Ægyptum regressi cogitaret, misit Moyses exploratores in terram illam, qui inde revertentes, ficus, maligranata et portentose magnitudinis uvæ portaverunt, ut ostenderent, feracissimam esse illam terram, eosque ad illam desiderandam excitarent. Refert sacer Textus, quod exploratores illi in ea terra perambulantes, *abscederunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in veste duo viri*, et ut populum ad desiderandam fertilissimam illam terram allicerent, reversi ad omnem costum florum Israel, *omni multitudine ostenderunt fructus terræ et narraverunt dicentes: Venimus in terram ad quam misisti nos, quæ copiosa fuit lacte et melle, ut ex iis fructibus cognosci potest* (Num. 13). O mirabilem hanc, quæ usus est Moyses, artem, ut Israelitas ad optandam promissionis terram accenderet! Constimili autem et longe perfectiore vitur industria Christus, ut homines ad cœlestia bona concupiscenda excitet, cœlestis enim illius patriæ uberes eis fructus exhibet atque aliquam bonorum illorum speciem eis ostendit, dum coram ipsis se transfiguratur. Cœli ergo bona optate, summo affectu ea concupiscite, toto cordis desiderio ad ea anhelate, cum transfiguretur Christus, ut ad desiderandam cœlestem beatitudinem nos excitet: *qui transfiguratur etiam, ut ad pugnandum pro acquirenda cœlesti beatitudine corda nostra inflamet*.

3. Militia est vita hominis super terram: ad acquirendam enim cœlestem coronam pugnare quisque debet adversus aëreas

potestates, adversus proprias passiones, et adversus omnes salutis sue hostes. Quapropter Christus, ut homines ad strenue decertandum excitet, aliquam cœlestis illius gloriæ, quæ victoribus datur, speciem eis exhibet; quo facto dicit: non turbetur cor vestrum, neque formidet; non terreat vos inimici, cum quibus certamen vobis inmundum; viriliter pugnate; cum enim de iis triumphaveritis, ineffabilia et in infinitum majora, quam illa quæ modo exhibeo, vos in celo bona possidenda manent. De ethnico quodam rege profane narrat historie, quod ut militibus suis animos adderet, utque belli difficultatibus et periculis terrii, corde non caderent, opima quædam spolia ab hostibus ablata oculis eorum objecerit dicens; hæc sunt, o milites, spolia, pro quibus pugnatis. Id ipsum Christus efficit hodie: scit enim, quam grave, quam durum, quam periculosum sit bellum, quod cum animæ nostræ hostibus in hoc mundo gerimus, ideo ad valenter pugnandum excitare cupiens, aliqua cœlestis gloriæ spolia, seu aliquam cœlestis beatitudinis speciem nobis ostendit, quasi dicat aspice in me, videte splendorem et mirabilem pulchritudinem, qua fulgeo: hæc sunt, o milites, spolia pro quibus pugnatis; ergo dimicite fortes in fide, ut hujusmodi spolia in celo obtineatis. Cum aliquid Cajus Marius e regione hostium in loco, ubi nullæ erant aquæ, castrametatus esset, animadvertens plerosque ex suis murmurare et indignari, eo quod siti affligerentur, sublato digito, eminus fluvium castra hostium præterclabentem ostendit, adjiciens, quod ad habendam aquam, necessario pugnandum erat. Simili modo Christus, ut nos ad spirituum pugnam excitet, transfiguratione sua ostendit uberes in celo esse deliciarum torrentes et fluvios, pro quibus comparandis decertandum est. *Si quis sitis*, inquit Christus, *veniat ad me, et bibat*. Ad eum hodie sitientes nonnulli accedunt apostoli, claritatem ejus contemplantur; hujusque aquæ suavitate iam inebriatur Petrus. Heu! quis non cupiat bibere ex hac aqua? Quis non optet eadem frui felicitate qua Petrus? Quis pugnare recusat pro obtinendo tanto bono? Quanto magis pugnandum pro assequenda æterna beatitudine, ubi sunt torrentes voluptatis, quibus inebriabuntur

qui illam obtinebunt! Pugnemus ergo pro obtinenda æterna beatitudine, cum hodie transfiguratur Christus, ut ad pugnandum pro ea acquirenda nos excitet. Ecce rationes propter quas Christus transfiguratus est. *Videamus nunc quo loco transfiguratus sit.*

III. PARS.

Ubi facta est Christi transfiguratio.

Sicut modus, quo Christus transfiguratus est, et finis ob quem transfiguratus est, mysteria multa nobis exhibent, ita locus, in quo transfiguratus est, a mysterio non vacat. Et ideo locum transfigurationis Domini nostri Jesu Christi specialiter adnotat sacer Evangelista, dicens, quod transfiguratus sit in monte: in monte excelso; in monte excelso seorsum; *Duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est.* Hec omnia explicemus, et ad mores recte componendos, quantum fas erit, accomodemus.

1. Transfiguratus est Christus *in monte*; poterat Dominus in convallibus, vel in locis campestribus, et planis transfigurari; cur igitur in montem ascendit ubi accessus arduus et iter asperum est? Non casu quidem, nec fortuito id factum est; hoc enim fecit Christus, ut doceret, non in hac valle lacrymarum, sed in celo, et in monte sancto ejus, querendam beatitudinem: *Ut ostendat discipulis suis, quatenus gloriam divinam claritatis, non in hujus sæculi profundo querant, sed in celestis beatitudinis regno.* (Remig. in c. 17 Matt.). Duo montes maxime oppositi nobis proponuntur a D. Mattheo: unus, ad quem diabolus Christum assumpsit: *Assumpsit cum diabolus in montem excelsum valde* (Matt. 4, 3). Alter vero, ad quem aliquos ex apostolis Christus secum duxit: *Duxit illos in montem excelsum.* In monte autem aliud ostendit Christus, et aliud ostendit diabolus: in monte ostendit diabolus Christo omnia regna mundi, et gloriam eorum; Christus autem in

monte discipulis suis ostendit regnum cœlorum et gloriam ejus. Ostendit diabolus regna mundi, et gloriam eorum, ut hominibus suadeat, terrena amanda, iis comparandis insudandum et in illis totam felicitatem collocandam. Christus vero non terrena, sed spiritualia et celestia in monte ostendit, ut doceat, terrenis non adherendum, in quibus nulla felicitas; ad cœlum anhelandum, ubi vera beatitudo. O fratres, quæ sursum sunt querite, non quæ super terram; terrena despice: iis cor nolite apponere. Maligno non credatis demoni suadenti, beatitudinem in sæculi bonis inveniri; ascendite ad montem Domini; videte Christum in monte transfiguratum, et celesti gloria radiantem, ut ostendat beatitudinem non in hoc mundo, sed in celo inquirendam; ibi eam querite. Hic est primus fructus, quem ex loco, in quo transfiguratus est Christus, quisque referre debet. Ut alium inde hauiamus fructum, perpendamus, quod non solum in monte, sed etiam in monte excelso transfiguratus sit: *Duxit illos in montem excelsum.*

2. In monte excelso transfiguratur Dominus, ut ostendat, ascendendum et laborandum esse ad acquirendam gloriam celestem: regnum enim cœlorum laboribus et sudoribus multis comparatur, quia æquissimam legem tulit Christus, qua cavetur, ut æterna gloria nemo fruatur, si prius montem non ascenderit, et arduam ad ejus cacumen viam non arripuerit. Videte qua via ad montem Domini ascenderit Christus, videte quam tenuerit viam, ut regnum cœlorum sibi jure hereditario delitum compararet. Nonne laboravit, jejunavit, et gravia perpressus est? *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* (Luc. 24). Heu! si Christum pati oportuit, et ita intrare in gloriam suam, licet Filius Dei naturalis esset, quo jure, qua fronte nos, qui filii inutiles sumus, sine ullo labore, luxu et voluptatibus vacantes, in cœlum ingredi cogitamus? Si Christus, qui est Filius dilectus, in quo sibi Pater bene complacuit, laboribus et passionibus multis ad cœlum ascendit, quomodo ad illud ascendere possumus, precepta Dei violando, indulgendo nobis, et pravis corporis propensionibus deserviendo! Hoc fieri nequit: excelsum enim est

mons Domini, et sicut ad illum laboribus multis ascendit Christus, ita et laboribus multis ad illum ascendere debemus. Ecce quid doceat nos Christus, cum in die transfigurationis discipulos duxit in montem excelsum: perpendite quod duxit etiam illos seorsum: *Duxit illos in montem excelsum seorsum.*

3. Passus est Christus in Jerusalem coram innumeris hominibus, cum autem transfigurari et celesti claritate fulgere voluit, abiit in montem excelsum seorsum, seu valde separatum, et valde distantem ab hominum consortio, ut doceret nos, quod impiorum consortia fugere debeat qui eternam beatitudinem obtinere cupit. Qui enim sanctus fieri vult, cum personis piis et sanctis conversari debet; non enim sanctificantur qui impiorum, sed qui piorum consortia amant et querunt: *Cam sancto sanctus eris, et cum perverso perversus* (Ps. 17). Quod exemplo Lot probari potest: qui postquam ab angelis subversionem Sodomæ didicit, ab urbe egredi morabatur, cum generis suis verba faciens, ut eos ab imminente periculo salvos eriperet, eumque e civitate exire coegerunt angeli, ne ipse cum aliis Sodomitis periret: *Cumque esset mane cogebant eum angeli dicentes, surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes, ne et tu pariter per eas in scelere civitatis* (Gen. 19, 15). In hoc negotio officia charitatis exercebat Lot, et tamen periclitabatur, quia tam periculose quis agit inter iniquos, ut etiam qui inter eos charitatis munera exercent, si nimis fidenter cum iis immorentur, in peccandi et salutis periculo versentur. Igitur si Deum in celo gloria infinita radiantem videre cupiatis, si ad celestia regna pervenire optetis, non solum in hujus mundi bonis felicitas vestra non est collocanda, non solum pro eterna beatitudine assequenda fortiter laborandum, sed et pravorum consortia sunt fugienda. Non ergo in hac herymarum valle terrenis bonis adhaeratis; mente ascendite in montem, ascendite in colum, ubi vera sunt bona. Non etiam in hoc mundo turpi vacetis otio; per multos labores ascendite in montem excelsum, ascendite ad caelos, qui excelsi sunt, et ad quos non sine multo labore migrare possumus. Non tandem impiorum consortio vos immisceatis; manete seorsum; salutis declinate pericula, et eternam salutem consequimini. Amen.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

DE CONFESIONE SACRAMENTALI.

Erat Jesus ejiciens demonium et illud erat mutum.
(Luc. 11, 14).

Dæmonum, de quibus sacrum loquitur Evangelium, alii nimium, alii minimum loquebantur. Nimis haud dubie loquebantur hi, quibus Christus, ne loquerentur prohibuit: *et increpans, non sinebat ea loqui* (Luc. 4, 41). Minime loquebatur illi, de quo in hodierno Evangelio legitur, quod esset mutus; *erat Jesus ejiciens demonium, et illud erat mutum.* Duo hæc spirituum malorum genera indicant, demonem homines ad mala provocare nunc eos excitando ad plurima et indebita verba proferenda, nunc eos adducendo ad exitiosum silentium pertinaciter servandum. Vides hominem, qui linguam suam ad blasphemias, imprecationes, detractiones, perjuria, aliaque impia verba solvit, hic a dæmone loquace et ad nimiam loquacitatem impellente possidetur. Vides alium, qui crimina sua in confessione non declarat, aut debite non confitetur, hic mutum habet demonium, quod ejus os obstruit, illumque mutum efficit, timens, ne per veram peccatorum suorum confessionem ab iis solvatur, et ad Deum convertatur. Non jam mese mentis est de his disserere, quos dæmon nimia et indebita loquacitate ad peccandum trahit; de his solummodo disseras, quos in sacro penitentiae tribunali mutos efficit. Ave.

Christiani, qui ad status sui perfectionem anhelant, sua sæpe, integre et perfecte confiteri solent peccata. Sæpe quidem, ut Dei gratiam assequantur, utque conscientiam suam ab omni inquinamento peccati mundam et liberam semper servant: *integre*, ut sacrilegii noxam devitent, utque novo peccato animas

mons Domini, et sicut ad illum laboribus multis ascendit Christus, ita et laboribus multis ad illum ascendere debemus. Ecce quid doceat nos Christus, cum in die transfigurationis discipulos duxit in montem excelsum: perpendite quod duxit etiam illos seorsum: *Duxit illos in montem excelsum seorsum.*

3. Passus est Christus in Jerusalem coram innumeris hominibus, cum autem transfigurari et celesti claritate fulgere voluit, abiit in montem excelsum seorsum, seu valde separatum, et valde distantem ab hominum consortio, ut doceret nos, quod impiorum consortia fugere debeat qui eternam beatitudinem obtinere cupit. Qui enim sanctus fieri vult, cum personis piis et sanctis conversari debet; non enim sanctificantur qui impiorum, sed qui piorum consortia amant et querunt: *Cam sancto sanctus eris, et cum perverso perversus* (Ps. 17). Quod exemplo Lot probari potest: qui postquam ab angelis subversionem Sodomæ didicit, ab urbe egredi morabatur, cum generis suis verba faciens, ut eos ab imminente periculo salvos eriperet, eumque e civitate exire coegerunt angeli, ne ipse cum aliis Sodomitis periret: *Cumque esset mane cogebant eum angeli dicentes, surge, tolle uxorem tuam, et duas filias quas habes, ne et tu pariter per eas in scelere civitatis* (Gen. 19, 15). In hoc negotio officia charitatis exercebat Lot, et tamen periclitabatur, quia tam periculose quis agit inter iniquos, ut etiam qui inter eos charitatis munera exercent, si nimis fidenter cum iis immorentur, in peccandi et salutis periculo versentur. Igitur si Deum in celo gloria infinita radiantem videre cupiatis, si ad celestia regna pervenire optetis, non solum in hujus mundi bonis felicitas vestra non est collocanda, non solum pro æterna beatitudine assequenda fortiter laborandum, sed et pravorum consortia sunt fugienda. Non ergo in hac herymarum valle terrenis bonis adhaeratis; mente ascendite in montem, ascendite in cœlum, ubi vera sunt bona. Non etiam in hoc mundo turpi vacetis otio; per multos labores ascendite in montem excelsum, ascendite ad cœlos, qui excelsi sunt, et ad quos non sine multo labore migrare possumus. Non tandem impiorum consortio vos immisceatis; manete seorsum; salutis declinate pericula, et eternam salutem consequemini. Amen.

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

DE CONFESIONE SACRAMENTALI.

Erat Jesus ejiciens demonium et illud erat mutuum.
(Luc. 11, 14).

Dæmonum, de quibus sacrum loquitur Evangelium, alii nimium, alii minimum loquebantur. Nimis haud dubie loquebantur hi, quibus Christus, ne loquerentur prohibuit: *et increpans, non sinebat ea loqui* (Luc. 4, 41). Minime loquebatur illi, de quo in hodierno Evangelio legitur, quod esset mutus; *erat Jesus ejiciens demonium, et illud erat mutuum.* Duo hæc spirituum malorum genera indicant, demonem homines ad mala provocare nunc eos excitando ad plurima et indebita verba proferenda, nunc eos adducendo ad exitiosum silentium pertinaciter servandum. Vides hominem, qui linguam suam ad blasphemias, imprecationes, detractiones, perjuria, aliaque impia verba solvit, hic a dæmone loquace et ad nimiam loquacitatem impellente possidetur. Vides alium, qui crimina sua in confessione non declarat, aut debite non confitetur, hic mutum habet demonium, quod ejus os obstruit, illumque mutum efficit, timens, ne per veram peccatorum suorum confessionem ab iis solvatur, et ad Deum convertatur. Non jam mese mentis est de his disserere, quos dæmon nimia et indebita loquacitate ad peccandum trahit; de his solummodo disseras, quos in sacro penitentia tribunal mutos efficit. Ave.

Christiani, qui ad status sui perfectionem anhelant, sua sæpe, integre et perfecte confiteri solent peccata. Sæpe quidem, ut Dei gratiam assequantur, utque conscientiam suam ab omni inquinamento peccati mundam et liberam semper servant: *integre*, ut sacrilegii noxam devitent, utque novo peccato animas

suas non inquinant; *perfecte*, ut Deo gratiores fiant, utque majorem gratiarum abundantiam percipere mereantur. O quam sapientes et felices sunt, quorum confessio frequens, integra, et perfecta! E converso, quam infelices, qui a statu suo declinantes, non saepe, sed raro, non integre, sed partim, non debite et perfecte, sed indebite et imperfecte peccata sua confitentur! Praefati omnes muti sane dici possunt, et revera muti sunt quoad confessionem. Muti sunt, qui non saepe; muti qui non integre; muti, qui non debite sua confitentur crimina. Ut hos omnes mutos ad loquendum pertraham, dico: 1. quod confitendum est saepe; 2. quod confitendum est integre; 3. quod confitendum est debite. Vel, quod idem est, dico, quod confessio debeat esse frequens, integra, et debito modo fieri.

I PARS.

Confitendum saepe.

Si quae ex frequenti confessione prodeunt emolumenta, recensere vellem, dicerem, quod qui frequenter confitentur, suas ab omni inquinamento peccati animas totaliter abluant, pravos quoque radicem habitus quibus ligati detinentur, peccandi occasiones sedulo devitent, in pristina raro relabuntur peccata, omnis affectum peccati e corde suo tollant, Deo pro poena peccatis debita penitus satisfaciunt, gratiarum abundantiam a Deo impetrent, in omni virtutum genere proficiant, certamque et securam sibi ad coelum viam praeparant. Praetermissis vero omnibus his emolumentis, quae ex frequenti confessione oriri solent, et quorum quodlibet est nova et urgentissima ratio qua quisque ad frequentem confessionem excitari debet, dicam solummodo saepe confitenda peccata, quia qui raro confitentur 1. multorum peccatorum sordibus inquinantur; 2. a perpetratis raro emendantur; 3. ad graviora saepe ruunt.

1. Ubi frequenter domus verritur, ibi munditia; ubi vero

raro, ibi plurimae sordes esse solent. In palatiis et conclave principum sordes non inveniuntur, quia quotidie purgantur et mundantur; e contra vero in tabernis publicis, et in rusticorum tuguriolis omnia sordida, quia raro mundantur. Par ratio de confessione debite facta: si enim frequens sit, per eam anima ab omni etiam minima labe peccati purgatur; si raro fiat, anima multis inquinatur sordibus, ac semper magis, magisque sordescit. Sicut Naaman, qui leprosus erat, septies in Jordane lotus, tenellam acquisivit carnem velut pueri parvuli, ac totaliter a lepra mundatus est: *restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, et mundatus est* (4 Reg. 5); similiter qui crebro confitentur, nitidam, puram, infantilem, et ab omni peccati macula immunem conscientiam acquirunt; qui autem raro confitentur, sordibus multis suas inquinant animas. Confessio enim debita facta virtutem habet contractas abstergendi peccatorum sordes, et a futuris praeservandi. Unde quo frequentius confiteberis, eo magis animam tuam a peccati sordibus lavabis, eoque magis ne imposterum sordescat, praecavebis; e contra, quo rarius confiteberis, eo pluribus peccatis inquinaberis. Hoc ipsa docet ratio, quia quo quis sua frequentius peccata confititur, eo plures actus doloris de perpetratis peccatis elicit; eo magis jam commissa detestatur peccata, eo pluries firmiter proponit, se non amplius in peccata casurum, eo plura monita et consilia a confessariis audit, eo abundantiores a Deo gratias ad non reincidendum recipit: ac proinde, quo frequentius confititur, eo longius ab anima sua omnes peccati sordes expellit. E converso, quo quis rarius pro confessario peccata sua declarat, nonne etiam rarius ea detestatur? rarius firmum non amplius peccandi propositum elicit, rarius a confessario monetur et eruditur, pauciora gratiarum auxilia per poenitentiae Sacramentum a Deo impetrat? Inde consequens est, quod absque frequenti confessione plures peccati sordes contrahit. Quod et ipsa docet experientia, qui enim saepissime confitentur, ita ab omnibus peccatis etiam levisimis immunes fieri solent, ut saepe absolutionis materia careant; qui vero raro confitentur, turpes peccatorum thesauros congregant, et va-

riorum criminum sordibus ita inquinantur, ut horrorem confessoris incutiant. Saepe ergo vestra confitemini peccata, quia qui raro confitentur, multorum peccatorum sordibus inquinantur, ac etiam raro emendantur.

2. Confessionem sacramentalem instituit Christus, non solum ut per eam praeſerita deleantur peccata, etiam ut quisque per eam emendetur, et a peccatis committendis abſtineat. Unde D. Bernardus, verum poenitentem non esse dicit eum, qui solummodo de praeſeritis abluendis, minime vero de mutatione morum, nec de futuris criminibus praeſcavendis sollicitus est: *Irrisor est, et non vere poenitens, qui adhuc agit quod poenitet; poenitentia enim est, sic plangere commissa, ut non committantur plangenda*. Eodem sensu dicit divus Augustinus, inanam esse poenitentiam, si, qui eam agit, de emendatione non curet, et in peccata reincidat: *Inanis est poenitentia, quam sequens inquinat culpa; et nihil prosunt lamenta, si iterentur peccata* (in Decr. d. 3. de poen.). Qui autem sua frequenter confitentur peccata, se emendare, vitamque suam in melius mutare solent, tum quia eos pudet eadem peccata saepe confiteri: tum quia gratiam in Sacramento recipiunt, qua ad morum emendationem adjuvantur; tum quia a confessoris acriter corripentur, si emendationi suae non studeant. Qui autem raro confitentur, vitam suam in melius non mutant, in eadem peccata relabuntur, nullaque in iis morum emendatio apparet. Videmus enim, quod qui semel, aut bis dumtaxat in anno confitentur, iisdem semper assueti sint peccatis; si in proxime praeſerita confessione blasphemii, detractores, et ebrios erant; in proxime futura blasphemii, detractores, et ebrios inveniantur: si in una confessione accusent semetipsos, quod in perjuria, in fornicationes et in adulteria incidissent; in aliis confessionibus eorundem se criminum accusabant: siquidem in his qui raro confitentur, rarissima et nulla apparet emendatio. Imo non solum non emendantur, verum et in graviora crimina saepe ruunt.

3. Sicut ad meliora et ad perfectiora Deus homines trahere satagit, ita eos demon ad majora et ad graviora peccata

suggestionibus et machinationibus suis allicere conatur. Qui prudenti confessorio conscientiae suae maculas, variasque daemonis suggestiones saepe aperit, de daemone facile triumphat, nec ad graviora peccata declinat. Sicut rex Syriae nil potuit in regem Israel, quamdiu Eliseus propheta regi Israel omnia ejus consilia detexit, ita demon ad graviora peccata allicere nequit illos, qui per crebram confessionem malignas ejus suggestiones, omniaque ejus machinamenta prudenti et pio confessorio manifestant. At contra, qui raro confitentur, ad plura et ad graviora peccata, tum daemonis suggestionem, tum ipso peccati pondere trahuntur. Ut enim ait S. Gregorius, *peccatum, quod per poenitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit*. Et ipsa constat experientia quod qui raro confitentur, in graviora saepe labuntur. Scimus, Davidem adulterio corpus et animam suam fœdasse; et quia non statim suum confessus est adulterium, dicens: *peccavi Domino*; quia primum illud peccatum non a se prompte per poenitentiam ejecit, ab illo adulterio in alia et graviora peccata incidit; Uriam enim ebriavit, et postea hosti cadendum objecit. Hoc idem accidere solet iis, qui frequenti confessione sua non purgant scelera, et qui post perpetratum grave aliquod peccatum, ad poenitentiae lavacrum tarde et raro accurrunt: hi etenim ab uno in plura, et a minus gravibus ad graviora peccata declinant, ac tandem peccatorum suorum pondere ita aggravantur, ac deprimuntur, ut pene in desperationem agantur: *Peccatum eorum aggravatum est nimis* (Gen. 17). Hinc fit, ut raro bene moriantur qui raro conscientiam suam per confessionem expurgant. Cum enim hi plurimas peccatorum sordes contrahant, nec emendantur et ad graviora semper declinant, instante morte, adeo peccatis suis obruantur et intricantur, ut vix ea tunc in confessione explicare, ac de iis verum doloris actum allicere valeant; proinde misere moriuntur ac ex hoc mundo ad tartara aeternum cruciandi migrant. Ne igitur peccata vestra confiteri differatis: ne dicatis tunc mea confitebor crimina, cum ab hoc et illo negotio emerero; cum Paschali festorum tempus advenerit, vel cum mortis hora appropinquet. Ad sacrae confessionis

tribunal prompte prostrate: per sacramentalem confessionem ab omni inquinamento peccati vestram sepe conscientiam abluite: peccata vestra confitemini frequenter, ac etiam integre.

II PARS.

Confitemur integre.

Non solum multi censendi sunt qui peccata sua aut non confitentur, aut raro confitentur; ii etiam elingues reputandi, qui ea integre non confitentur. Isti quidem loquuntur, ut aliqua peccata confiteantur; ideo vero loquela carent, quod aliqua, etque graviora in confessione taceant. Tres causæ sunt, quæ penitentes sic mutos efficiunt, et ad omnia sua peccata mortalia non confitenda impellunt, hypocrisis scilicet, amor proprius et pudor. Jamvero ab integra peccatorum confessione impediri non debent 1. nec hypocrisis; 2. nec amore proprio; 3. nec pudore.

1. Nonnulli reperuntur penitentes hypocritæ, qui ut a confessoris boni et pii censeantur, de gravibus in quæ inciderunt peccatis non se accusant. Iis quidem levia quædam, in quæ lapsi sunt, peccata libenter declarant, bona etiam opera iis ex animo manifestant; gravia sua reticent crimina, et quo graviora sunt, eo minus illa aperiunt. Se tacuisse dicit propheta, cum clamaret: *Quoniam tacui, inceteraperunt ossa mea, dum clamarem tota die* (Psal. 31, 3). Si tacuit, quomodo clamavit? si clamavit, quomodo tacuit? *Tacuit peccata sua*, inquit D. Augustinus, *clamavit merita sua*. Similem in modum penitentes hypocritæ sua in confessione propalant merita, peccata tegunt: clamant, ut quicquid boni fecerunt, manifestent; tacent, ne gravia sua scelera aperiunt. Hi similes sunt superbo pharisæo, qui jejunia, eleemosynas, aliaque sua bona opera prædicabat; interim sua peccata occultabat. Instar ergo illius Pharisæi, bona sua opera suasque virtutes confessorio enarrant; de gravibus vero, quæ perpetrarunt, peccatis

nil dicunt. O quam maligni illi hypocritæ, qui graviora sua scelera in confessione reticent! Si sapienter, sanctissimo Concilio Tridentino obtemperaret dicenti: *Oportere a penitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint* (Sess. 14, 5). Væ illis hypocritis, qui sua integre non confitentur peccata: *Væ vobis, hypocritæ*. Væ illis, quia confessionibus suis non justificabuntur; væ illis, quia detruncatis suis confessionibus peiores fient; væ illis, quia dum absolutionem a sacerdote percipere credent, a Christo inferni dignos declarabuntur; dumque sacerdos dicet, *ego te absolvo*, dicet Christus: *ego te condemno*. Igitur omnia vestra sincere confessorio declarate peccata, nec ab iis manifestandis vos arceat hypocrisis, nec etiam amor proprius.

2. Amor ille sui hominum oculis velamen quoddam malitiæ superponit, quo fit, ut facile sibi suadeant, maxima queque peccata, quæ patrarunt, non esse peccata, aut levissima dumtaxat esse peccata minime quidem necessario confitenda. Cum quis hoc proprii amoris velamine mentem confubilatam gerit, sibi facile suadet, lucrum usurarium esse legitimum, rem simoniacæ acquisitionem esse mercedem justo titulo comparatam, avaritiam insatiabilem esse prudentiam; bona inique ablata esse ex debito justitiæ data, ac omnia crimina virtutes potius esse, quam crimina, quæ cum aut crimina non esse, aut levissima peccata existunt, ea non confitentur. Mordet interitum conscientia; intus eos lancinat; ac iis exprobrat, quod usuras, simonias, aliaque scelera perpetraverint; verum accurrit semper proprius amor, qui conscientie stimulos sopire conatur, et suadet nulla, aut levissima ibi esse peccata. Unde fit, ut integre non confiteantur et aliqua solummodo, ac minus gravia confessorio peccata aperiunt. De proprio hoc triumphate amore; vestra omnia integre confitemini peccata, alias nulla vobis erit pax in vita, in morte et post mortem. *Non quidem in vita*, quia quantumvis suadeat proprius amor, hæc non esse peccata, semper tamen torquet vos intus conscientia; clamabitque semper, hæc esse peccata gravia per

confessionem et per penitentiam expianda. *Non etiam in morte*; quia tunc auferetur velamen, magisque tunc vos intus stumlabit conscientia accusans vos de omnibus criminibus, quae in confessione celastis. *Nec tandem post mortem*; quia tunc mordebit vos intus vermis conscientiae: tunc menti vestrae objicentur omnia et singula crimina, quae in confessione tacuistis; ac quisque vestrum plorans dicit; o me miserum! o quanta mea miseria! Poteram enim horrenda haec, quae patior, supplicia devitare; eaque revera devitassem, si hoc et illud crimen confessario manifestassem; quia magis amori proprio falsa suadenti, quam propriae conscientiae me ad omnia peccata confitenda stimulanti, credidi, aeternis suppliciis adjudicatus sum. Videte quanti res sit omnia mortalia integre confiteri; quam cavendum ne ab integra eorum confessione vos impediatur proprius amor, *nec etiam pudor*.

3. Maxima daemoneis ad perdendos homines ars et sollicitudo haec est, quod omnem ab eorum cordibus pudorem tollat, ut eos ad peccandum alliciat, et quod eis pudorem et verecundiam ingerat, ut eos a peccatis confitendis avertat, probe sciens, quod si grave aliquid peccatum in confessione ex verecundia reticeant, infallibiliter damnabuntur (1). Unde de sancto Cyrillo Episcopo fertur, quod in hebdomada sancta inter multos penitentes, qui confitendi opportunitatem expectabant, diabolum penitentis habitu indutum ex Dei voluntate agnovit. Cui Sanctus: *quid agis, cruenta bestia, inter penitentes?* Respondit daemone: *reddo quod abstuli; verecundiam enim abstuli et verecundiam malo restituo*. Quasi dicat; feci, ut non erubescerent homines ad peccandum; nunc facio, ut erubescant ad

(1) Si agatur de ultima confessione; secus de aliis, cum quisque sicut de ceteris peccatis, ita et de sacrilegis confessionibus penitere et rite confiteri possit, dum manet in hoc saeculo. Attamen cum quiescunt occupaverit huiusmodi fatalis pudor, ut peccata in confessione reticeat, praesertim si malas confessiones iteraverit, summopere timendum, ne et in extremis sacrilego sacramenta recipiat et damnatur; cuius formidandi discriminis sedulo ac semper monendi sunt fideles.

confitendum. Non dubium, quin hic pudor a daemone sit, qui in corde peccatoris de confessione cogitantis ait: si horrendum hoc peccatum, quod perpetrasti, confessario aperias, te plurimum despiciet, ab illo imposterum ut homo pessimus inspicieris, coram illo ultra apparere non audebis; propterea alia ei peccata manifesta; hoc vero et illud, quae gravia et pudenda sunt, ei occulta. Ecco artem et malitiam daemoneis, de qua quisque triumphare, ac omnia sua peccata quantumvis horrenda confessario declarare debet. Ad hoc movebitur, si consideret, quod si vel unicum mortale ex verecundia reticeat, gratiam sacramenti non recipiet, novo peccato mortali inquinabitur, ac ipsi inferni supplicia imminet. Qui enim in penitentiae tribunali gravia sua occultant peccata, grave perpetrant sacrilegium, cuius nisi penitentiam agant, in tremendo Dei iudicio ad inferna damnabuntur. Unde S. Zeno, Veronensis Antistes, ait, quod in tribunali penitentiae *est novum iudicii genus, in quo si reus crimen excuserit, damnabitur; si fateatur, absolvetur*. Non ergo os tuum obstruat verecundia; non te pudeat omnia tua confiteri peccata; ea omnia integro fateri, ut non in aeternum damneris. Cum impudica puella stupro concepit, ne infamia notetur, uterum stringit et conceptum tegit; jamvero quousque? Usque ad tempus partus; tunc enim verecundia suffunditur et doloribus obruitur. Idem continget peccatori, qui peccatum suum confessario celat; veniet enim tempus, seu dies iudicii, quando peccatum ejus omnibus gentibus manifestabitur. Tunc coram Deo, Angelis et hominibus rubore suffundetur, ac deinde ad inferni supplicia in aeternum condemnabitur; ut enim ait B. Augustinus, qui in hoc mundo non confessus latet, in alio inconfessus damnabitur: *si non confessus lates, inconfessus damnaberis*. O quam melius est, sua omnia peccata in hoc mundo integre confiteri, quam aeternis inferni suppliciis adjudicari! Sit ergo vobis sacrum omnia peccata vestra confiteri atque curare ne ab integra peccatorum confessione vos arcant, nec hypocrisis, nec proprius amor, nec pudor; *tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum* (Osae. 14. 3). Tollite verba, quibus vestra omnia peccata con-

fessario sincero manifestetis et mediante hac integra peccatorum confessione, indulgebis vobis Deus, et formidanda inferni tormenta devitabitis. Non solum autem confitendum integre, *confitendum etiam debite et pie.*

III PARS.

Confitendum debite.

Non sufficit, quod quis sepe et integre sua confiteatur peccata, si modo debite ea non confiteatur: frequens enim et integra peccatorum confessio mala est, si modo debite non fiat. Ut autem debite fiat confessio, fieri debet 1. in spiritu humilitatis; 2. in spiritu doloris; 3. in spiritu obedientia.

1. Primum, quod requiritur, ut debite fiat confessio, est humilitas: *presbytero*, inquit Sapiens, *humilia animam tuam et magnati humilia caput tuum* (Ecell. 4, 7). In quibus verbis duplex indicatur humilitas ad bonam confessionem requisita. Una scilicet in corde, cum dicitur: *humilia animam tuam*; alia in corpore, cum additur: *humilia caput tuum*. Debet enim quisque in confessione humiliare se *in corde*, reputando se reum, peccatorem, miserum, omnique gratia et misericordia indignum; debet etiam quisque se humiliare *in corpore*, vitando gestus omnes elatos et inkompositos, humilitatemque verbis et habitu corporis preferendo. Duplex haec hominis penitentis humilitas Deum placat, Deique gratiam et misericordiam impetrat. Sicut enim Deus misertus et propitius est David, cum ad illum humiliter clamavit, dicens: *Ego sum, qui peccavi, ego inique egi. Vertatur, obsecro, manus tua contra me* (2 Reg. 24), ita etiam propitiabitur cuilibet peccatori, sua humiliter peccata confitenti. Cum filius ille prodigus, qui suam dissipaverat substantiam, ad se reversus, dixit: *Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus* (Luc. 15, 18); humili hac confessione patrum placavit, et ad misericordiam inclinavit.

Sic cum peccatores, qui substantiam suam, seu gratias a Deo acceptas dissipaverunt, ad Deum, Patrem misericordiarum, in confessione veniunt, eum ad misericordiam flectunt, si in spiritu humilitatis accedant. Accedite ergo ad sacrum poenitentiae tribunal in spiritu humilitatis, sacerdotem considerate ut iudicem a Deo constitutum, ejusque vices gerentem, cujus sententia in coelo rata habebitur, coram illo vos, sicut ante Christi pedes, prosternite. Inspicite vos ut reos coram illo iudice; vestra ei peccata humiliter declarete, et humilis haec confessio veniam et misericordiam a Deo vobis impetrabit. Neque solum peccata confitenda in spiritu humilitatis; *etiam in spiritu doloris et amaritudinis oportet illa confiteri.*

2. Loquendum in confessione; at loquendum in dolore et animae amaritudine: *loquar in amaritudine animae meae* (Job. 10, 1). Suum confessus erat peccatum Iudas proditor, dicens: *Peccavi, tradens sanguinem justum* (Matth. 27, 4), non tamen justificatus est, quia in vero dolore et in cordis amaritudine non est locutus; sic tu non justificaberis, si in spiritu doloris non loquaris. Sicut non est credibile, quod homo lese majestatis regiae reus a rege gratiam et misericordiam obtinere possit, si sui peccati se penitere non testetur, et in simile crimen nusquam amplius casurum non polliceatur, ita peccator a Deo veniam non obtinebit, nec justificabitur, si veri doloris actum non eliciat. Et hic dolor, ut ait S. Cyprianus, eo major esse debet, quo graviora sunt crimina, quae quis perpetravit: *Quam magna delinquimus, tam granditer defleamus*. Omnibus notum est, ad veram poenitentiam requiri contritionem, confessionem et satisfactionem; imprimis autem requiritur contritio, seu animi dolor cum vehementi desiderio et firmo non amplius peccandi proposito: ita ut nulla et sacrilega sit confessio, si sine praevio dolore fiat. Itaque cum ad tribunal sacramentale accedere statuisti, facto prius omnium peccatorum tuorum diligenti et accurato examine, ut te ad cordis dolorem excites, intra in solitudinem cordis tui, et cogita, Deum, in quem peccasti, esse summe magnum, summe bonum, summe justum. *Si summe magnus est, dolore debes,*

quod tu pulvis et cinis, vilisque vermiculus, in Deum optimum, maximum, quem adorant Angeli, impudenter insurrexeris. *Si summe bonus est, amare flere debes, quod tu qui ab eo accipisti corpus, animam et innumera bona, iis abusus sis, iisque quasi armis contra ipsum pugnaveris. Si summe justus, dolere debes, quod peccatis tuis justitiam ejus irritaveris, illumque ad te plectendum provocaveris. Cum ergo de peccatis confitendis cogitas, actum doloris elice, cum firmissimo non amplius in Deum peccandi proposito: ad confessarii pedes accede, sicut Magdalena ad pedes Domini Jesu accessit: ibi culpas tuas define: ibi loquere in amaritudine animæ tuæ et in spiritu doloris. Ac ulterius peccata confiteri satage in spiritu obedientiar.*

3. Filius prodigus, ad se reversus, non solum dixit: *Ibo ad patrem meum et dicam ei: Pater, peccavi in caelum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus; in quibus verbis erat humilis confessio; subdit adhuc: fac me sicut unum de mercenariis tuis*, ut indicaret, se esse paratum ab obediendum patri in omnibus. Peccator autem, voluit alter filius prodigus, ad confessarium, tanquam ad patrem spiritualem ire debet, et ut ait sanctus Augustinus, omnia ei peccata confiteri, injunctam ab eo penitentiam adimplere, salutaribus ejus monitis obtemperare et humiliter in omnibus ad salutem spectantibus ei obedire tenetur: *Ponat se penitens in judicio sacerdotis, nihil sibi reservans sui, ut omnia eo jubente paratus sit facere pro recuperanda animæ vita.* In Actibus Apostolorum, postquam facta est mentio de Pauli iniquitate, immensa Dei in eum panditur misericordia, quæ tanta extitit, ut peccatorem hunc casum et obduratum illuminare voluerit: *Circumfulsit eum lux de caelo; consequenter ibi enarratur prompta et magna Pauli obedientia, quæ tanta fuit, ut mox dixerit: Domine, quid me vis facere? O peccator, multa et magna sunt crimina, quæ in Deum tuum perpetrasti, Deus tamen te illuminat, luxque gratiæ ejus te circumfulget, ut tibi fœditatem animæ tuæ manifestet, utque te ad confitenda peccata alliciat. Quid autem faciendum superest? Hoc solum-*

modo, quod confessario dicas: *Domine, quid me vis facere?* Id tantum sufficit, quod ei dicas: Domine et Pater mi, jube quod vis, impone mihi penitentiam quam volueris: sive jejunia, sive elemosynas, sive orationes, sive peregrinationes, et libenter obediam. Heu! quid sunt pœnæ a confessariis impositæ, quantumvis graves in se illæ videantur, respectu peccatorum, etiam venialium, quæ perpetravimus? Heu! qui peccatis suis factus erat reus inferni, vel purgatorii, poteritne penitentiam sibi a confessario impositam, gravem et duram censere? Poteritne, qui mille nummorum erat debitor, dicere, nimis ab ipso exigi, cum pro mille nummorum solutione unicus ab illo assis petitur? Certe quasi nihilum sunt omnes penitentiarum penitentibus a confessariis impositæ, respectu eorum, quorum erant debitores. Ideo, o fratres, ad sacrum penitentiarum tribunal in spiritu obedientiar accedite; et confessariis momentibus, penitentiarumque salutare et discretas imponentibus ex animo obedite. Confitemini tandem sæpe, prompte et debite, regnaque celestia vobis confessio aperiet. Amen.

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

DE DIVITUM OBLIGATIONIBUS.

Accipit Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus (Joan. 6, 11).

Quamvis divitiæ nil in se mali habeant, easque in presenti rerum ordine possidere nec bonum nec malum sit, tanta tamen earum sunt lenocinia, tante illecebre, et iis ad peccandum homines quam facillime alliciantur. Et ideo videtur, aliquem non posse simul divitem esse et innocentem; nec am-

plis posse divitiis affluere, quin in peccata incidat: *Si dives fueris, non eris immunis a delicto* (Eccli. 11, 10). Probe novi, Davidem, Jobum, sanctum Ludovicum Galliae regem et alios nonnullos feliciter in semetipsis divitias et innocentiam conjunxisse, eosque simul divites et sanctos exitisse; verum hæc sunt prodigia, quæ in orbe raro videntur. Divites enim spiritualibus divinæ gratiæ bonis comparandis parum ac oscitanter invigilant: plerumque temporalibus acquirendis ita se totos dedunt, ut prava hæc concupiscentia illecti ad peccata facillime declinent. O divites, divitiæ si affluant, nolite cor apponere; ne nimis confidatis in divitiis vestris, quas an dñi sitis possessuri incertum est. Audite Spiritum Sanctum cuilibet diviti dicentem: *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum et ad dandum collecta* (Eccli. 4). Christum imitamini, qui bona quas in manibus habebat, libenter *distribuit discumbentibus*: bona similiter quæ in manibus et in potestate vestra habetis, aliis distribuite, quando lex, charitas et ratio hoc a vobis exigunt. Quæ sint divitum obligationes ad distribuenda bona quæ possident, ista explicabit concio. *Avē.*

Tanta divitum multorum et magnatum est cæcitas, ut se ab omni lege liberos æstimant, aut saltem ita vivant ac si nulla lege ligarentur, omniæque iis essent licita. Certam tamen, quod præter obligationes omnibus Christianis communes, aliquæ sint divitiis particulares, aut saltem quæ iis frequentius quam aliis conveniunt. Taceo quæ Deo et Ecclesie, parentibus et amicis debent divites; eorum obligationes inspicio solummodo respectu creditorum, mercenariorum et pauperum: *respectu creditorum* et aliorum, quorum bona detinent: *respectu mercenariorum* et operariorum, qui pro ipsis laboraverunt: *respectu pauperum* et aliorum, quorum necessitates norunt. Divites autem debent restituere, mercedem tribuere et elemosynam dare. Debent

1. *restituere* creditoribus et aliis, quorum bona retinent;
2. *mercedem tribuere* domesticis et aliis qui pro ipsis laboraverunt;
3. *elemosynam dare pauperibus* et aliis, quorum necessitates norunt. O divites! aliena restituite, operariis mercedem tribuite et pauperibus elemosynam date. En tria, ad

quæ executioni mandanda tenemini, ut tribus hujus concionis partibus constabit.

I PARS.

Divites debent restituere creditoribus, et aliis quorum bona retinent.

Creditoribus aliisque quibus damnum intulerunt, vel quorum bona retinent, restituere quidem tenentur omnes homines; ad hoc vero frequentius adstringuntur divites, qui aliena rapere et retinere solent, nec de eorum restitutione quomodocumque curant. Hi sæpe ludis, comessionibus, vanitatibus, et illicitis voluptatibus facultates suas inique expendunt, dum gemunt auctores, laniones, propolæ, mercatores et creditores, quorum bona injuste detinent. Hi sæpe inutilium domesticorum caterva, canum venaticorum turba, gulonum et nebularum cohorti, imo et nonnunquam scortis suæ bona voranda exponunt, dum viduas et orphanos, pauperes et inopes, quæ sibi debita sunt petentes, tanquam importunos eiciunt et foras mittunt. Norunt haud dubie divites, se omnibus, quorum bona retinent, ad restituendum teneri; verum ut suam hanc obligationem altius mentibus suis infligant, velim, sciant quod omni legum genere, omni que jure ad hoc teneantur. Ipsa lex naturalis, seu recta ratio dicat, quod jus suum cuique tribuendum, quodque sua cuique restituenda: nec est aliquis homo, si fatuus non sit et omnis expars rationis, qui de hoc dubitet. Jure gentium homines ad aliena restituenda teneri docet gentilis philosophus, dicens: *agquissima vox est et jus gentium præseferens; redde quod debes* (Senec. de benef. 1). Hoc idem lege divina sancitum est, quæ crebro sua cuique reddere præcipit: et in veteri Testamento jusserrat Deus, non solum ut res ablato restituerentur, verum et ut damnum illatum resarciretur; ac insuper quinta damni pars daretur: *ipsam quod intulit damni restituet et quintam partem ponet supra* (Levit. 5, 16). Lex ecclesia-

stica, quæ nunquam a divina aberrat, crebro declarat in sacro Canone, quemque ad aliena restituenda teneri, nec remitti posse peccatum, quin restitutum ablatum. Lex tandem civilis usurarios, omnesque iniquos alienorum defensores, ad sua cuique reddenda cogit: totumque jus civile ad hoc solum institutum videtur, ut agnoscat quid cuique competat, et ut suam cuique reddatur. Avari divites lumen rationis, restitutionem suadens in semetipsis extinguunt, gentium jura contemnant, Dei et utriusque juris leges impudenter infringunt, ac quasi nulla lege ligarentur, aliena nequaquam restitunt, in que graviter et periculose peccant. Ut enim ait Doctor Angelicus, *non est peccatum ita periculosum, ut non restitutio male ablata*. Peccatum quidem illud periculosum, quod habet rationem malignæ radicis, e qua omnia fere oriuntur peccata; *radix omnium malorum est cupiditas* (1 Tim. 5): est etiam periculosum, quia quamdiu quis aliena inique detinet, impossibile est, ut vere penitentiam agat: *qui bona alterius injuste detinet, sciat se veram penitentiam non posse agere* (de pen. d. 5). Usurarios multos reperire est, qui cum intra breve tempus dissimili facti sint, sibi metipsis suadere conantur, se tuto conscientia inique ablata posse possidere; hi doctos adire nolunt confessarios, ut ab iis veritatem audiant; nolunt in eorum suarum obligationum notitiam venire. Timent, ne iis dicatur, quod ad restitutionem teneantur; et tamen hi tempore Paschatis et aliis temporibus ad sacrum penitentiae tribunal accedunt; sciant autem penitentiam eorum esse falsam, nullam et sacrilegam: *sciat se veram penitentiam non posse agere*. Multi sunt hæredes, qui cum ex ordinatione parentum ad aliqua in pios usus expendenda vel restituenda teneantur, ea restituere negligunt et recusant: et quasi in hoc nec leviter peccarent, confitentur sicut alii, sacra communione reficiuntur sicut alii; ipsorum vero penitentiam nullam fore certo noverint; *sciat se veram penitentiam non posse agere*. Plurimi grave proximo damnum intulerunt tum per se, tum per alios, tum pravis consiliis, tum consensu, vel jussione; et quia durum ipsis videtur illata damna reparare, et iis qui illa passi sunt satisfacere,

mordentem sopire conantur conscientiam, ac sibi suadere quod nec ad damna resarcienda, nec ad quidquam damnificatis restituendum teneantur; cumque ad sua peccata confitenda confessarium conveniunt, nil hac de re ei dicunt; numquid tamen ignorare possunt confessionem et penitentiam hujusmodi esse nullam? Horum tandem omnium falsa et nulla est penitentia, qui cum restituere possint, aliena non restitunt: *Sciat se veram penitentiam non posse agere*. Cuique jam manifestum esse incipit, divites et omnes qui aliena detinent, ad ea restituenda teneri, cum ad hoc omnes leges, omniaque jura eos adstringant, cumque graviter peccent et nulla sit eorum penitentia, si non restituant. Quo autem magis pateat, eos strictissime teneri ad restituendum, dico, quod ad hoc ita teneantur, ut nisi restituant, nunquam salvandi nec æterna beatitudine donandi sint.

Arcta esse viam, qua itur ad cælum, asserit Christus: *Arcta via est quæ ducit ad vitam* (Matth. 7, 14). Arcta hæc via, qua transire debent omnes peccatores, ut ad paradysum pergant, est via penitentiae, in qua unum aliquid invenitur foramen, inquit S. Vincentius Ferrerius, quo transire debent quicumque aliena detinent, ut salvari possint: *Si vis salvari, ait, fac ut serpens; oportet transire per arctum foramen; vade per arctum foramen restitutionis usque ad ultimum obolum* (Dom. 7 p. Trinit. conc. 5). Non ait, hoc vel illud solummodo restituendum, ut vitam æternam habeas; omnia penitus restituenda, usque ad ultimum obolum; hoc est foramen, hæc via, qua transeundum, ut vitam æternam habeas. Maledictus Christus divitibus illis avaris, qui aliena auferunt et retinent: *Væ vobis divitibus* (Luc. 6, 24). Æterna eos maledictione ferit; quia si aliena non restituant, æternam beatitudinem nunquam obtinebunt: *Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (1. Cor. 6, 10). O avari divites, qui aliena restituere renitis, certi estote, quod si non restitueris cuique quod suum est, æternam nunquam beatitudinem possidebitis, et ad æterna inferni supplicia damnabimini. Væ vobis divitibus, qui congregatis quæ vestra non sunt.

Vae vobis, quia ni ablata reddatis, dum ridebit uxor vidua, vos in inferno plorabitis, et dum gaudebunt haeredes vestri, aeterna et horrenda inferni supplicia perferetis. Ita stulti sunt qui aliena retinent, ut suas animae obliiti, de filiis et uxore solliciti sint, nec cogitantes quid de ipsis fiet post mortem pro uxore, filiis et haeredibus omnem curam impendunt. O stulti, et tardi corde miseremini animae vestrae: *Miserere animae tuae, placens Deo* (Eccli. 30). Nolite tam anxii de divitiis haeredibus vestris testamento relinquendis, quam de salvanda anima: quid enim vobis proderit, si universum mundum lucriniis, et filiis vestris possidendum relinquantis, animae vero vestrae detrimentum patiamini? O quam durum vobis erit, aeterna pati supplicia propter ingratos filios, qui pro vobis nec minimum quid pati vellent! Hoc mente serio revolcite, et ad saniora consilia revertentes, aliena restituite. Narrat *Petrus de Palude*, quod cum avarus quidam, qui aliena multa iniqua usurpaverat, extremo morbo cum morte colloctaret, confessorium ad aliena restituenda hortantem audire, ejusque consiliis obtemperare renueret, prudens confessorius, ut ad intentum finem perveniret, medicum recte instituit, qui a confessorio edoctus, aegrotum adit, de illo conclamatum esse annuntiat, nec quocumque modo vitam ejus prorogari posse declarat, nisi ex ejusdani filiorum adipe inungeretur. Quo audito, infirmus, qui ad longiorem vitam ardentissime anhelabat, respirare cepit; et coacta omni familia beneficia iis praestita, ac ingentes thesauros, quos illis tanto labore comparaverat, exaggeravit; ac proinde horum intuitu, hoc postremum se ab iis efflagitare dixit; quod scilicet unam aut alteram adipis guttam non denegarent, ut parentem a mortis faucibus eriperent, et longiore vita donarent. Cui annuentes filii, accersito cereo accenso, nunc unus, nunc ex eis alius propriam carnem urendam admovit; at eorum nullus tanto tempore eam supra ignem detinere valuit, donec vel unica adipis diffuisset guttula, qua sanaretur aeger. Ex quo occasionem sumens confessorius affandi infirmum, dixit ei: fieri potest, ut tu tuis tantam transcribas hereditatem filiis, et teipsum

aeternis incendiis tradas? Fieri potest, ut cum illi nec paucillum temporis pro tui amore accense candelae ardorem sustinere potuerint, tu pro illis horrendarum inferni flammarum vim in aeternum perferre velis? Qua salubri exhortatione in se reversus infirmus, sua cuique restituit, ut salutem aeternam consequeretur. O vos omnes, qui aere alieno obstricti estis; vos qui aliena inique detinetis, terribili hoc exemplo edocti, sua cuique reddite. Ne respiciatis ad filios, uxores et haeredes vestros; vosmetipsos et salutem vestram inspicite, ac intus dicit: ita ad aliena restituenda teneor, ut nisi restituam, nulla mea sit penitentia, nullaque salus: quare restituere volo, et omnia non mea usque ad ultimum obolum mihi restituiam. Ecce primam divitum obligationem: at non solum aliena restituere; *verum et mercenarii mercedem tribuere debent.*

II PARS.

Divites mercedem tribuere debent mercenariis.

Mercenariorum triplex est genus; eorum alii dicuntur artifices, qui scilicet in conficiendis vestimentis, caleamentis et aliis similibus manus et artis operibus ex conventionem laborant. Alii vocantur operarii, qui in dies conducuntur, ut excolant hortos, vineas, agros. Alii sunt famuli, ancillae, domestici, qui ad sex menses, ad unum vel ad plures annos conducuntur, ut familiae operibus vacent. Cujusvis autem generis sint mercenarii promissam eis mercedem solvere tenentur divites: praecipit enim Deus, ut ei mercedem tribuant, et cito tribuant, dicens: *non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane* (Lev. 19, 13). Non ait Deus, solvendo nunquam mercenarios, ut faciunt plurimi: non ait, solvendo solummodo post tres, sex, aut etiam decem annos, ut facere solent alii; neque tunc solum solvendo, cum obtenta condemnatione ad hoc compelluntur, ut faciunt aliqui: verum pre-

capit Deus, ut solvantur mercenarii mox ut opus perfecerint vel tempus solutionis ex conventionem indictum advenerit. Non ultra procrastinanda est mercenariorum solutio, nec etiam usque ad mane: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.*

Tobias, vir ille sanctissimus, mercenariorum mercedem non fraudabat: eodem die, quo opus perfecerant, eos juste remunerabat, filiumque suum ad idem iustitiæ debitum erudiebat, dicens: *Quicumque tibi aliqui operatus fuerit, statim ei mercedem restitue: et merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat* (Tob. 4, 15). Quod Tobias filium docet, hoc idem et Deus omnibus dicitur, ac omnibus heris præcipit; jubet enim, ut statim et sine ulla mora mercenariis mercedem persolvant: *Non negabis*, inquit, *mercedem indigentis; sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum* (Deu. 24, 4). Mercenariis statim persolvenda quidem merces, quia mercenarii communiter pauperes sunt, qui singulis diebus egent mercede sua, ut sibi et familie consulant: et ideo ait Deus, quod eadem die et ante solis occasum cuilibet mercenario solvenda merces, *quia pauper est*: solvite ergo, et solvite prompte quod mercenariis debitis, quia pauperes sunt. Aliam adhuc subdit Deus rationem, cur prompte merces sit mercenariis tribuenda; ne scilicet mercenarii, quorum merces detinetur, adversus illos, qui eos fraudant, clament ad Dominum: eodem die, inquit Deus, et ante solis occasum cuilibet mercenario mercedem suam reddes, *ne clamet contra te ad Dominum*. Plurimi sunt heri, qui cum trium, quatuor, et plurium annorum spatio famulos et ancillas obsequio suo mancipatos habuerint, de mercede iis tribuenda non cogitant. Non audent famuli laborum suorum mercedem petere, timentes, ne adversus eos dominus et domina irascantur: non audent etiam e domo illorum discedere, timentes, ne iis displiceant, et ne unquam præteritorum laborum mercedem accipiant: atque ita semper iisdem dominis serviunt, nec ab iis unquam remune-

rantur. En quod vindictam clamat ad Dominum; *Merces operariorum, quæ fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabbatho introiit* (Jac. 5). Qui confessionibus audiendis vacare solent, persæpe inveniunt miseros qui adversus divites murmurasse, iisque maledixisse, ac plurima peroptasse mala confitentur. Cumque ab iis petitur, cur hæc murmura? cur hæc maledictiones et imprecationes? Respondent, o pater, miseris opprimor, ad extremam redactus sum egestatem, et tamen dominus et domina, quibus diuturno tempore fideliter servivi, nullam unquam mihi mercedem dederunt, et aliquid dicam, eos ad paupertatem meam sublevandam movere nequeo; en cur tandem in illos linguam solvo, ac in maledictiones et imprecationes nonnunquam prorumpo. Ecce quod quotidie contingere solet, et tamen hi heri famulorum mercedem fraudantes se nullius sceleris reos arbitrantur: atquam quid certius eos graviter peccare, eorumque peccatum ad Deum clamare? *Clamor eorum in aures Dei introiit*. Quot sunt artifices, quot operarii, qui post multos exantlatos labores, nec os aperire audent, ut retributionem postulent? Quot sunt miseri, qui fame pereunt, et qui ad panem mendicandum adiunguntur, quia hic et ille dominus, hæc et illa domina mercedem justo debitam defraudant? Ille dives, inquit, hoc et illud mihi debet, nec petere audeo? illa domina a pluribus annis hoc et illud mihi debet, nec quomodocumque eam ad mihi satisfaciendum allicere possum. O quam iniqui sunt huiusmodi, qui mercenariorum mercedem iniuste detinent! Hi sane in continuo mortalis peccati statu vivunt; ac gemitus et clamores eorum, quos defraudant, ad cælum ascendunt, ut a Deo vindictam postulent; *Clamor eorum in aures Dei introiit*. Ad Deum ascendunt clamores eorum, quorum merces defraudatur, ad Deum ascendunt et sæpe eum ad vindictam movent; Deus enim sæpe etiam in hoc mundo dire plectit iniquos illos heros, qui mercenariorum mercedem defraudant; Deus sæpe de his vindictam sumit; *Cognovi, quia faciet Dominus iudicium inopis, et vindictam pauperum* (Ps. 139). Moritur tibi puer, quem tanto affectu diligebas; ecce Dei manum,

a qua plecteris, quia famulum hunc non solvisti. Cum minus cogitas, repentina mors maritum tibi, tæque familie maxime necessarium e viris eripit; ecce flagellum, quo te Deus ferit, quia huic ancillæ, vel huic opifici debitam mercedem non tribuisti. Suboritur tibi grave negotium; morbi in familia tua ingravescent; in magnam facultatem jacturam incurris; ecce vindictam, quam de te sumit Deus, eo quod mercenarios inique defraudasti.

Quid autem hæc respectu vindictæ, quam in inferno sumet Deus de iis, qui mercenarium mercedem fraudaverunt? Gravia in hoc mundo sunt illorum crimina, et gravia in inferno erunt eorum supplicia. Ne arbitremini leviter peccare eum, qui mercenarius debitam mercedem non tribuit; ne credatis, hoc peccatum inter levissima recensendum; gravissimum enim est, ac sæpe multorum causa peccatorum. Cum hunc famulum, hanc ancillam, hunc artificem conductis, polliceris eis, te hanc et illam eis mercedem daturum. Fide a te accepta, tuo se obsequio mancipant, libertate sua se privant, in sudore vultus sui pro te laborant, pondus diæ et æstus ferunt, noctes sæpe insomnes ducunt: ideo si cum tempus mercedis dandæ advenit, mercedem eis denegas, vel minus, graviter peccas contra fidem, quam iis dedisti, et contra justitiam, qua teneris ad solvendam iis mercedem ratione conventionis iniitæ, et pollicitationis iis factæ; graviter peccas, multorumque es causa peccatorum, quia hi, quorum mercedem fraudas, adversus te multa maledicta profærent. Cum ergo gravia sint peccata eorum, qui operariorum mercedem fraudant, gravia etiam in inferno erunt eorum supplicia. O fratres, nonne melius est huic famulo, huic ancillæ et huic artifice, viginti, centum, et plures dare nummos, quam dira inferni tormenta pati? Nonne satius est, mercedem iis promissam totaliter et prompto tribuere, quam præcrastinare, cum iis altercari, ad iracundiam illos provocare, et tandem ad æterna supplicia condemnari? Hoc certe satius et melius: quare mox ut operarii vestri constitutum tempus et opus compleverint, vocate illos, et cuique mercedem suam tribuite. Ne expectetis, ut veniant ad vos, ut fuis lacrymis rogent vos,

ut intentata lite cogant vos ad illos solvendos; statim cum tempus solutionis advenerit, voluntarie vocate illos, et omnia eis debita prompte solvite: *Voca operarios, et redde illis mercedem.* Ecce ad quid teneantur divites erga mercenarios; ad hæc alia adhuc obligatio ipsis incumbit; nempe *pauperibus eleemosynam dare debent.*

III PARS.

Divites eleemosynam pauperibus dare debent.

Nil durius antiquis quibusdam philosophis visum est, quam inæqualitas bonorum temporalium: vix enim concipere poterant, cur hominum, qui ejusdem erant nature et quibus nati-vitas idem jus ad omnia mundi bona dare videbatur, sors ita maneret diversa, ut ex iis alii divites, et alii pauperes essent. Jamvero hi hanc inæqualitatem justam et bonam esse censuis-sent, si nosset hoc ita ordinatum a Dei providentia, quæ ex hominibus aliquos divites esse voluit, non ut thesauros multos congregarent; non ut superflua in usus profanos impenderent; sed ut ea pauperibus erogarent. Vult quidem Deus, ut bonis suis utantur divites ad subveniendum necessitatibus propriis et familie suæ; superflua statui et familie pauperibus saltem necessitatem patientibus erogari precipit: *Quod superest,* inquit Christus, *dato eleemosynam.* Non ait, superflua danda ganeonibus, canibus et meretricibus; neque dicit illa in ludos, vanitates et illicitas voluptates profundenda; ea pauperibus dari jubet. Non credendum, inquit Doctor Angelicus, divites ad superflua pauperibus tribuenda teneri solummodo ex consilio, ad hoc enim tenentur ex præcepto, ita ut graviter peccent, si ea pauperibus necessitatem patientibus non distri-buant: *Eleemosynam de superfluo dare necessitatem patienti, est in præcepto.* Ad hoc se teneri non ambigent divites, si animadvertant, quod pauperes in superflua eorum

jus habeant tamquam in patrimonium suum (1); etenim ait S. Ambrosius, *superflua divitum sunt patrimonium pauperum*. Deus, qui et divitum et pauperum pater est, divites bonorum hujus mundi quasi heredes instituit, pauperes vero non ut filios spurios abiecit, sed pro hereditatis legitima portione dedit eis quæ divitibus essent superflua: hoc est patrimonium illorum, quod si ipsis denegent divites, contra Dei ordinationem peccant, et patrimonium illorum suffurantur. Non me latet, quod dicere soleant divites, nil sibi esse superfluum: omnia, inquit, quæ possideo, mihi aut familiæ meæ plusquam necessaria sunt: tantum adest, aliqua mihi esse superflua, quin contra multa mihi desunt. Attamen si res suas recte scrutentur, multa apud ipsos superflua et inaniter profusa invenient. O quot superflua in divitum domibus, quæ pauperibus erogari deberent! O divites, tot in domibus vestris otio vacant servi, tot ancillæ, tot pedisequi, tot ganeones, qui Deum tunc tantum invocant, quoties blasphemant, nec prima fidei rudimenta sciunt; qui tamen magnis sumptibus nutriendi et remunerandi sunt; *ibi est aliquid superfluum*. Ut mulier, vel aliqua ex filiabus vestris vanitatis suæ satisfaciat, vestibus pretiosis induta incedit; multosque proventus effundit, ut superba suppellectili gaudeat; *ibi est aliquid superfluum*. In domibus vestris sæpe sunt vestes, calcei, et alia quæ vel in arca latent, vel in cameris volvuntur: *ibi est aliquid superfluum*. In horreis vestris ad multos annos sunt frumenta, quæ putrefiunt: *ibi est aliquid superfluum*. Omnia autem hæc superflua pauperibus impendere tenemini, quia hæc sunt patrimonía,

(1) Hæc verba hand strictim sunt accipienda perinde ac si agatur de jure proprie dicto; sermo est de jure æquitatis, congruentiæ, pietatis; scias licet possent pauperes in gravi necessitate constituti surripere quæ opus habent ad suam indigentiam sublevandam; quod nullus theologus concedit, excepto necessitatibus extremis casu. Hodiernum vero summopere cavere debet concionator ab exaggerandis pauperum juriis erga divites, cum *communismi* et *socialismi* monstra jam latas in societatem radices egerint maximo cum ipsius societatis detrimento.

quæ Pater cælestis pauperibus testamento reliquit. Pupillis patrimonium tutores reddere tenentur eo tempore, quo leges jubent; pauperes autem quot quasi pupilli, quos Deus sub divitum tutela constituit, præcipiens eis, ut horum pupillorum curam habeant: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor* (Ps. 9, 34). Præcipit etiam, ut eis superflua tribuant, quæ patrimonía eorum sunt: *Superflua divitum sunt patrimonía pauperum*. Cum exprobas divitibus nimias impensas, quas in ludis, comessionationibus, conviviis, et libidinis faciunt, respondere solent, se nulli injuriam facere, seque solummodo id quod suum est, expendere; verum falluntur: quia quæ inaniter profundunt et omnia apud eos superflua non ad illos, sed ad pauperes attingent; hæc sunt patrimonium pauperum, quod ad illos pertinet. O dives, inquit sanctus Basilus, *est panis famelicæ, quem tu tenes: est nudi tunica quam in conclavi conservas; discalecati calceus, qui penes te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum*. Quasi dicat: panis ille, quo tu canes venaticos, tot inutiles domesticos, et forte scorta nutris, non tuus, sed pauperum est: *est panis famelicæ, quem tu tenes*. Vestes illæ, quæ sine numero apud te sunt; vestes illæ superflua, quas in arca, vel in camera reconditis habes, non tuæ sunt, sed pauperum illorum, qui quo vestiantur non habent: *est nudi tunica, quam in conclavi conservas*. Calcei illi, qui sub cubilibus volutantur et putrescant, ad pauperes illos attingent, qui quo calceati incedant non habent: *est discalecati calceus, qui penes te marcescit*. Argentum etiam illud, inquit S. Basilus, quod non eges, quodque sub terra reconditum conservas, non tuum, sed egenorum est: *Indigentis argentum, quod possides inhumatum*. Omnia tandem quæ personæ et statui tuo superflua habes ad pauperes attingent, eaque illis erogare teneris.

Unde D. Bernardus pauperes sic divites illos, qui superflua in profanos et malos usus effundunt, alloquens inducit: *Nostrum est quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter vos expenditis* (ep. 2 ad Henr.). Quasi dicant: o divites, non ad hoc a Deo bona accepistis, ut superflua in delictis abusu-

matis; verum ut ea in eleemosynas erogetis: hæc non tam vestra sunt, quam nostra, et si nostra non sint ea, nostra facere tenemini nobis impertiendo: *Nostrum est quod effunditis*. Et ideo raptores simul estis et crudeles; *raptores*, quia quæ nostra sunt dotinetis et effunditis; *crudeles* vero, quia crudeliter nobis subtrahitis quæ nobis necessaria sunt: *nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter vos expenditis*. Divites ergo, ut constat ex jam dictis, superflua et quæ sunt ultra decentiam status, tenentur in eleemosynas erogare: *quod est ultra decentiam status, debet in eleemosynas dispensari, et hoc credit sub præcepto* (D. Th. in 4. d. 25, a. 2). Magna quidem hæc divitum erga pauperes obligatio; atque ad majora adhuc tenentur erga pauperes, quos in gravissima, vel extrema necessitate constitutos norunt: tunc enim non solum tenentur ad superflua, sed etiam ad sibi utilia eis impendenda, nisi et ipsi parem necessitatem patientur. Unde communiter cum S. Ambrosio docent authores, quod si quis magnam, qua pauper aliquis gravatur, necessitatem agnoscens, non ei subveniat, cum possit, homicida est et reus mortis illius pauperis, si defectu subsidii pereat: *Si non pavisti, occidisti*. Vides pauperem nudum, qui ob gravissimum quod patitur frigus, perit, quique non occubisset, si ei vestem dedisses obsoletam, quæ in domo tua putrescit; reus es mortis ejus: *occidisti*. Vides pauperem, qui graviter infirmatur, cui si subvenires, ad pristinam sanitatem reverteretur; et qui moritur, quia ei tuum auxilium denegasti, reus es mortis ejus: *occidisti*. O quot hujusmodi homicida in hoc mundo! Quot sunt divites, qui cum iis quæ pauperibus debent, non satisfaciunt, homicida illorum fiunt! Ex his homicidis fuit dives ille epulo, qui pauperi Lazaro cadentes e mensa micas denegavit; ex his homicidis sunt, qui non occurrunt extremæ necessitati pauperum, quam certe necescunt. Ille, quia pauperi Lazaro panis frustum dare noluit, in inferno nec aqua guttam obtinere potuit; et isti, quia pauperibus dare recusant ea, quæ iis ex Dei præcepto debent, æternis inferni cruciatibus addicentur. Clamant in hoc mundo pauperes ad januam divitis, ut ab eo eleemosynam impetrent;

et clamabunt avari divites in inferno, ut a Deo misericordiam consequantur: eadem autem illos mensura Deus metietur, quæ et ipsi mendicis mensi sunt, et quia hic duri et immisericordes fuerunt erga pauperes, Deus similiter erga illos erit immisericors, nullamque unquam ab eo gratiam et misericordiam obtinebunt; in æternum inferni pœna plectentur. O quales tunc divitum lachrymæ! o quales gemitus! o quam maxime tunc optarent suis in hoc mundo satisfecisse obligationibus! Tunc velient aliena restituisse, mercenariis justam mercedem tribuisse, et pauperibus largas eleemosynas erogasse. Tunc dicent, o utinam credidissem concionatoribus et confessoribus, qui ad peragenda quæ mei muneri erant, ne sollicitabant! Tunc clamabunt, o utinam meis omnibus obligationibus fecissem satis! Vana hæc erunt divitum vota; inutilia hæc eorum erunt desideria. Quapropter, o divites, agite nunc quod tunc quisque vestrum fecisse optaret; aliena nunc propriis dominis reddite; mercenariis debitam mercedem prompte tribuite, pauperibus eleemosynam date, et Pater cœlestis æternam vobis mercedem concedet. Amen.

DOMINICA PASSIONIS

DE VITÆ INNOCENTIA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? (Joan. 8, 36). R

Cum iniquis et peccatoribus in hoc mundo mixti sunt justi et innocentes; ibi habitat agnus cum pardo, lupo cum agno, et innocens cum homine peccatore. Verum est, quod novit Deus, qui sint ejus; justos, et innocentes agnoscit, eos fovet illos protegit, iisque benefacere non desinit; dum autem inno-

matis; verum ut ea in eleemosynas erogetis: hæc non tam vestra sunt, quam nostra, et si nostra non sint ea, nostra facere tenemini nobis impertiendo: *Nostrum est quod effunditis*. Et ideo raptores simul estis et crudeles; *raptores*, quia quæ nostra sunt dotinetis et effunditis; *crudeles* vero, quia crudeliter nobis subtrahitis quæ nobis necessaria sunt: *nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter vos expenditis*. Divites ergo, ut constat ex jam dictis, superflua et quæ sunt ultra decentiam status, tenentur in eleemosynas erogare: *quod est ultra decentiam status, debet in eleemosynas dispensari, et hoc credit sub præcepto* (D. Th. in 4. d. 25, a. 2). Magna quidem hæc divitum erga pauperes obligatio; atque ad majora adhuc tenentur erga pauperes, quos in gravissima, vel extrema necessitate constitutos norunt: tunc enim non solum tenentur ad superflua, sed etiam ad sibi utilia eis impendenda, nisi et ipsi parvam necessitatem patientur. Unde communiter cum S. Ambrosio docent authores, quod si quis magnam, qua pauper aliquis gravatur, necessitatem agnoscens, non ei subveniat, cum possit, homicida est et reus mortis illius pauperis, si defectu subsidii pereat: *Si non pavisti, occidisti*. Vides pauperem nudum, qui ob gravissimum quod patitur frigus, perit, quique non occubisset, si ei vestem dedisses obsoletam, quæ in domo tua putrescit; reus es mortis ejus: *occidisti*. Vides pauperem, qui graviter infirmatur, cui si subvenires, ad pristinam sanitatem reverteretur; et qui moritur, quia ei tuum auxilium denegasti, reus es mortis ejus: *occidisti*. O quot hujusmodi homicida in hoc mundo! Quot sunt divites, qui cum iis quæ pauperibus debent, non satisfaciunt, homicida illorum fiunt! Ex his homicidis fuit dives ille epulo, qui pauperi Lazaro cadentes e mensa micas denegavit; ex his homicidis sunt, qui non occurrunt extremæ necessitati pauperum, quam certe necescunt. Ille, quia pauperi Lazaro panis frustum dare noluit, in inferno nec aqua guttam obtinere potuit; et isti, quia pauperibus dare recusant ea, quæ iis ex Dei præcepto debent, æternis inferni cruciatibus addicentur. Clamant in hoc mundo pauperes ad januam divitis, ut ab eo eleemosynam impetrent;

et clamabunt avari divites in inferno, ut a Deo misericordiam consequantur: eadem autem illos mensura Deus metietur, quæ et ipsi mendicis mensi sunt, et quia hic duri et immisericordes fuerunt erga pauperes, Deus similiter erga illos erit immisericors, nullamque unquam ab eo gratiam et misericordiam obtinebunt; in æternum inferni poena plectentur. O quales tunc divitum lachrymæ! o quales gemitus! o quam maxime tunc optarent suis in hoc mundo satisfecisse obligationibus! Tunc vellet aliena restituisset, mercenariis justam mercedem tribuisse, et pauperibus largas eleemosynas erogasse. Tunc dicent, o utinam credidisset concionatoribus et confessoribus, qui ad peragenda quæ mei muneris erant, ne sollicitabant! Tunc clamabunt, o utinam meis omnibus obligationibus fecissem satis! Vana hæc erunt divitum vota; inutilia hæc eorum erunt desideria. Quapropter, o divites, agite nunc quod tunc quisque vestrum fecisse optaret; aliena nunc propriis dominis reddite; mercenariis debitam mercedem prompte tribuite, pauperibus eleemosynam date, et Pater celestis æternam vobis mercedem concedet. Amen.

DOMINICA PASSIONIS

DE VITÆ INNOCENTIA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? (Joan. 8, 36). R

Cum iniquis et peccatoribus in hoc mundo mixti sunt justi et innocentes; ibi habitat agnus cum pardo, lupo cum agno, et innocens cum homine peccatore. Verum est, quod novit Deus, qui sint ejus; justos, et innocentes agnoscit, eos fovet illos protegit, iisque benefacere non desinit; dum autem inno-

centium et *justorum unime in manu Dei sunt*, in eos tela sua vibrant impii, adversus illos acunt linguas suas, ac illos inique persequuntur. Hoc videre est in hodierno Evangelio, in quo fertur, adversus Christum omnis innocentiae magistrum insurrexisse Scribas et Phariseos; qui cum Samaritanum vocant, qui illum demonium habere blasphemant, quique lapides tollunt, ut in illum jactant. Detestanda quidem haec hominum impiorum malitia; ac æmulanda magis Christi Domini innocentia, quae tanta extitit, ut nec levissimi peccati vere argui potuerit; *Quis, ex vobis arguet me de peccato?* Christi innocentiam, ut exemplar a nobis imitandum, in hac concione proponam. *Abe.*

Innocens est, qui in nullum unquam peccatum incidit; *innocentior*, qui non solum omni peccato, verum et omni ad peccatum affectu caruit; *innocentissimus*, qui non solum peccatum et affectum ad peccatum, verum nec aliquam etiam peccati speciem habuit. Talis autem extitit innocentia Christi Salvatoris, qui quidem nullius peccati reus fuit, cum de fide sit, eum nec peccasse, nec peccare potuisse. *Ipse peccatum non fecit* (1. Joan. 3); qui etiam nullum affectum ad peccatum habuit, cum illud summo odio prosequens sit, ac ad illud destruendum venerit. *Apparuit, ut peccata nostra tolleret*; qui tandem nullam peccati speciem et umbram prætulit, cum fuerit ita *sanctus, innocens, impollutus, et segregatus a peccatoribus*, ut nullus eum vere peccati alicujus arguere potuerit; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* O mirabilem Christi innocentiam! Quis alius hic in terris tanta reperitur innocentia, ut nec peccatum, nec peccandi affectum, nec speciem peccati habuerit? Certe nullum talem reperire est: nihilominus æmulanda est hæc innocentia, et quisque pro viribus contendere debet, ut a seipso omne peccatum, omnem affectum ad peccatum, omnemque peccati speciem tollat. Unusquisque a seipso auferre debet 1. omne peccatum; 2. omnem affectum ad peccatum; 3. omnem speciem peccati.

I PARS.

Tollendum est omne peccatum.

Tanta Christi extitit innocentia, ut nec vel minimi cujusvis peccati argui potuerit; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hæc autem æmulanda innocentia saltem quoad gravia peccata, ita ut nec unicum unquam in nobis regnet mortale peccatum. Quod expresse docet Spiritus Sanctus, asserens illum multa bona perdere, qui vel unicum grave crimen perpetraverit; *qui in uno peccaverit, multa bona perdet* (Eocl. 9. 18). Homo justus aurea charitate nitet, gratiæ divinae thesauris est dives, Dei amicitia gaudet, jusque ad æternam felicitatem habet; si vero in unicum incidat mortale peccatum, hæc omnia bona perdit, quia adveniens mortale peccatum, hæc omnia et alia multa bona e corde justii obliterat, et, ut præfata Ecclesiastes verba exponit S. Dorotheus, *si decies cuique bene operari contingerit, et semel tantum facere malum, id unicum tanta illa bona perdit ac destruit*. Negationem malignæ esse naturæ asserunt philosophi, ejusque in hæc consistit malitia, quod omnia eam subsequantia destruat: *Negatio malignantis est naturæ; quicquid post se invenit, destruit*. Dic aliquem esse justum, sapientem, et doctum; da illi quos volueris gloriæ titulos; si omnibus his titulis unicum præponas negationem, si unicum non præsent, omnia subsequantia destruet, ita ut qui antea dicebatur justus, sapiens et doctus, postea dicatur non justus, non sapiens, non doctus. Eadem ac longe major est mortalis peccati malitia: quantumvis enim quis sit justus, quantumvis innumeris fulgeat virtutibus et meritis, si unicum adveniat mortale peccatum hæc omnia destruet: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet*. Ideo cum tanta sit mortalis peccata malitia, omnia penitus tollenda et eliminanda sunt peccata mortalia. Perbelle dixit Cicero, hominem probum et justum esse similem versui, seu metro poetico, cui si vel syllaba desit aut

exerret, totum vitiosum est, et publico sibilu ac convicio excipitur: *Cui si syllaba desit, aut exerret, exsibilans* (Paradox. 5). Idem sane dicendum de quolibet homine justo; est enim quasi versus et quasi carmen poeticum: quia si peccet mortaliter, sive per excessum, sive per defectum, justus esse desinit et peccator oradit. Oret quis assidue, jejunet, eleemosynas largiter eroget, aliisque multis niteat virtutibus, si luxurie, gula, vel alteri cuiquam vitio indulgeat, adeo ut vel in unum mortale labatur justus esse desinit, ac peccator fit et ualior. Ergo tollenda et fuganda a nobis omnia peccata mortalia, ita ut nec uno eorum animas nostras inquinari patiamur.

Cum Alexander magnus, ut Deus honorari voluit, omnibusque sibi subditis imperavit, ut sibi divinos honores impenderent ac ut Deum venerarentur, Calisthenes philosophus, qua majori potuit modestia et humilitate eum commoravit, hos honores homini mortali non deberi. Quod monitum ita regi displicuit, ut Calisthenem naribus, labisque truncatum, cum caeca caeva inclusum circumferri, ac tandem occidi imperaverit. O infandum Alexandri crimen! Quod, licet unicum, omnes herouicas tanti principis virtutes obscurasse et quasi sustulisse asserit Seneca: *hoc est, inquit, Alexandri crimen aeternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet (qua. nat. 6, 2)*. Non dicas, tantam esse Alexandri gloriam, ut multa Persarum millia trucidarit; nam in promptu respondebit Seneca: *quoties quis dixerit, occidit Persarum multa millia, opponetur; et Calisthenem occidit*. Non dicas, famosum hunc principem, Darium Persarum regem occidisse, respondebit enim Seneca: *quoties dictum erit, occidit Darium, penes quem tunc magnam regnum erat, opponetur; et Calisthenem occidit*. Non dicas, Alexandrum omnia fere totius mundi subjugasse regna, ac imperii sui terminos quam longissime protendisse; nam respondet Seneca: *quoties dictum erit omnia Oceano tenus viciit, ipsam quoque tentavit novis classibus, et imperium ex angulo Thraciae usque ad Orientis terminos protulit, dicitur: sed Calisthenem occidit*. O gravissimum Alexandri crimen! quod « licet unicum » tantam tamen nomini et gloriae ejus maculam inussit

ut omnia praecura ejus facta demigraverit et quasi annihilavit. Quod autem de Alexandro Seneca, hoc et de omnibus penitus hominibus dici potest. Sit vir prudentia insignis, corporis afflictatione conspicuus, charitate erga pauperes mirabilis, humilitate et patientia illustris, si unicum scelus perpetrasse dignoscatur, aut si unico vitio addictus sit, illud unicum vitium omnes ejus virtutes obscurat. Dicit quis; adolescens ille bonae indolis est, ac pietatis exercitiis assiduus: mercator hic quotidie sacris interest, ac erga pauperes est liberalis: iste caustidicus pupillorum jura tuetur, ac orphanis est adiutor. Fateor haec omnia bona esse et laudabilia; si vero hic adolescens, mercator ille et iste caustidicus sint vel unus criminis rei, hoc unicum crimen omnes eorum virtutes denigrat, obscurat et destruit. Non sufficit, quod quis aliquibus floreat virtutibus, si omnia penitus crimina non emendet et tollat: *nisi totum emendasti, nondum quidquam fecisse puta* (Chrysos. 19 ad pop.). Hoc praecclare docuit vir quidam nobilis et ingeniosus, dum in gentilitiam tesseram sibi lernaem (1) alligavit hydram, brevi hoc addito lemmate: *ut unum vitium, nullum*. Nestis septicipitem fuisse hanc hydram, nec debellari potuisse, nisi uno ictu septem ejus capita simul truncarentur, quia si unicum tantum amputatum esset, ex illius capitis trunco septem alia orta essent. Et ideo victor fuit Hercules, qui unico ictu septem haec capita demessuit. O praeciarum symbolum, quo docemur, quomodo septiceps peccatorum hydra, seu septem peccata capitalia a nobis destruenda sint; non enim aliqua solum, sed omnia prorsus sunt abscondenda et a conscientia nostra expellenda, ita ut nec unicum in nobis remaneat: *aut omnia, aut nullum*. Leproso Naaman, Syriae principi, imperavit Elyseus propheta, ut septies in Jordane lavaret se: *Vade et lavare septies in Jordane et recipiet sanitatem caro tua et mundaberis* (4. Reg. 5, 10). Cur ab ea petit Elisaeus, ut septies lavet se in aquis Jordanis?

(1) Lernes, palus in regione Peloponnesi (Morea) celebris propter hydram et septemplici capite, de qua fabulatur poeta et scriptores ethnici. N. E.

Certum est, quod ab his aquis physice agentibus sanari minime poterat, et ideo sanandus erat, quia prophete imperanti obtemperabat. Cur ergo propheta, ut probet leprosi hujus obedientiam et ut illum sanet a lepra non ei imperat, ut bis, ter, vel decies, sed ut septies lavet se in Jordane: *Lava te septies?* Hoc ad nostram instructionem factum est, ut scilicet discamus eos, qui a peccatorum lepra mundari voluerint, septies seu ob omnibus peccatis mortalibus, quae ad septem reducuntur, lavari debere, ita ut qui unicum lavare neglexerant, nullum lavaret et a peccati lepra nullo modo sanaretur. Lavare ergo septies; lava et in temetipso omnia penitus destrue mortalia, ita ut nec unicum in te maneat. Josue et Israelitis praecepit Deus, ut civitatem Jericho everterent: hocque praeceptum ab iis ita adimpleri voluit. Primo, ut septies hanc circumirent civitatem: *Septiesque circumibitis civitatem.* Secundo, ut populus voce magna clamaret: *Conclamabit populus vociferatione maxima.* Tertio, ut non tantum aliqua pars, verum tota penitus civitas destrueretur: *Et muri funditus corruent civitatis.* Ecco quid facere debeat homo peccator: Jericho enim *iniquitatem* significat; ideo quisque peccator Jericho, seu iniquitatem destruere debet. Ut autem illam destruat, septies, id est pluries mente circumde debet interiora conscientiae suae, ut agnoscat quae ibi peccata lateant: deinde ad Deum clamet necesse est, ut ab eo gratiam et misericordiam postulet: ac tandem non partem solum, sed totam civitatem Jericho, seu omnia peccata mortalia debet funditus evertere, ita ut nullum in corde suo mortale peccatum relinquat. Si enim vel unicum relinquat, hoc nil ei proderit. Quid prodest, civitatem moribus esse circumdatam, fortissimis vallibus inaccessam, propugnaculis et arce munitam, si unicus hosti pateat aditus, quo facile in eam ingredi, eamque invadere possit? Quid prodest, adversus aquarum impetum, densum extruxisse aggerem, si vel unica remaneat rimula, qua domus destruat? Quid prodest, sex e domo expulisse latrones, si septimus in ea absconditus remaneat, qui solus dominum domus sit occisurus et bona ejus diripiturus? Sicut haec omnia parum prodesse, ita parum proderit, si

quis omnia e corde suo expellat mortalia, uno excepto, quo hosti pateat aditus ad illum bonis spiritualibus spoliandam et spiritualiter occidendam. Hoc novit callidus satanas et ideo hominibus suadere conatur, ut uni saltem mortali peccato adhaereant. Erga illos se habet, inquit Chrysostomus, sicut se habere solet puer erga aviculam, cujus modo pedem unico filo ligatum teneat, eam hinc inde volitare sinit, quantum voluerit: sic, ut ait os illud aureum, daemnon parum curat, quod quis jejuret, facultates pauperibus distribuat, sacramenta frequenter recipiat, multaque alia bona opera faciat, modo illum unico mortali peccato vinctum teneat, sciens haec omnia non esse meritoria, ac unicum hoc mortale sufficere ad mortem spiritualem et aeternam ei afferendam. Non igitur haec solum, aut illa, omnia penitus peccata mortalia a se quisque tollere et eliminare debet. Querit S. Basilius, an homo, qui multa bona opera fecerit, propter unicum malum opus, seu propter unicum mortale, cuius poenitentiam non egerit, sit damnandus ac aeternis cruciatibus addicendus: *Numquid ex omnibus recte factis, si unum aliquid alicui tantum obfuerit, is propterea salutem non adipiscatur?* (in reg. brev. int. 233). Eandem questionem agitant multi doctores, variisque tum auctoritatibus, tum rationibus probant, eum revera fore dampnandum. Quod et asserit S. Basilius, idque probat exemplo S. Petri, qui licet praecelara multa pro Christi amore perfecisset, atque ab eo *Beatus* sit appellatus: quia tamen una tantum *in re*, ab obedientia visus est discedere, ei dixit Christus: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum*, id est, salvus non eris, sed in aeternum peribis. Ecco quo ducit unicum mortale: semel mortaliter peccasse, aeternum perisse est; per unicum lethiferam noxam, quae per poenitentiam non deletur, omnis optatae felicitatis spes everitur, et poenarum aeternitas incurritur. Itaque non aliqua duntaxat, verum omnia proventus tollantur peccata mortalia, *ac etiam omnis affectus ad peccatum.*

II PARS.

Tollendus est omnis affectus ad peccatum.

Cum invenit Christus hominem, qui ab immani dæmonum legione torquebatur, eos omnes simul ejecit, ita ut nec unicum e tartareis illis hospitibus ibi remanere permiserit. Cur non jam aliquos, deinde alios, sed omnes simul Christus expulit? Respondet Augustinus, hoc fecisse, ut ostenderet omnia peccata mortalia per penitentiam esse expellenda, ita ut nullum remaneat: *Ostendens, quod si etiam peccata sint mille, oportet de omnibus penitere* (lib. de pen.). Hoc sane ita fieri necesse est, quia impossibile est, unum mortale remitti sine alio; omnia simul remittuntur, aut nullum, ideoque omnia mortalia sunt simul necessario tollenda. Jamvero tollendus est etiam omnis affectus ad peccatum mortale. Hoc præclare docuit peroximius penitentia præco S. Joannes Baptista, qui postquam predicavit populis omnium peccatorum agendam esse penitentiam: *penitentiam agite*; talem docet esse debere penitentiam, ut peccatorum radices seu affectus pravi, a quibus, tamquam a radicibus, exterius pullulant peccata, penitus eradicentur. *Jam, inquit, securis ad radicem posita est*; non ait, excutienda peccatorum folia, vel aliquos eorum ramos excidendos, sed securim ad radices esse ponendam, ita ut affectus pravi, a quibus, veluti a radice, oriuntur peccata, penitus extirpentur: *Securis ad radices peccati ponenda est, ut irreparabiliter extirpentur* (S. Gryst. ho. 3 in Matt.). Quod ita necesse censet D. Bernardus, ut penitentiam, qua non eradicatur affectus ad peccatum, seu voluntas peccandi, non tam penitentiam, quam fictionem execrandam esse asserat; *An vero, inquit, aliud est quam fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradicades? Certus esto, quoniam pullulant ulterius. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices* (serm. 2 de Assumpt.).

Dixit Deus Abrahamo: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi* (Gen. 12, 1). Jam de domo et terra sua egressus erat Abraham, cum præcepit ei Deus, ut egrederetur: cur ergo ei egredi imperat, cum jam egressus sit? Mysterium explicat Rupertus Abbas, dicens ei præcepisse Deum ut de domo et de terra egrederetur, de quibus egressus erat, quia volebat, ut ex iis egrederetur affectu, qui ex iis jam corpore egressus erat: *ut sicut de terra Chaldeorum corpore egressus erat, ita affectu egrederetur*. Eandem sententiam explicationem adducit S. Augustinus, ajens, Abrahamo Deum præcepisse: *non ut corpus inde ejiceret, quod jam fecerat, sed ut cor inde excelleret, quod forte non fecerat*. O præclaram explicationem, quæ optime proposito nostro congruit! terra enim, in qua morabatur Abraham, erat terra Chaldeorum, quæ iniquitatem significat: e terra autem Chaldeorum, seu iniquitatis, egredi debet peccator, non solum actu, etiam corde et affectu exeat oportet ut peccandi voluntatem et affectum ad peccatum tollat. Non enim sufficit, quod quis ab actibus externis luxurie, avaritiæ, gulæ et aliorum vitiorum abstineat; necesse est, ut ab iis egrediatur corde, ita ut voluntatem et affectum ad hujusmodi peccata penitus tollat. Israelitico populo ex parte Dei imperavit Samuel, ut omnia idola de medio sui tollerat: *Auferite deos alienos de medio vestri* (1. Reg. 7). Adnotant autem sanctus Gregorius et Tostatus, tunc nulla extitisse idola in Israël, quia omnia penitus ablata fuerant; qua ergo de causa præcipit eis Samuel, ut auferant idola de medio sui? Hoc præcipit, ut doceat eos, tollendum esse affectum ad idola. Jam illa revera abjecerant e templis et domibus suis; remanebant adhuc in medio eorum, seu in corde per affectum, ideo præcipit Samuel ut tollant ea de medio sui, seu ut e corde suo affectum ad idola evedant. Sâlabre quidem hoc Samuelis præceptum, quod et ad nostram eruditionem factum est: idola enim hominum sunt peccata quæ colunt; huius idolum est avaritia, alterius luxuria et alterius gula. Hæc autem idola totaliter tollenda, non solum actu, verum et affectu, ita ut omnis penitus auferatur affectus

ad hujusmodi idola. Hujus rei præclaram ideam dedit purpuratus quidam Presul, cum in camera tabellam exposuit, in qua pieta erat penitentia, non cilicis et flagellis armata, non jejuniis et vigiliis extenuata, nec vilibus induta vestibus, sed ad modum nobilis cujusdam matrone modeste vestite et accensas duas faces portantis, quarum una manus et altera cor hominis penitentis comburebat. Ejus urebat manus, ut ostenderet, peccata exterius esse abscondenda; eiusque cor cremabat, ut manifestaret, hominem vero penitentem, non solum actu et exteriori, etiam interiori, ac toto corde et affectu peccata sua debere tollere. Neque enim sufficeret, peccata exterius sustulisse, e corde etiam sunt penitus evellenda, ita ut nulla peccandi voluntas, nullusque ad peccatum affectus remaneat. Curiose inquisierunt, nonnulli quo flagitii genere plures ad tartara ducantur? Variæque circa hæc authorum fuere judicia. Carolus Scribanus arbitratur, e centum qui aliena detinent, ob injustitiam seu ob defectum restitutionis, facile nonaginta æternum perire. S. Remigius asseruit, quod, *demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur*. S. Antonius ait, ob idololatriam et hæresim innumeros ad infernum ruere et caudiceo gregatim in poros illud properare; ipse fatear unum esse malum, a quo demones et homines ad inferos præcipitantur, nempe malam voluntatem, quia omne peccatum voluntarium est, atque a voluntate procedit, prout ait Divus Augustinus: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium* (de ver. rel. 14). Ipsam etiam voluntatem peccandi esse peccatum manifestavit Christus, cum dixit, non solum hunc peccare mortaliter, qui alterius mulieris carnaliter cognoverit, verum et qui eam cognoscere voluerit et concupierit: *Qui ciderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo* (Mat. 5). Ideo non externa solum præcavenda peccata, verum et ipsa emendanda voluntas et affectus peccandi: quia pravus ille affectus in se malus est, et quasi catena in medio cordis posita, hominem ad priora peccata facillime pertrahit. Hæc est catena, quam a medio cordis tollendam clamat Isaias Propheta, dicens: *Si ab-*

stuleris de medio tui catenam (Is. 58). Sunt nonnulli, inquit Isaias, qui catenam habent in collo; hi scilicet, quibus dæmon ita collum stringit, ut impediatur eos, ne peccata sua in confessione fateantur. Pudenda tua confessario manifestare renuis? Catena in collo stringeris: furta tua declarare non vis, quia ad restitutionem cogi times? Cateam collum tuum vincitur et stringitur. Hæc autem colli tui catenæ solvende sunt, declarando omnia et singula peccata tua, saltem mortalia: *Solve vincula colli tui*. Solvenda sunt hæc catenæ, omnia mortalia sunt humiliter confitendo, alioquin in æternum peribis. Ac insuper solvenda alia catena, qua cor tuum stringitur, solvendus et tollendus pravus affectus, quo, veluti catena, ad peccatum traheris; hæc catenam e medio tui tollendam: *Si abstuleris de medio tui catenam*. Quam pauci vero hanc de medio sui catenam auferunt! Adveniente die solemni, furta, calumnias, blasphemias, usuras, libidines, ac omnia peccata sua confitentur multi; tamen plerique affectum ad eadem peccata retinent; ore dicunt, se firmum habere propositum omnia peccata tollendi; catenam autem qua ad illa iterum trahantur, seu pravum affectum in corde suo conservant. Uxor Lot Sodomam corpore quidem reliquit, non corde et affectu, et ideo retro versus Sodomam respexit: multi similiter peccata actu, sed non affectu dimittunt, ea confessario dilucide manifestant, eaque ore detestantur, verum affectu ea retinent, et ideo facillime in ea recidunt. Unde, queso, tot post peractam penitentiam recidivæ? Unde fit, ut usurarius, vel libidinosus ante confessionem, post eam in usuris et libidines iterum incidat? Unde, ut blasphemus et detractor ante confessionem, post eam blasphemus etiam sit et detractor? Hoc inde evenit, quod hi catenam e medio sui, seu pravos ad peccatum affectus e cordibus suis nequaquam tollant, Satagendum ergo ut simul peccata et omnes ad peccatum affectus prorsus evellantur, ac etiam omnis peccati species caveatur.

III. PARS.

Tollentia est omnis peccati species.

Quamvis bonis operibus incumbere indesinenter debeat homo christianus, quandoque tamen ab iis absterneat necesse est: et ut docet Guillelmus Parisiensis a triplici bono abstinendum, a bono scilicet quod potest esse occasio mali; a bono, quod a maioribus bonis retrahit; et a bono, quod habet speciem mali. Non solum ab homicidio, furto, blasphemia, simonia et aliis criminibus abstinendum, verum et ab omni quod mali speciem præferat et redelet: *ab omni specie mala absterneat eos* (1. Thess. 5). Non tantum ab ista vel illa, sed ab omni specie mali abstinendum: nec enim sufficit, quod quis a specie avaritiæ vel luxuriæ absterneat, cum ab omni mali specie cavere debeat, ac exterius ita se gerere, ut nullius peccati conscius appareat. *Absterneat debet homo ab omni, quod speciem mali præterdit. Et hoc debet cavere, tam in doctrina, quam in operatione* (Hug. Card. in 1. Thess. 5). Mirabilis fuit visio regis Nabuchodonosor, quam ipsemet his verbis enarrat: *Videbam et ecce arbor in medio terræ et altitudo ejus nimia. Magna arbor et fortis et proceritas ejus contingens cælum; aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima et fructus ejus nimius, esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestie et in ramis ejus conersabantur volucres cæli, et ex ea vescebatur omnis caro. Videbam in visione capitis mei super stratum meum et ecce vigil et sanctus de cælo descendit. Clamavit fortiter et sic ait: succidite arborem et præcidite ramos ejus; excutite folia ejus et dispergite fructus ejus. Censet D. Hieronymus, hanc visionem non ad solius Nabuchodonosor, verum etiam ad omnium hominum peccatorum eruditionem factam esse: in peccatore enim peccatum est arbor mala, quæ nascitur ex radice concupiscentiæ: *Concupiscentia cum conceperit, parit pecca-**

tum (Iacob. 2, 15). Tanta hujus arboris est proceritas, ut usque ad cælum et ad majestatem Dei, quam offendit, infeliciter pertingat: *ascendit malitia ejus coram me* (Jonas 1, 2). Extenduntur rami ejus ejusque ad terminos universæ terræ: quia peccator ab alio bona auferit, alterum honore spoliat: puellis est in scandalum, viduis in ruinam, matrimonio junctis in familie dedecus, omnibus tandem et undique malus est. Sub illius arboris umbra quiescunt animalia et bestie; quia peccator gulosus animam habet lupinam, lascivus suinam, iracundus caninam, superbus pavoninam, ita ut omnium bestiarum species et mores in anima sua exhibere videatur. Quid remedi? Amputetur arbor: *destruatur corpus peccati* (Rom. 6, 2): in semetipso destruat peccator iram, vindictam, luxuriam et omnia peccata. At non solum destruere debet arborem, seu peccata, debet quoque præscindere ramos, excutere folia, seu delere debet et tollere omnem peccati speciem, ita ut in illo nil exterius appareat, quod mali speciem præferat. Homo carnalis non solum libidinibus valeat, verum et ne quidem cum meretricibus loquatur, ac illam quam domi detinet, puellam ejiciat. Gulosus non solum a gula et ebrietatibus absterneat, etiam heluonum consortia vitet, et ne quidem cauponam ingrediatur. Usurarius tandem, superbus, omnisque peccator cuncta sua peccata, et omnem mali speciem et apparentiam tollat: *absterneat debet homo ab omni, quod speciem mali præterdit*. Omnibus mundi thesauris fama bona preferenda est; nam *melius est nomen bonum, quam divitiæ multe* (Eccl. 41, 15); et ideo monet Sapiens, ut bonam famam sollicite servemus: *Curam habet de bono nomine*. Et D. Augustinus crudeles vocat eos, qui de fama sua minime curant: *qui famam negligit, crudelis est*. Ut autem quis bonum nomen servet, non debet quidem esse hypocrita, sed ita pius, ut non solum omnia peccata, verum et umbram ac speciem peccati fugiat: *quæ habent similitudinem malitiæ vitare debemus* (D. Th. in 1. Thess.). Ab omni ergo specie mali absterneat debemus, ad propriam famam servandam; ad hæc abstinendum ab omni specie peccati, ad vitandum scandalum pusillorum: *ab omni specie mali abster-*

nete vos, inquit Dionysius Cartusianus, ita quod non solum occaciter, verum et apparenter malum vitetur, ne quis scandalizetur. Docent Casuiste, ad vitandum scandalum pusillorum non modo omittendas actiones malas, sed etiam indifferentes; imo et quandoque bonas, quæ non cadunt sub præcepto, si scilicet scandalum aliter vitari nequeat. Cum ergo omitti debeant actiones indifferentes et bonæ ut vitetur scandalum infirmorum, quanto magis vitari debent malæ et mali speciem præseferentes, quæ scandali occasionem præbere possent? Ab his certe sollicitè abstinendum, ne quis scandalizetur. Abstinendum a blasphemia, iussuper nec proferenda verba, quæ blasphemiam redolent; abstinendum a verbis scurrilibus et impudicis, ac etiam ab æquivocis, quæ aliquo sensu libidinem sapiant; non solum illiciti, ipsi etiã liciti ludi quandoque vitandi; ac abstinendum ab omni quod mali speciem præfert, *ne quis scandalizetur.* Licet sciret D. Paulus, non esse malum manducare carnea: contestatur tamen, se nunquam manducaturum carnem, si inde aliquis occasione scandali esset accepturus: *Si exca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum* (1 Cor. 8). Si autem ab eo, quod de se est indifferens, abstinet D. Paulus, ut vitet scandalum pusillorum, quanto magis abstinere debet quisque ab his, quæ mali speciem habent, ne quis scandalizetur? *Usquequo, inquit Propheta, iudicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis* (Ps. 81, 5)? Sen, ut exponit Hugo Cardinalis; *usquequo vos facies Angelorum vel hominum peccatorum sumitis?* Facies Luciferi primi peccatoris superbia; hæc sumit, qui eum in superbia imitatur. Facies Adæ, libido sciendi; facies Cain, invidia; Lamech, crudelitas; Nembroth, ambitio; Pharaonis, oppressio subditorum. Horum autem Angelorum et hominum peccatorum sedulo præcavenda peccata, ac vel ipsa facies, sive species peccatorum, quibus hi addicti fuere; igitur tollenda superbia, libido sciendi, invidia, crudelitas et alia peccata, simulque eorum species, ne alii inde occasionem scandali sumant. Jamvero heu! quam multi, non solum peccati speciem, etiam rem præserunt! Quam multi criminibus, quæ palam

perpetrant, sunt aliis in scandalum? Væ hujusmodi peccatoribus scandalosis; væ tibi, pater: væ tibi, iudex; væ vobis omnibus, qui peccatis vestris alios scandalizatis: *Væ homini illi, per quem scandalum venit* (Matt. 18, 9)! At væ etiam illis, qui aliis scandali occasio sunt peccati speciem præseferentes; unicuique enim mandavit Deus, ut proximum corripiat ac salutem ejus invigilet, et ta sumendo faciem peccatoris, proximum scandalizas; væ tibi, miser: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Multos videre est, qui in peccatis suis palam gloriantur, imo et aliquando in peccatis, quæ nusquam perpetrarunt, quasi illa perpetrassent. Dic, stulte, cur in peccatis gloriaris: *Quid gloriaris in malitia* (Ps. 51, 5)? An ignoras, quod non liceat gloriarì, etiam in sapientia, in divitiis, vel in fortitudine: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, et non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis* (Ier. 6)? Quanto autem minus in peccatis gloriarì licet. Cur ergo gloriaris in malitia? Nonne oportet, miser, post commissum peccatum flere, plangere, cor tuum scindere, ac vera ponitere, ut Deum adversus te iratum placare valeas? cur ergo non compungeris, imo in peccatis gloriaris: *Quid gloriaris in malitia?* Ne glorieris, o miser; potius erubescere, ac peccatorum tuorum penitentiam age: erubescere; et si peccator coram hominibus visus es, fac ut te penitentem et pium videant: si peccatis tuis illis fuis in scandalum, fac ut impostorum bonis tuis operibus illis luceas, illosque ad Deum glorificandum allicias: *Videant opera nostra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Tolle ergo omnia peccata, tolle omnem affectum ad peccatum, tolle omnem peccati speciem, ac bonis fulgeas operibus, ut æternam merearis gloriam obtinere. Amen.

DOMINICA PALMARUM.

DE MUNDI DIGNITATIBUS.

Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinum
(Matth. 21, 5).

Naturale est homini in altum tendere, primum locum appetere et altiores ambire dignitates. Postquam enim protoparentes, qui in amoenissimo versabantur paradiso, quique iustitia originali et aliis celestibus donis erant instructi, cæca ambitione rapere volerunt divinitatem (S. Aug.), ab iis ad posteros fœda hæc dominandi libido transmissa est et in miseram eorum progeniem ventosa dignitatum et præcipientiæ irrepit ambitio, illudque malum ita commune et universale factum est, ut non fere quisquam sit, qui careat amore dominandi et humanam non appetat gloriam (S. Aug. in ps. 1). Quis, obsecro, perfectior, quis sanctior Apostolis, qui omnem sanctitatem in Christi schola didicere? At tamen sancti illi viri, qui ut humilitatis et omnis sanctitatis exemplaria nobis proponuntur, ambitionis labe non fuerunt immunes. Ipsi siquidem in Christi regno primatum ambierunt ex iis duo filii Zebedæi, Joannes scilicet et Jacobus, matris et ministerio ambitiose unus ad dexteram et alter ad Christi sinistram sedere petierunt; *dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam et unus ad sinistram in regno tuo* (Matth. 20). Lethiferum hoc ambitionis vitium damnat hodie Christus, qui licet totius mundi verus sit monarcha, in triumphali tamen pompa humillè insidet jumento; quo facto docet nos quanti facere debeamus hujus mundi honores et altiores quasque sæculi dignitates. Quod et nos docere pertentabimus in hac concione, quam habebimus de fuga et contemptu dignatum. *Ave.*

Mundi dignitates æstimant, amant et inquirunt viri ambitiosi; eas æstimant plurimum, amant ardentè, inquirunt avidè. *Hi*

dignitates sæculi inspicunt tamquam legitimum meritum suorum argumentum et veluti gloriosum honoris et reverentiæ sibi debitæ titulum; eas propterea magnè ducunt et multum æstimant. *Hi* in possessione dignitatum quietem, voluptates, honores et delicias multas auspiciunt; ideo illas ardentè amant. *Hi* tandem in dignitatibus summum bonum, sæque felicitatis culmen et complementum statuunt; idcirco ad eas summo affectu anhelant, easque sollicite et avidè inquirunt. Ecce quas sint hominum ambitiosorum vota, qui eorum motus et affectus. At maxima eorum est cæcitas: æstimant enim quod contemnendum, amant quod timendum et inquirunt quod fugiendum. Quod patebit, cum ostenderitis, mundi dignitates esse contemnendas, timendas et fugiendas. Mundi dignitates *sunt contemnende*, en primam hujus concionis partem; *sunt timende*, en secundam; *sunt fugiende*, en tertiam.

I PARS.

Mundi dignitates sunt contemnende.

Insignes quatuor statuas sacra Scriptura commemorat: *prima*, est vitulus, quem ex auro conflarunt Hebræi in deserto. *Secunda* est statua illa, quam item ex auro fabricaverunt sibi Samaritani. *Tertia* est statua Babyloniorum, et hæc quoque aurea fuit. *Quarta* tandem est, quam in somno vidit rex Nabuchodonosor, et hæc non tantum ex auro, verum et ex argento, ære, ferro, et luto constructa erat. Quatuor illas statuas verum dignitatum hujus sæculi symbolum et figuram exitisse docet Theodoretus: tres enim priores, inquit, ex solo auro operæ et arte hominum fuerunt conditæ, qui falso sibi suadent, quod quicquid in dignitatibus sæculi rutilat, sit aurum purissimum; in quarta vero statua, que non ab hominibus, sed a Deo facta fuerat, simul cum auro erat cuprum, ferrum, et lutum, ut significetur, quod si in mundi dignitatibus aliquantulum auri luceat, quo fit ut æstimentur; in iis

tamen sunt alia multa vilia et contemptibilia, quae homines ad eas despiciendas non parum movere debent: et revera contemnendae, quia 1. transitoriae et fugaces: 2. dolosae et fallaces: 3. vanae et inanes.

1. Transitorias esse mundi dignitates indicaverunt apostoli, cum non sedentes, sed incedentes de primatu disputarunt. *Siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset* (Marc. 9). Non sedent vel quiescunt apostoli, ut quis ipsorum sit primatu dignior, exquirant: non sedent, sed incedunt, quia sicut qui incedit et pertransit, locum quem acquirit, subito deserit, ita et saeculi dignitates, de quibus contendunt apostoli, sunt ita instabiles et fugaces, ut in iis homo non sedent, verum transeant. Vix enim eas sanus adepti, quod dedicare incipiant: et cum illas ad multos annos possidere credimus, subito auferunt, et nos deserunt: *principatus sicut ingreditur, sic desoritur; et quamdiu tenetur, labitur* (S. Hier. in c. 9 Marc.). Hanc dignitatum labilitatem ac fugacitatem praclare exprimit Spiritus Sanctus, cum eas lanugini, spuma, et fumo assimilat: *Spes impij tanquam lanugo est, quae a vento tollitur: et tanquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur; et tanquam funis, qui a vento diffusus est* (Sap. 5. 15). Dignitates et omnem mundi gloriam primo comparat lanugini, quae est flosculus quidam exilis, similis lanae tenui, qui facillime vento rapitur. Quae comparatio legitima est: nam revera omnia mundi sceptri, coronae omnes, et quaevis dignitates, ad quas homines evehuntur, tam subito evanescent, ut nil aliud quam lanugo quodam vento agitata esse videantur: *spes impij tanquam lanugo est*. Mundi dignitates Spiritus Sanctus secundo confert cum spuma, quae nil aliud est, quam aqua in varias bullas aere solum referta inflata, quae quidem supernatant: at facillime rumpuntur, dissolvuntur, et evanescent. Qui enim ad saeculi dignitates sublimantur, inflari solent, et super aliorum capita incedere; verum omnis illorum gloria nil aliud est, quam spuma illa inflata, quae a modico vento dispergitur et dissipatur: etenim hi quam citissime deprimuntur, et his omnibus dignitatibus exiunt: *tanquam spuma gracilis, quae a procella*

dispergitur. Dignitates tertio assimilantur fumo, qui surgendo evanescit, et quasi annihilatur: *fumus ascendendo deficit, et sese dilatando evanescit*. Mundi enim dignitates ita fugaces sunt et labiles, ut qui ad eas evehantur, tanquam fumus cito transeant, simulque cum dignitatibus suis dispareant: *nox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient* (Psal. 36, 20). Ecce nativam imaginem dignitatum saeculi, quae ita transitoriae et labiles sunt, ut lanugo, spuma et fumus esse videantur. Ad haec earum fugacitas et labilitas videtur adhuc esse major, quia fumus et spuma aliquamdiu subsistunt; mundi dignitates tam velociter transeunt, omnisque gloria saeculi ita fugax est, ut de ea potius dici debeat, quod praeterierit, quam quod sit et aliquantulum subsistat. Quod optime indicat Ecclesiastes, dicens: *Ego, Ecclesiastes, fui rex Israel in Jerusalem*. Cur non dicit: ergo sum rex, sed *fui rex*? Tunc enim regno potiebatur, tunc sceptrum et coronam Israeliticam gestabat, tunc illi ut suo regi obtemperabant Israelitae, tuncque vere regnabat in Jerusalem; cur ergo non ait: *ego sum rex, sed fui rex*? Sic locutus est Ecclesiastes, ut doceret, ita transitorias esse mundi dignitates, ut de iis potius dicendum, quod fuerint, quam quod sint: *dicit: rex fui, et non rex sum*, inquit Hugo de sancto Victore, *quia sic labitur humanus status, sic fluunt universae res hominum, ut verius de unaquaque re possit affirmari, quod fuerit, quam quod sit* (hom. 5). Non ergo aestimanda, potius contemnenda mundi dignitates sic transitoriae et fugaces; contemnedas etiam quia *dolosae sunt et fallaces*.

2. In multis fallaces sunt mundi dignitates; in hoc praecipue, quod satietatem promittant, nunquam tamen satient illos, qui eas possident. Facile quisque sibi suadet, quod cum hanc vel illam dignitatem adeptus fuerit, suae ibi ambitionis figet terminum, nec altius evehi cupiet; falluntur omnes: ambitio namque nunquam dicit, sufficit: estque quasi ignis, qui lignis superpositis non extinguitur, imo iis magis et magis augetur. Ambitiosus, inquit S. Bernardus, altiores semper appetit gradus, et ad eminentiores sublimari dignitates continue

peroptat, nec unquam satiatur: *O infinita semper ambitio et insatiabilis avaritia! cum primis honorum gradus meruerint in Ecclesia, non ideo corda quiescunt, duplici semper astuantia desiderio, quo utique magis ac magis et dilatentur in plura et ad celsiora sublimentur.* Et deinde ad casus speciales descendens, ait: *Cum factus quis fuerit in quacumque Ecclesia decanus, vel prepositus, archidiaconus, aut aliquid hujusmodi; non contentus uno in una, plures sibi, uno quot quot valet conquirere honores, satagit, tam in una quam in pluribus: quibus tamen omnibus, si locus euerit, libenter ratus praeferet episcopi dignitatem. Sed nunquid sic satiabitur? Factus episcopus, archiepiscopus esse desiderat: quo forte adepto, rursus nescio quid altius somnians, laboriosis itineribus et sumptuosis familiaritatibus Romanum statui frequenter palatium, quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias (de off. Episc. 7, 27).* Hoc idem clarissime ipsa manifestat experientia, qua constat, virum ambitiosum adeptis nunquam satiari dignitatibus; semper ad alias et alias in infinitum anhelare. *Sicut avari, ait sanctus Chrysostomus, quanto plura acceperint, tanto pluribus egent; ita ambitiosi, quanto majori funguntur honore, tanto plus ambire concupiscunt* (hom. 43 ad pop.). Quod Seneca familiari explicita similitudine canis famelicus, qui frustulo panis illi projecto non satiatur: postquam illud deglutivit, aliud et aliud sibi proficere avide appetit: *vidisti, inquit, aliquando canem missa a domino frustra panis, aut carnis, aperto ore captantem? Quidquid accepit, protinus integrum decorat, et semper ad spem futuri inhiat. Idem eventus nobis: quidquid enim expectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate recipimus; statim ad rapinam alterius erecti et attenti* (Ep. 73). Nec mirum; quia cor hominis ambitiosum est insatiabile, nec illud explere possunt omnes mundi dignitates; *expleri nescit honorum cupido; celere habituræ res finem sine fine queruntur* (S. Hier. ep. ad Demetriad). Parripendendæ ergo et contemnedæ mundi dignitates, cum ita fallaces sint, ut satietatem semper polliceantur et nunquam satient. Demum contemnedæ, quia vane sunt et inanes.

3. *Vanum, inquit divus Basilus (in Psal. 4), est id quod vacuum dicitur, quod nomen quidem habet, rem vero ipsam non habet.* Hujusmodi autem sunt mundi dignitates, quæ habent nomina sine re: habent nomina vacua, quæ dignitatem sonant et dignitates non sunt. Ut enim ait D. Chrysostomus, dignitates sæculi non sunt dignitates, verum solummodo nomina dignitatum: *Dignitates temporales hancquaquam quis dignitates dixerit: sed dignitatum nomina dumtaxat* (hom. 1 in ep. ad Rom.). Vanum dicitur, quod exterius bonum et aliqua æstimatione dignum videtur, intus vero nullius est pretii, omnique caret bonitate: sic dicimus de nuce, quæ exterius pulchra et bona apparet, ejus pulchritudinem et bonitatem esse vanas, si intus nucleo careat. Et juxta hanc regulam mundi dignitates, quæ quidem exterius nitent et aliquam apparentem præferunt bonitatem, vanæ dicendæ sunt: quia reipsa et interius bonitate carent: vel si aliqua polleant bonitate, hæc ita exilis et contemptibilis est, ut pulveri, qui a vento factatur, et pedibus teritur, eam similem censat divus Gregorius, dicens: *Quid sunt labentium dignitatum infule, nisi pulvis? Quam stulti ergo, qui mundi dignitatis magni faciunt: non enim æstimandæ, potius despiciendæ, quia transitorie, fallaces et vanæ. Ad hæc mundi dignitates sunt etiam timendæ.*

II PARS.

Mundi dignitates sunt timendæ.

Plerique quidquid splendoris in mundi pompa, ejusque dignitatibus elucet, plurimum admirantur; ac erronee credentes, nullum in his latere periculum, absque ulla formidine in altum sublimari appetunt, et non deterrantur periculis, quæ ambitione cœcati non vident (S. Bern., ih.). Si tamen Doctori gentium fidem adhibeamus, nullatenus ambiendæ, potius reformandæ mundi dignitates; *Noli altum sapere, sed time* (ad

Rom. 12). Timeandæ quidem, quia qui ad eas elewantur, 1. pro suis subditis spondent; 2. de suis subditis rationem reddent; 3. pro suis subditis punientur.

1. In ipso instanti quo quis aliis præponitur, et ad terrenas dignitates sublimatur, apud Deum fit sponsor et fidejussor pro omnibus suæ curæ commissis: adeo ut ex hoc momento, ad reddendam rationem de omnibus, qui ejus incaria et defectu in peccata labentur, strictissimo sese obliget. Quod quidem certo constat ipso sapientissimi Salomonis testimonio dicentis, eos qui ad mundi dignitates elewantur, spondere pro amicis, seu subditis suis, sicutque sponsonem manu et ore confirmare *Fili mi, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus* Prov. 6, 1). Scio, ad varios sensus hæc verba a nonnullis detorqueri; divus autem Gregorius illa de prælatis exponit, atque, quod cum in dignitatum suarum possessionem veniunt, pro omnium sibi subditorum animabus Deo spondent; ac pollicentur, quod eos manu et ore, seu opere et doctrina salvare conabuntur. Præfata etiam Salomonis verba eodem modo venerabilis Beda exponit, expenditque de prælato aut superiore, qui dignitatem tenens, eo ipso pro subditorum salute fidejussorem sese offert: *Spondidisti pro amico*, inquit, *id est, pro subdito, qui tibi cordi esse debet magis quam fidelis amicus*. Ecce sponsonem quam faciunt quicumque dignitates adunt: ex tunc quilibet pro subditorum animabus propriam oppignorat animam; et ideo Doctor Angelicus præpositos alloquitur, ait: *A pastor, obligasti te Deo, ut pro grege tuo impendas manum et os tuum; ut quicquid ore potes proloqui, et quicquid manu potes operari pro salute gregis tui, hoc ex sponsonem tua tenearis præstare: nimirum pascere gregem tuum omnis virtutis exemplo, et perenni doctrina eloquio*. Timeandæ ergo mundi dignitates: quia qui ad eas elewantur, pro suis subditis spondent; ac etiam quia de suis subditis rationem reddent.

2. Cum ad dignitates aliqui sublimantur, ex tunc tacite pro animabus subditorum Deo spondent, ac debitum contrahunt

rationem de iis reddendi, et revera de iis in die judicii rationem Deo sunt reddendi: *ipsi enim percipiant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (Heb. 13, 28). Hæc ratio, quam ab iis Deus exigit, stricta erit et terribilis: cum enim pro subditis suis sponderunt, Deus benigne eos audivit, eisque plurimum placuit talis sponso; si vero promissis non steterint, Deus, ut infensissimus hostis, ab iis rationem requiret, atque, ut ait D. Bernardus, *Deus, qui amicus fuit in sponsonem, extraneus erit in exigenda ratione*. In tremendo extremi judicii die, culibet episcopo, prælato, et superiori Christus voce terribili dicit: *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum* (Jer. 13, 20). Quasi dicat: redde rationem gregis tibi commissi: quomodo illum custodisti? Qua doctrina illum pavisti? Quibus illum exemplis fovisti? Quibus armis illum a tartareis protexisti hostibus? Qua cura et vigilantia illum a via prava avertisti, et per justitiam semitas deduxisti? Redde rationem, inquiet: redde rationem, o pastor nequam, an quod in grege tuo infirmum fuit consolidaveris, an quod ægrotum fuit sanaveris, quod fuit contractum alligaveris, quod abjectum fuit reduxeris, et quod perierat quaesieris? O pastores et superiores, hæc vobis de inferioribus reddenda est ratio; que tam stricta et terribilis erit, ut vix credat Chrysostomus, aliquem ex superioribus salvandum; *omnium quos regis, inquit, tibi reddenda est ratio. Miror, an fieri possit, ut aliquis ex superioribus sit salvus* (in c. 13 ep. ad Heb.). Timeant ergo quicumque aliis presunt, quia de omnibus curæ suæ demandatis rationem sunt reddituri. Hen si timeandam iis qui de sua solummodo anima rationem reddere debent, quanto timore et tremore concuti debent superiores, qui de subditorum omnium animabus rationem sunt reddituri! *Penset qui ad satisfaciendum districto Judici de sua tantum anima via sufficit; quia quot regendis subditis præest, totidem apud Deum ei reddendæ rationis onus inest* (S. Greg. Moral. 24, ult.). Si centum, aut mille subditis præsis, de centum aut mille rationem es Deo redditurus: o quale onus! o quam timeandæ dignitates! *Neque mirus timeandæ, eo quod qui eas sustinent, pro suis subditis punientur*.

3. Si enim peccatum aliquod perpetraverint subditi, praelatis consentientibus, annuentibus, applaudentibus, vel non renitentibus: si etiam a peccatis committendis subditos pro viribus non averterint, vel de commissis haud corripuerint, ipsi praelati pro subditis plectentur. Cujus rei praeclarum adduci potest argumentum ex libro Numerorum, ubi habetur, quod postquam peccavit populus Israel, jussit Deus, ut principes populi suspendenderentur in patibulis contra solem: *Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis* (Num. 25, 4). Cur peccante populo, suspenduntur in patibulis, et severe puniuntur eorum propositi? Ratio est, quia inferiorum culpa: ad desides et negligentes superiores referuntur, iisque a Deo imputantur, idcirco pro iis merito puniuntur. Quod perbelle adnotavit S. Petrus Damiani, dicens: *Quid est quod populus in luxuria voraginem labitur, et in eorum praepositos vindicatur? Subditi delinquant, et principes in patibulis suspenduntur? Scilicet alius est qui peccat et alius qui vapulat. Cur hoc, nisi quia culpa subditorum in praepositorum re-dundat opprobrium et quod ab oculis erratur, negligentiam pastoris adscribitur? Vide quam sit formidolosa conditio praesidentium; ut non modo pro suis, sed etiam pro subditorum puniantur offensis* (lib. 4, ep. 15). Alia multa et praeclara hujus rei exempla nobis sacrae suppeditant paginae, ex quibus unum dumtaxat referam de Heli sacerdote, quem ob-jurgans Deus, ait: *Quare calce abjecistis victimam meam, et munera mea quae praecepti, ut offerrentur in templo: et magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? Ecce dies veniunt, et praecidam brachium tuum* (1 Reg. 2). Sacrae Regum historiae expo-sitores asserunt, non Heli, sed filios ejus talia perpetrasse pec-cata; etenim Heli filii primitias sacrificiorum absumebant; cur ergo Heli sacerdotem tam acriter objurgat Deus? Cur Heli, de quo testatur Chrysostomus, quod sine querela Judaeos rexerit, quod-que virtutibus claruerit, tam severe a Deo punitur? Haud aliam sane ob causam, quam quia peccata filiorum, de quorum sa-lute Heli parum fuit sollicitus, ipsi imputantur: quia, inquit

Chrysostomus, *illi cura non fuerat et diligentissima et, cehe-mens salutis liberorum, nihil excusare eum potuit, quominus et misere, et infeliciter periret*. Quis ergo ad dignitates evehi non timeat? Timendum est, inquit D. Augustinus; *quia quanto major honor datur, tanto majus periculum comparatur*. Timendum est, ait S. Antoninus, *quia dignitates temporales sunt plena periculi*. Suscipere dignitates metuendum est, inquit Chrysostomus; super eos namque qui eas possident, *periculum imminet divinae justitiae*. Maxime etiam metuendum, quia qui ad dignitates sublimantur, pro suis delictis spondent, de iis rationem reddent, et pro iis punientur. Non ergo ambi-ende, imo plurimum timenda sunt saeculi dignitates, ideoque etiam fugiende.

III PARS.

Mundi dignitates sunt fugiende.

Ab omni peccato fugiendum, tamquam a facie colubri; *quasi a facie colubri fuge peccata* (Eccli. 21, 2). Verum ambitio digni-tatum est praecipue fugienda, quia saeculi dignitates sunt quasi colubri et serpentes venenosus, qui animalibus illorum, qui eas possident, virus et venenum pessimum infundere solent. Quod sane indicavit Deus, cum Moysi, quem in populi sui iudicem electurus erat, praecipit, ut portentosam illam virgam, quam manu gestabat, in terram projiceret; ipse etenim Dei mandato obtemperans eam projecit, statimque in horribilem et veno-sum serpentem conversa est; ut notum flieret, dignitates saeculi in se spectatas cito fieri venenosos serpentes, a quibus fugiendum. Et revera ab iis fugerunt viri sancti; easque fugere docuit Christus I. nascens in praesepio; 2. fugiens in montem; 3. in cruce moriens.

1. Dei Genitrix Maria Christo nascenti non thronos, non su-perba palatia, non regiam paravit; illum in humili praesepio inter duo animalia collocavit; et *reclinavit eum in praesepio*.

Et ideo de Christo recens nato ait Tertullianus, quod *passus set molestos Caesaris census, et diversoria angusta, et sordidos pannos, et dura præsepia* (de Inc. Chr. 2). Miror, cum Verbum æternum humana carne indutum in angusto præsepio jacentem intueor; miror, et in stuporem rapior, cum Dominum æternæ Majestatis in vili præsepio vagientem audio; miror, ac tantæ humiliationis ac vilificationis causam studiose inquiri. Dic, obsecro, cur sic humiliavit se, abbreviavit se; et exinanivit se Deus tantæ Majestatis? Cur ille, quem vidit Isaias sedentem supra thronum excelsum et elevatum; cur ille, quem cæli et terra capere non possunt; cur ille, qui angelorum et hominum, nec non cæli et terræ Rex et Dominus est, in exiguo commorari stabulo, et in angusto elegit recumbere præsepio? Cur ita, o Domine; cur sic tua humiliari voluit majestas? Sic humiliari voluit, ut fugeret et reproberet mundi gloriam et ejus dignitates; *in stabulo nascitur Christus, et in præsepio reclinatur, plane ut reprobet gloriam mundi, damnet seculi vanitatem* (S. Bern. ser. 2 de nat. Christi). O admirabile altissimæ humilitatis exemplum! O quam præclare docet nos Christus transitorius hujus mundi dignitates fugere! E converso quam imprudentes et stolidi sunt christiani illi, qui scientes et credentes Christum humiliari et veluti annihilari voluisse in præsepio, mundi dignitates nec minimum fugientes, ad eas potius sublimari summo affectu ambiunt: *Quid autem magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius penitendum, quam ut videns Deum cæli, parvulum factum, apponat ultra homo magnificari se super terram? Intolerabilis impudentia est, ut ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat* (S. Bern. ser. 1 de Nat.). Absit a vobis tam detestandus tumor: ne stulte ambiatis labiles et periculosas seculi dignitates; sed ad eas sublimari fugite, cum hoc doceat Christus nascens in præsepio, *idemque confirmet in montem fugiens.*

2. Postquam Christus turbam multam et famelicam quinque panibus et duobus piscibus satiavit, sciens, quod ex gratitudinis debito eum in Regem eligere vellent, ab iis aufugit et in montem se contulit; *Jesus ergo cum cognovisset, quia ven-*

turi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus (Joan. 6). Cur fugit Christus, cum eum in regem eligere, et ut regem venerari voluit populi? Fugere poterat Christus, cum Judas, pontifices et satellites eum quærebant ad mortem; eorum manus et malitiam declinare ipsi tunc erat facillimum: et tamen tunc non fugit; quin contra, hostibus suis, a quibus erat flagellandus, conspuendus, tradendus et crucifigendus, obviam ivit, isque ultro se obtulit: cur ergo non fugit Christus, cum ad mortem quæritur; et fugit, cum inquiritur ut ad thronum regium sublimetur? Non fugit, cum ad mortem quæritur, quia voluntarie venerat, ut moriem pro mundi salute obiret; *oblatus est quia ipse voluit* (Isa. 53); fugit vero Christus; cum ad solium regium sublimandus inquiritur, *ut nos doceat honores, prælationesque fugere*, inquit Dionysius Carthusianus. Quam etiam rationem adducit Tertullianus, dicens: *si Christus regem fieri refugit, plenissime dedit formam suis de fugiendo omni fastigio, tam dignitatis, quam potestatis* (de idolol. 18). Christus haud dubie totius mundi Rex erat et Dominus, suæque dignitatis regie conscius erat et possessor; ac licet eam non exterius exerceret, eam tamen exercere et ut rex honorari poterat; attamen regius sibi debitos fugit honores, ut doceat nos honores et dignitates seculi fugere, utque nobis det formam eas fugiendi. Miramini præclarum hoc humilitatis exemplum; atque Christum dignitates seculi fugientem imitami. *Frustra appellamur christiani, si imitatores non fuerimus Christi* (S. Leo. ser. de nat.). Itaque imitami Christum pompam et mundi dignitates fugientem; christiani plurimi imitari optarent Christum miracula facientem, in Thabore luce divina radiantem, vel omnium applausus concionibus suis sibi concillantem; illum autem despectum, opprobriis lacessitum, et dignitates fugientem imitari renunt. O christiane, non dedigneris facere quod fecit Christus: *non dedignetur, quod fecit Christus, facere christianus* (S. Aug. tract. 58 in Joan.). Imitare Christum, qui docet nos dignitates fugere, cum fugit in montem; *ac etiam cum in cruce moritur.*

3. Christus Dominus toto vitæ suæ tempore altioris humili-

tatis viam tenuit: domicilio enim fuit incertus, vestitu incultus, vultu et aspectu inglorius, cum pauperibus conversatus, et humilia quævis amplexus; at in morte honores potissimum fugit, et humilitatem profundiorum sectatus est. Ut enim de Christo moriente loquitur Tertullianus, *despuatur, verberatur, deridetur, foedis vestitur, foedioribus coronatur*. Cur, quæso, Christus in morte tot opprobriis et dira quam patitur morti, superaddidi vult ludibria, derisiones, et omnis generis humiliationes? Certe sic despici et abjici vult, ut doceat nos superbiam et honorum ambitum fugere: *ad hoc contumeliarum ludibria, et irrisionum opprobria toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus* (S. Greg. Mor. 34, 18). Hanc etiam honorem et dignitatum ambitionem e cordibus nostris eradicare et fugere docuit nos Christus moriens, cum morte ignominiosa et turpissima plecti voluit. Pro hominum salute mori volens Christus, potestatem habebat eligendi genus mortis, quod sibi magis placuisset; et tamen genus mortis elegit, quod vilissimam et turpissimum erat: mori voluit, sed in cruce: crucifigi voluit, sed inter duos latrones, ac tanto cum dedecore et confusione, ut Christum sic vilificatum videntes stupeant et angeli et homines. Quæ eum causa ad turpissimam mortem præeligendam impulit? Sane unica; ut scilicet homines doceat humilitatem sectari, et ambitionem fugere: *Christus, inquit Chrysostomus, sustinuit mortem: cur ignominiose? Non propter aliud, quam nos docens, ut gloriam, quæ ab hominibus datur, nihili ducamus et fugiamus* (hom. 28 in ep. ad Heb.). O quam præclare docet nos Christus dignitates et honores mundi fugere! Quam sedulo usque ad extremum idipsum nos edocet! Re quidem vera antequam divinam efflet animam, caput suum inclinavit: *et inclinato capite, tradidit spiritum* (Jo. 19, 30). Nos prius expiramus, inquit Chrysostomus et postea caput decidit: Christus primo inclinavit caput sua voluntate, et postea expiravit. Cur Christus, antequam moriatur, voluntarie caput inclinavit? Præclare et proposito nostro congrue respondet D. Bernardus, Christum morientem caput inclinasse, quia

crucis titulum fugiebat. Jusserat preses, ut supra Christi caput cruci affigeretur titulus, quo Christus Judæorum rex nominaretur: *Scrripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem*. Erat autem scriptum: *Jesus Nazarenus rex Judæorum* (Jo. 19, 19). Christus autem caput suum inclinavit, et quantum potuit, ab hoc titulo elongavit, ut se regiam fugere dignitatem ostenderet: *Caput inclinavit, quia titulum crucis fugiebat*. Heu! quis jam mundi dignitates æstimet, ambiat et querat? Imo quis eas non parvipendat, timeat et fugiat? Transitorie sunt, vanæ sunt, fallaces sunt; ergo non æstimandæ, sed contemnendæ. Qui ad eas elewantur, pro subditis suis spondent, de iis rationem reddent, et pro iis plectentur: itaque non ambiandæ sunt, sed timeandæ. Eas fugere docuit nos Christus nascentem in præsepio, fugiens in montem, et in cruce moriens; ideo non inquirendæ, sed fugiendæ. Terrenas ergo dignitates contemnite et fugite in presenti sæculo, et cælestes in futuro dabit Dominus. Amen.

DOMINICA PASCHATIS

DE CHRISTI RESURRECTIONE.

Valde mane unū Sabbatorum veniunt ad monumentum
(Marc. 16, 2).

Angeli, Petrus, et sanctæ quadam mulieres ad Christi sepulchrum se contulerunt; *Angeli*, ut cum resurrexisset annuntiarent; *Petrus*, ut magistri corpus videret; *sanctæ mulieres*, ut corpus ejus ungerent: *Maria Magdalena et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, et valde mane veniunt ad monumentum*. Angelos, Petrum, et sanctas mulieres ad Christi sepulchrum properantes hodie co-

tatis viam tenuit: domicilio enim fuit incertus, vestitu incultus, vultu et aspectu inglorius, cum pauperibus conversatus, et humilia quævis amplexus; at in morte honores potissimum fugit, et humilitatem profundiorum sectatus est. Ut enim de Christo moriente loquitur Tertullianus, *despuitur, verberatur, deridetur, foedis vestitur, foedioribus coronatur*. Cur, quæso, Christus in morte tot opprobriis et dira quam patitur morti, superaddidi vult ludibria, derisiones, et omnis generis humiliaiones? Certe sic despici et abjici vult, ut doceat nos superbiam et honorum ambitum fugere: *ad hoc contumeliarum ludibria, et irrisionum opprobria toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus* (S. Greg. Mor. 34, 18). Hanc etiam honorem et dignitatum ambitionem e cordibus nostris eradicare et fugere docuit nos Christus moriens, cum morte ignominiosa et turpissima plecti voluit. Pro hominum salute mori volens Christus, potestatem habebat eligendi genus mortis, quod sibi magis placuisset; et tamen genus mortis elegit, quod vilissimam et turpissimum erat: mori voluit, sed in cruce: crucifigi voluit, sed inter duos latrones, ac tanto cum dedecore et confusione, ut Christum sic vilificatum videntes stupeant et angeli et homines. Quæ eum causa ad turpissimam mortem præeligendam impulit? Sane unica; ut scilicet homines doceat humilitatem sectari, et ambitionem fugere: *Christus, inquit Chrysostomus, sustinuit mortem: cur ignominiose? Non propter aliud, quam nos docens, ut gloriam, quæ ab hominibus datur, nihili ducamus et fugiamus* (hom. 28 in ep. ad Heb.). O quam præclare docet nos Christus dignitates et honores mundi fugere! Quam sedulo usque ad extremum idipsum nos edocet! Re quidem vera antequam divinam efflet animam, caput suum inclinavit: *et inclinato capite, tradidit spiritum* (Jo. 19, 30). Nos prius expiramus, inquit Chrysostomus et postea caput decidit: Christus primo inclinavit caput sua voluntate, et postea expiravit. Cur Christus, antequam moriatur, voluntarie caput inclinavit? Præclare et proposito nostro congrue respondet D. Bernardus, Christum morientem caput inclinasse, quia

crucis titulum fugiebat. Jusserat preses, ut supra Christi caput cruci affigeretur titulus, quo Christus Judæorum rex nominaretur: *Scrripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem*. Erat autem scriptum: *Jesus Nazarenus rex Judæorum* (Jo. 19, 19). Christus autem caput suum inclinavit, et quantum potuit, ab hoc titulo elongavit, ut se regiam fugere dignitatem ostenderet: *Caput inclinavit, quia titulum crucis fugiebat*. Heu! quis jam mundi dignitates æstimet, ambiat et querat? Imo quis eas non parvipendat, timeat et fugiat? Transitorie sunt, vanæ sunt, fallaces sunt; ergo non æstimandæ, sed contemnendæ. Qui ad eas elewantur, pro subditis suis spondent, de iis rationem reddent, et pro iis plectentur: itaque non ambiandæ sunt, sed timeandæ. Eas fugere docuit nos Christus nascentem in præsepio, fugiens in montem, et in cruce moriens; ideo non inquirendæ, sed fugiendæ. Terrenas ergo dignitates contemnite et fugite in presenti sæculo, et cælestes in futuro dabit Dominus. Amen.

DOMINICA PASCHATIS

DE CHRISTI RESURRECTIONE.

Valde mane unum Sabbatorum veniunt ad monumentum
(Marc. 16, 2).

Angeli, Petrus, et sanctæ quadam mulieres ad Christi sepulchrum se contulerunt; *Angeli*, ut cum resurrexisset annuntiarent; *Petrus*, ut magistri corpus videret; *sanctæ mulieres*, ut corpus ejus ungerent: *Maria Magdalena et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, et valde mane veniunt ad monumentum*. Angelos, Petrum, et sanctas mulieres ad Christi sepulchrum properantes hodie co-

mitemur; ad divinum hoc monumentum mente et animo nos conferamus, minime quidem ut Christi corpus videamus et ungamus, verum ut sepulchri ejus gloriam admiremur. Nec est, quod timeamus festorem, qui ex hujusmodi locis exhalari solet; cum omnia in eo suavissime oleant. Non est, quod timeamus milites ad illud custodiendum missos, cum præ timore, animi deliquimus passi sint. Non est, quod timeamus Judæorum invidiam, cum jam suam agnoscant malitiam, jamque fateantur, verum Deum esse eum, quem antea Doctorem habere noluerant. *Vere Filius Dei erat iste.* Abeamus ergo cum fiducia ad Christi sepulchrum, ut ejus gloriam contemplerur. *Ave.*

Cum contraria juxta se posita magis elucescant, ut magis oniteat sepulchri et resurrectionis Christi gloria, Lazari mortui monumentum mente revolvo, ac ejus sepulchrum et resurrectionem, sepulchro et Christi resurrectioni oppono. Et ideo Lazarum, facti functum, in triplici statu considero: scilicet antequam resurgat, cum actu resurgit, et postquam resurrexit. Antequam resurgat Lazarus, corpus ejus in sepulchro putridum jacet et fœtidum: *jam fœtet* (Joan. 11). Cum resurgit, virtute sua non exiit, sed Christi, qui eum extra sepulchrum vocat: *Lazare, veni foras.* Postquam resurrexit, non immortalis exiit, sed elapso aliquo tempore, iterum mortuus est sicut et alii homines, qui omnes moriuntur: *quis est homo qui vivet, et non videbit mortem?* A Lazari sepulchro ad Christi sepulchrum propero, in quo omnia contraria, omniaque Christo gloriosa video et admiro. Non enim in sepulchro fœtet Christus; non aliena virtute surgit nec vitam resumit, ut iterum moriatur: non fœtet, sed incorruptibilis remanet; non aliena, sed propria ac sibi innata virtute resurgit; non vitam resumit, ut iterum moriatur, sed ut in perpetuum vivat. Quæ omnia ut clarius et ordinatius probentur, intueamur quomodo Christus est in sepulchro, egreditur de sepulchro, et vivit extra sepulchrum. Christus 1. *est in sepulchro* sine corruptione: 2. *egreditur de sepulchro* sine auxilio extraneo: 3. *vivit extra sepulchrum* sine relapsu. En tria puncta, quibus quam gloriosum sit Christi sepulchrum, omnibus patebit.

I PARS.

Christi corpus est in sepulchro sine corruptione.

Nescio quo sensu Tertullianus hominum sepulchra *asylum mortis et requiem sepultura* vocet; certum enim, corpora nostra in sepulchris, non ut in asylo et in loco quietis, quinimo ut in horroris, persecutionis et corruptionis loco residere, cum ibi vermes, bufones, serpentes et humor corpora nostra persequi, corrumpere et in fœdam putredinem redigere soleant. Ast quod de nostris sepulchris asseri nequit, hoc Christi sepulchro perfectissime congruit: ibi enim corpus ejus ut in asylo securissimo tribus diebus romansit: ibi vere requievit, quia neque a vermibus, nec ab alio quoquam corruptum fuit. Illud enim corpus, quod, permittente Deo, a Judæis vulneratum et occisum fuit, in sepulchro incorruptum remansit: *factum est incorruptibile, quod potuit occidi* (S. Leo ser. 2. de resurr.). A Judæis Christus vulnerari et occidi passus est, quia vulnera et mors ejus nobis utilia, necnon ad salutem nostram necessaria erant; corporis autem Christi corruptio nec necessaria, nec utilis nobis erat, eo quod per illam Christus nec mereri tunc poterat, nec pro nobis satisfacere. Quin contra hæc corruptio saluti nostræ obfuisse, quia si in sepulchro corruptum esset corpus Christi, multi inde sumpsissent occasionem dubitandi, aut de veritate voluntariæ mortis ac resurrectionis, aut de virtute divinitatis illi corpori conjunctæ. Quamvis ergo propter utilitatem nostram vulnerari et mori voluerit, noluit tamen corpus suum corrumpi; ad majorem sui gloriam illud incorruptum servavit. Mirabile hoc corporis Christi privilegium prædixerat regius Vates his verbis: *non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (Ps. 15). Hoc *Sanctum*, quod nullam visurum erat corruptionem, est corpus Christi: licet enim aliorum hominum corpora corruptioni subiaceant, Christi tamen corpus, utpote Verbo divino, incorruptionis principio, unitum, nulli cor-

raptioni subjacuit, noluitque Deus sanctum hoc corpus putrefieri et corrumpi. Sicut, inquit divus Petrus, anima Christi in inferno non remansit, ita nec corpus ejus in sepulchro corruptum est: *neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem* (Act. 2, 31). Coeleste illud manna, quod sexta die a Juleis colligebatur, sequenti Sabbato semper servabatur incorruptum; *non computruit, nec vermibus scaturit* (Exod. 16). Coeleste similiter et divinum manna extitit corpus Christi, quod sexta feria, seu die Veneris sancto de cruce est collectum et toto Sabbato immediate sequenti in sepulchro remansit incorruptum. Hanc corporis Christi in sepulchro incorruptionem sub pacis et requiei metaphora preclare edocuit Psaltes regius, dum sic Christum loquentem inducit: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (Psal. 4). Aliorum corpora non in pace requiescunt in sepulchris: ut primum enim terre mandantur, a vermibus et humido ita impugnantur, ut brevi corruptionem patiantur. Hæc fuit gloria corporis Christi mortui et sepulchro mandati, ut non solum pacem et requiem haberet ab omni labore, verum et ab omni prorsus corruptione. *In pace in idipsum dormiam et requiescam*; seu, ut explicat D. Hieronymus, *erit in pace sepultura ejus, quia caro ejus non videbit corruptionem*. Cum exercituum duces gloriosam de superbo hoste victoriam reportarunt, in suæ virtutis et bellici ardoris testimonium et titulum arma et instrumenta victoriæ sollicitè servant, studiosè custodiunt et in tuto loco, ne ardeant, collocare solent. Christus similiter, qui gloriosam de demonibus victoriam retulerat, ad sui gloriam et ad ostensionem virtutis suæ, corpus, cujus ministerio tartareas has potestates debellarat, sollicitè custodivit, illesum servavit, nec illud corrupti passus est. *Christus, inquit Doctor Angelicus, noluit corpus suum qualitercumque putrefieri, aut qualitercumque resolvi; sed ad ostensionem virtutis divine, voluit illud corpus incorruptione permanere* (3 p. q. 51, a. 3). Magnum, inquit Sanctus Chrysostomus, discrimen habetur Christum inter et terrenos principes. Isti dum in hoc mundo vivunt, facultates, potentiam et gloriam

suam manifestant; adveniente morte, potestas, honor, divitiæ, ac omnia cum ipsis pereunt. *Ipsis pereuntibus, omnia pereunt*. At in Christo omnia preestare et aliter evenerunt; *nam ante crucem omnia sunt moesta et infirma; ut autem crucifixus est, omnia clariora sunt facta* (S. Jo. Chrys.). In Christo quidem omnia opposita fuisse et contraria, quia dum vitam ageret mortalem, vocatus est filius fabri, amicus peccatorum, seductor plebis, demonis organum, religionis judæica infensissimus hostis et pacis publicè turbator; ipse etiam hominibus diu ignotus esse voluit; discipulos humili loco natos sibi elegit, ac paupertatem tantam sectatus est, ut dixerit, se non habere, ubi caput reclinaret; uno verbo, dum viveret, ipsius omnia moesta et infirma. Postquam vero Christus crucifixus est, potestas, majestas et divinitas ejus coram hominibus enitueri. Tunc *omnia clariora sunt facta*, sol enim obscuratus est, terra tremuit, velum Templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum; monumenta aperta sunt et multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Ipso tandem mortuo, innocentiam ejus predicant inimici, armati trepidant custodes; et ipsi vermes sacrum ejus venerantur corpus, ac adversus sanctuarium illud nihil moluntur, quia ipse ad ostensionem virtutis divinæ, voluit corpus suum incorruptum permanere. O magnam sepulchri Christi gloriam! Alia monumenta, quantumcumque extrinsecus splendida, quantumvis auro, gemmis, lapidibusque pretiosis rutilantia, corpora jam corrupta, aut corruptioni obnoxia continent et includunt; at tanta sepulchri Christi gloria, ut nullus ibi fetor, nulla putredo; ibique Christi corpus positus incorruptum et ab omni corruptione alienum requiescat. Refert Plutarchus, sepulchro Semiramidis hoc inscriptum fuisse epitaphium: *quisquis Regum pecunias egeris, demolis monumentum et quotquot velis sinito*. Rex Darius, illius thesauri amore allectus, aperuit sepulchrum et nil aliud quam ossa putrida et fetida invenit. Idem sane inveniret, qui aliorum magnatum monumenta aperiret; si quis revolveret lapides, quibus sepulchra Cesarum, regum et principum teguntur, nil ibi nisi vermes, putredinem aut ossa quedam fetida reperiret,

unde nullus superbire, imo summo opere humilitatem sectari oportet. Quamdiu in hoc seculo vivunt homines, alii estimantur, contemnantur alii; *estimantur* et honorantur, qui divites, qui sapientes et qui potentes videntur; *contemnantur* et despiciuntur, qui pauperes, qui ignari et ignobiles. In sepulchro pares omnes et aequales inveniuntur; ibi nulla fit distinctio pauperis a divite, ignari a docto et nobilis a plebeio; ibi omnium corpora corruptioni sunt obnoxia; ibi non minus foetent magnatum, quam rusticorum cadavera. O homo, sive magnus, sive parvus fueris, corpus tuum in sepulchro putrescet, ac in limum foetidum et in pulverem convertetur; quomodo audeas superbire et altum sapere? Voluit enim Deus, hominum corpora in pulverem et putredinem redigi, ut hi procul a se superbiam pellant, utque humilitatem sectentur. *Pulvis es, et in pulverem reverteris, ut non apponas ultra magnificare te super terram* (S. Greg. Nyss.). Non ergo apponatis magnificare vos super terram; prospicientes qualia in sepulchro futura sint corpora vestra, humiliamini et vosmetipsos despiciate. Humiliamini praecedentes, quales futuri sitis in sepulchris; ac itidem Christi in sepulchro existentis admiramini gloriam, qua tanta exiit, ut nullus ibi foetor, nulla putredo; ibique corpus ejus incorruptum maneat. Eccc primum radium gloriae, qui in Christi sepulchro rutilat: transeamus ad secundum, et postquam vidimus Christum in sepulchro jacuisse sine corruptione, inspiciamus eum e sepulchro exeuntem propria virtute, *et sine ullo auxilio extraneo.*

II PARS.

Christus egreditur de sepulchro sine auxilio extraneo.

Dum hic in terris moraretur Christus, ab inimicis seductor, Samaritanus, daemonium habens et daemones consulens dicebatur; qui autem pie de illo judicabant, hoc solum sentiebant, quod esset Elias, aut Jeremias, aut aliquis ex prophetis.

Omnibus notum facere voluit Christus, se esse verum Deum. *Notus ero in oculis multarum gentium et scient quia ego Dominus* (Ezech. 38). Hoc quidem hominibus notum fecit, ac potissimum argumentum quod adhibuit ad manifestandum et probandum se esse Filium Dei naturalem, est triumphus resurrectionis, quo propria virtute ac insita vi et potentia, absque ullo auxilio extraneo, seipsum a mortuis suscitavit et in vitam revocavit. Christus, ut ait D. Paulus, *praedestinatus est Filius Dei in virtute*; seu, ut explicat D. Damascenus, *declaratus est Filius Dei in virtute*. Multiplici quidem virtute, quae in eo eluxit, aliquo modo declaratus et agnitus est Filius Dei; virtute, scilicet, homines sanctificandi, mortuos suscitandi et alia miracula faciendi; verum magna et praecipua virtus, qua Christus declaratur et agnoscitur Filius Dei, haec est, quod propria virtute seipsum suscitaverit. Nullus seipsum suscitare valet, nisi sit ipse Deus; ideo Je. Chr. ut ostenderet ac manifestaret se esse Deum, propria virtute et absque ullo adjutorio externo seipsum suscitavit; *factus sum sine adjutorio inter mortuos liber* (Psal. 87). Alii nonnulli suscitati et a sepulchro exierunt liberi aliena virtute, sicut filius viduae Naim suscitatus et a morte liber factus non propria, sed Christi virtute; sic Tabitha a mortuis surrexit non propria, sed S. Petri virtute. A saeculo autem auditum non fuit, quod aliquis seipsum suscitaverit; omnibus hominibus haec praclusa est via; nullus hanc virtutem habuit; singulare hoc Hominis-Dei exiit privilegium; haec Christi gloria, quod seipsum propria virtute et sine ullo auxilio externo suscitaverit: *Factus sum sine adjutorio inter mortuos liber*. Christum Dominum in die resurrectionis induisse se fortitudine et virtute, ait Vates regius: *Indutus est Dominus fortitudinem et praecinxit se virtute* (Psal. 92). Christus fortitudo inanimata, in resurrectione dicitur specialiter virtute et fortitudine indutus, quia sicut manifestantur et exteriori apparent ea, quibus induimur et praecingimur; ita et Christus in resurrectione dicitur virtute et fortitudine indutus, eo quod tunc virtutem et fortitudinem suam maxime manifestavit in hoc, quod seipsum propria virtute suscitaverit. Praedixerat

Christus, se virtute propria a mortuis suscitandum, cum scilicet de proprio locutus corpore, Judæis dixerat: *Solcite templum hoc et in tribus diebus excitabit illud* (Joan. 2, 19). Ipse autem hodie induitur fortitudine, præcingit se virtute, ac virtutem suam ostendit dum templum hoc excitat ac seipsum propria virtute suscitatur. Job personam Christi agens, propheticè dixit: *in nitido niveo moriar, et sicut palma multiplicabo dies; alia translatio, quam refert V. Beda, habet: sicut phœnix multiplicabo dies meos*. De phœnice, Christum adumbrante, docent varii auctores, quod infirma et morti proxima naturæ instinctu ligna quadam odorifera et aromatica colligat, ex quibus facta strue, super illam alas quatit, donec hoc concussu ligna accendantur et ex his fiat ignis; in quo mirabilis hæc avis comburitur et ex cineribus ejus oritur vermiculus, ex quo vermiculo alia nascitur phœnix. Unde videtur phœnix ex seipsa renasci, et quasi se reproducere (1). *Phœnix semetipsam fœverans renovat* (Tert. de resurr. carn. 14). Sic Christus, velut altera phœnix, die Veneris sancto crucem portans, ligna collegisse videtur, super que moriturus erat; divina autem hæc phœnix, seu Christus, jacens in sepulchro, circumdatus odoribus et aromatibus pretiosis (centum quippe libræ myrrhæ et alios emptæ fuerant ad sacrum corpus condendum) non aliena, sed propria virtute renatus et suscitatus est; nullo alterius adjutorio, virtute sibi innata resumpsit animam suam, quam posuerat: *Ego pono animam meam, ut iterum suam eam* (Joan. 10). Unde ipsius sepulchro hoc epitaphium jure merito insculpi posset: *Surrexit*. Aliorum, qui extranea virtute surrexerunt, pro epitaphio hæc verba apponi possent: *Suscitatus est*: hic suscitatus est a D. Petro, hic suscitatus est a D. Paulo; solius Christi sepulchro hoc epitaphium convenit, *Surrexit*, quia ille solus propria virtute et

(1) Quanquam ad fabellas amandatur existentia phœnicis, sub mithi tamen umbra latet festiva quedam figura resurrectionis Christi, quem certe dixerit magis incendio amoris, quam vi tormentorum exinanitum. N. E.

absque alterius auxilio surrexit et de sepulchro egressus est. Hoc probe noverant Angeli, qui illud epitaphium ad Christi gloriam pronuntiarent: quaerentibus enim Christum in sepulchro, dixerunt: *Surrexit, non est hic*. Cum viri eruditi in sæculo epitaphia in defunctorum magnatum honorem conficiunt, his semper utuntur verbis, *hic jacet*; hic jacet, inquit, ille imperator, hic jacet ille rex. Sua semper epitaphia ab his verbis incipiunt, *hic jacet*. Jamvero epitaphium toto coelo oppositum ad Christi gloriam hodie proferunt Angeli; neque enim dicunt, quod in sepulchro jaceat, verum quod e sepulchro propria virtute surrexit, *Surrexit*. Illustrium virorum sepulchra omni ævo adornari et insigniri consueverunt epitaphiis; quæ sunt quasi virtutum et facinorum cujusque compendia et præcones. Sic ad Alexandri sepulchrum delineate sunt Asia et Europa, hæc epigraphe: *Alexandri victoria*; ut omnibus manifestaretur, ab Alexandro Asiam et Europam fuisse devictas. Sic Cyrus illud sepulchro suo epitaphium affigi voluit: *Hic jacet Persarum debellator*; ut omnibus notum fieret, ab illo Persas fuisse debellatos. Sic in sepulchro Josue in gloriosum emblema et in honorificum epitaphium, sol depictus est cum hæc inscriptione: *Sol contra Gabaonem ne movearis*, ut omnibus innotesceret, Josue solem velocissimo cursu properantem coercuisse. Gloriosa quidem hæc epitaphia; at his omnibus longe gloriosius est illud Christi epitaphium: *Surrexit*. Quia nullus alius seipsum suscitare valuit; hoc soli Christo competit, qui seipsum propria virtute nulloque extraneo auxilio suscitavit. Magdalena anxie querens, quis Christum e sepulchro sustulerit, ipsi Christo suscitato, quem non agnoscebat, dixit: *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi* (Jo. 20, 15); congrua certe interrogatio, quia ipse Christus, quem alloquebatur et interrogabat, seipsum suscitaverat et a sepulchro sustulerat: *Recte interrogat*, inquit S. Augustinus (serm. 133 de temp.), *si tu sustulisti eum: ipse enim tulit corpus suum, qui illud protulit de sepulchro; ipse tulit corpus, qui illud jacens et dormiens sua aspiratione collegit; ipse tulit corpus suum, qui illud divinitatis virtute gestans, portavit ad*

caelos. Christus e sepulchro tulit semetipsum; Christus jam mortuus seipsum ad vitam revocavit; qui non habebat vitam, sibi ipsi vitam dedit, ac seipsum suscitavit. Hæc omnia paradoxa videntur et incomprehensibilia: hæc tamen optime explicantur, quod scilicet Christus seipsum suscitaverit virtute divinitatis, cui anima ejus et corpus personaliter jungebantur. Hoc igitur corpus, etiam ab anima separatum et sepultum divinitati semper erat unitum. Unde sicut communicatione idiomatum dicebatur: hic mortuus Deus est, et Deus est hic mortuus; ita licet virtute divina Christus suscitatus sit, dici potest, quod hic mortuus seipsum propria virtute suscitaverit, quia virtus divina, qua suscitatus est, ipsi erat unita. Ecce secundum gloriæ radium, quo illustratur Christi sepulchrum: quid enim gloriosius, quam quod ipse propria virtute a sepulchro surrexerit: *Christus seipsum a mortuis suscitavit*, inquit Procopius: *quis unquam hominum muscipula mortis captus, claususque semel, inde potuit vi sua atque virtute liber egredi? Aut quem gigantum haecenus experti sumus ita fortem, ut mortuus, atque in sepulchro clausus, seipsum potuerit inde vicum poteruntque suscitare* (in c. 5 Isaie)? Certe nullus purus homo, sive gigas ille sit, sive rex, sive plebeus, hoc perlicere valuit: illud privilegium Homini Deo est speciale: hæc gloria soli Christo debetur: ipse solus a sepulchro surrexit sine auxilio extraneo. Tandem *Christus extra sepulchrum vixit sine relapsu*.

III PARS.

Christus vixit extra sepulchrum sine relapsu.

Corpori Christi hypostatici unitum erat Verbum, et ideo ex vi talis unionis corpori ejus debebantur impassibilitas et immortalitas. Quia tamen Verbum divinum copiosam voluit esse nostram redemptionem, miraculose suspendit influxum vite, qui ratione hujus unionis carni Christi communicari debebat;

et ut loquitur Clemens Alexandrinus: *Verbum caro factum permisit carni, ut sua pateretur*; hac ergo permissione data carni Christi, tanto ipse erga nos amore accessus est, ut pro nobis gravia pati et acerbam mortem subire voluerit. In resurrectione vero desiit hæc facultas: tunc cessavit miraculum quo impediabatur, ne Verbum vitam carni Dominicæ communicaret: proinde sic a mortuis surrexit Christus, ut non amplius esset moriturus: *de sepulchro se reddidit vivum, nunquam deinde moriturus* (S. Aug. tr. 91 in Ioan.). Hanc carnem morti obnoxiam sumpserat Christus, ut Patri pro peccatis nostris satisfaceret, atque nos a dæmonis captivitate redimeret; cessante fine, cessant et media ad finem; ideo completa jam redemptione nostra, noluit carnem suam amplius esse passibilem et mortalem; ac ita seipsum suscitavit; ut non ultra ipsius caro morti subesset; *tertia die resurrexit in carne nostra, sed nequaquam ulterius moritura* (S. Aug., de sym.). Hanc Christi a mortuis suscitati immortalitatem declarat ipse, dum ait: *Fui mortuus; et ecce sum vivens in sæcula sæculorum* (Apoc. 1, 18). Fuit mortuus Christus propter nos; hic fuit Agnus pro salute nostra occisus; mori voluit, ut peccata nostra suo sanguine lavaret; postquam per passionem suam nostra lavit peccata, surrexit non iterum moriturus: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (Rom. 6). Mortis imperio se semel subdidit, ut nos a peccatis redimeret; postquam resurrexit, *mors illi ultra non dominabitur*, quia surrexit non amplius moriturus, nec in sepulchrum reversurus. Christum ait divus Paulus esse primum eorum, qui a mortuis surrexerunt: *Christus surrexit a mortuis, primitivæ dormientium* (1 Cor. 15). Cur Christum vocat primum, qui a mortuis surrexit? Nonne prius a mortuis surrexerant Lazarus et filius viduæ Naim, quos ipse Christus suscitaverat? Nonne etiam ab Elia et Eliseo mortui quidam prius fuerant suscitati? Cur ergo Christum primum mortuorum, qui miraculose surrexere, primum vocat? Ratio est, inquit sanctus Epiphanius, quia Lazarus, filius viduæ Naim, et alii mirabiliter

suscitati ita surrexerunt, ut iterum essent morituri: Christus autem surrexit haud iterum moriturus, et ideo primus vocatur: *Licet ante ipsam Lazarus et multi alii fuerint resuscitati: hoc tamen fuit ad vitam mortalem, quae magis dicitur mors, quam vita: vera resurrectio fit ad vitam immortalem, ad quam Christus resurrexit primus* (Liran. in c. 1 Apo.). Christi resurrectio apud Prophetam vocatur *natiuitas*; sic enim Patrem aeternum Christo loquentem inducit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (Ps. 2). Cum quis filium vidit periculose vulneratum et quasi mortuum, ei postmodum gratulari solet, si a tali vulnere salvus evadat: ipsaque die, qua illum extra mortis periculum perspicit, ei dicit: o fili, hodie mihi natus es, hodie incipio esse pater tuus. Eodem modo Pater aeternus, Christum videns tertia die a morte liberatum atque prorsus illesum, gratulatur illi, dicens: *Ego hodie genui te*; hodie videris natus mihi, cum a mortuis surrexisti. Et revera Christi resurrectio est quasi nativitas, primae ejus nativitati in pluribus similis; siquidem sicut in Virginis utero anima fuit corpori unita, ita in sepulchro fuit ei iterum unita; sicut etiam Christus Mariae thalamo exiit, inviolato virginis claustro, ita in resurrectione exiit e sepulchro, intacta petra et inviolatis sigillis, quibus signatum erat monumentum; sicut tandem Dominus de Matris vulva vivus exivit, sic de sepultura vivus surrexit. Ecce duas Christi nativitates plurimum similes: at vero, ut ait sanctus Ambrosius (Serm. 48), secunda est prima gloriosior, quia cum natus est a Virginis utero, morti obnoxius prodiviit: e sepulchro vero natus est et surrexit immortalis: *Gloriosior ista est, quam illa nativitas, illa enim corpus mortale, haec immortale dedit*. Quod et confirmat sanctus Petrus Chrysologus, dum ait, Christi sepulchrum esse veluti uterum, in quo concipitur Christus mortuus: *uteri nova forma, mortuum concipit, parit vivum*. Si in mulierum utero fetus sit mortuus, mortuus paritur et non vivus: at uteri istius est nova forma, quia Christum concipit mortuum, parit vivum, et ita vivum, inquit Chrysologus, ut nusquam amplius sit moriturus: *resurgentium lux: mori non potest*. Christus,

qui est lux et exemplar eorum omnium qui resurrecturi sunt, ita e sepulchro surrexit, ut non amplius sit moriturus. Ecce tertium gloriae radium, qui in Christi sepulchro rutilat.

Christi sepulchrum gloriosum fore praedixerat Isaias: *Erit sepulchrum ejus gloriosum*. Hoc quidem sepulchrum est gloriosum, quia in eo Christus remanet, ab eo surgit, et extra illud vivit; in eo Christus remanet absque ulla corruptione, ab eo surgit absque ullo auxilio externe, extra illud vivit absque ullo relapsu. Contemplemur gloriam Christi in sepulchro absque ulla corruptione triduo remanentis, admiramur virtutem Christi e sepulchro absque ullo auxilio externo egredientis; potissimum haereamus in meditatione Christi extra sepulchrum absque relapsu viventis, ut inde aliquem ad mores recte componendos fructum eliciamus. Si enim Christus extra sepulchrum vivit sine relapsu, si ita surrexit, ut non iterum mortuus sit, inde moveri debemus ad non iterum libendum in peccatum: *Debemus perfecte mori peccato, ut non redeamus ad illud: sicut et Christus non rediit ad vitam, ut iterum moreretur* (Hugo Card. in c. 6 Ep. ad Rom.). Pascha apud Judaeos nil aliud erat, quam transitus; *Phase, id est transitus*: si ergo Paschalis festa digne peregrimus, transitum fecimus de peccato ad vitam, quia, ut ait S. Maximus Taurinensis Episcopus, *bonus transitus est, transire de peccatis ad justitiam, de vitii ad virtutes*. Si jam autem bonum hunc transitum fecimus, non debemus in priora peccata relabi; si per poenitentiam vere a peccatis sursumsumus, et transivimus de morte ad vitam, non debemus iterum mori recidendo in pristina peccata. Heu! tamen, si peccatis ita resurgunt plurimi, ut statim in ea revertantur; *Pascha est illis magis in reditum, quam in transitum*; quia in priora peccata mox relabuntur, ac post Paschalis festa iidem sunt qui antea. Subtiliter adnotavit quidam, quod peccatores sacro Paschatis tempore dicere soleant versiculum: *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*. Prima die, seu ipsa die Paschatis, peccata sua confitentur, ad sacram Synaxim accedunt, concioni intersunt, aliaque christiani hominis munia adimplent, ac vere Deum glorificant, unde hac die dicere

videntur: *Gloria Patri*. Secunda die aliquantum de fervore remittunt, adhuc tamen glorificare statuunt Dei Filium, cujus meritis a peccatis surrexerunt; unde hac die dicere videntur, et *Filio*. Tertia die, spiritualibus adhuc remissis vacant, quia tamen gratia per Spiritum sanctum accepta nondum totaliter sunt immenores, illum adhuc glorificant, et dicere videntur, et *Spiritu sancto*. At ubi festa transierunt, perficiunt versiculum; sunt enim iidem qui erant ante festa, sunt perijuri, blasphemii potatores, et isdem vitis dediti, quibus ante festa addicebantur; tunc facti dicunt, *sicut erat in principio*. At non ita resurgendum, ut in priora recidamus peccata, verum ut amplius per peccatum in spiritualem anime mortem non incurramus. Memento, inquit S. Bernardus, quod Christus non recidit, sed resurrexit; non rediit, sed transiit; transmigravit, non remeavit; surgamus et nos ita, ut non recidamus, ita transeamus, ut non redeamus; ita transmigramus a statu peccati ad statum gratiae, ut non amplius ad peccata remeamus. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*: sic si nos a peccati morte surrexerimus, non ultra per peccatum moriamur; peccatis, et terrenis cunctis ablegatis, quae sursum sunt queramus: *Si consurrexeritis cum Christo, quae sursum sunt querite*. Si autem sollicitè gratiam et gloriam queramus, *gratiam et gloriam dabit Dominus. Amen.*

DOMINICA IN ALBIS

DE CHRISTI VULNERIBUS.

Ostendit ei manus et latus (Joan. 20, 20).

Mirabimini forte, fratres charissimi, quod hodierna die Christum Salvatorem vulneribus sauciatum oculis vestris objiciam: mirabimini, quod postquam paucis ab hinc diebus Christum in

Resurrectione sua ineffabili gloria radiantem vidistis, eum modo variis affectum vulneribus proponam. Jamvero de Christo vulnerato, seu de Christi vulneribus disserere hodiernum invitat Evangelium, suadet ratio, et ipse Christus docet. *Hodiernum quidem invitat Evangelium*, cum enarrat, Christum apostolis apparuisse, suaque eis vulnera exhibuisse. *Ratio etiam hoc suadet*; nil enim magis rationi consentaneum, quam quod omni tempore sacra haec nomen revalvamus vulnera, quae fuerunt veluti fontes uberrimi, ex quibus redemptionis nostrae pretium feliciter manavit. *Hoc tandem docet Christus*, quia Apostolis suas hodie cicatrices exhibet, ut discant concionatores, sui muneris esse, Christi passionem, ejusque vulnera populis saepe objicere, eaque illis in mentem revocare. Venite ergo, ut sacra haec mecum hodie contemplanus vulnera: accedite, ut admiremini plagas illas, quas ad totius humani generis redemptionem Christus constanter pertulit: venite tandem, et has mente volvite cicatrices, quas ut cruentos amoris sui characteres, et veluti illustriora triumphus sui signa Christus apostolis ostendit; *Ostendit eis manus et latus*. Sacra haec vulnera passus est Christus; haec intulerunt Judaei: viderunt apostoli: Thomas illa tetigit: ea cum dolore contemplata est Maria; et nos pro modulo nostro de his disseremus. *Ave.*

Christus Salvator vulnera passus est, ostendit, et in corpore suo retinuit. Illa passus est in monte Calvaria: ea ostendit in conaculo, eorumque cicatrices retinuit in caelo. Ea Christus passus est: *Ipsa autem vulneratus est propter iniquitates nostras* (Isa. 53, 5); illa Christus ostendit: *ostendit eis manus, et latus*; illa tandem Christus retinuit, eaque post mortem palpari voluit; *affer manum tuam, et mitte in latus meum* (Joan. 20, 27). Miror maxime, quod Christus, cujus innocentia summa, et qui unico voluntatis suae actu nos redimere poterat, tot in corpore suo vulnera perpeti voluerit. Miror magis, quod post resurrectionem Christus apostolis apparens, ut eos consoletur, eis vulnera exhibeat, quae afflictionis eorum motivum extiterant et causa. Miror tandem, quod vulnera Christus retineat etiam in caelo, quod est omnis voluptatis locus, ubi nullus dolor, nul-

Isque afflictio locum habet: *neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra* (Apoc. 11, 4). Hæc omnia mysteria hæc eon-
 cione evolvere propono: hæc omnes difficultates explanare
 statui, ac explicare cur Christus innocens vulnera proferat?
 cur Christus a mortuis excitatus, vulnera ostendat? cur Chri-
 stus glorificatus, vulnera retineat? Videamus ergo 1. cur
 Christus vulnera patitur? 2. cur Christus vulnera ostendit?
 3. cur Christus vulnera retinet? En tres questiones, quarum
 solutione tota ista perficietur concio.

ALERE FLAMMAM
 VERITATIS

I PARS.

Cur Christus vulnera passus est.

Christus Dominus in hunc mundum venit, ut mediatoris, re-
 demptoris et salvatoris munus obiret. Mediator fuit: *Unus me-
 diator Dei et hominum Homo Christus Jesus* (2. Tim. 2).
 Hominum etiam redemptor exitit: *Qui dedit redemptionem
 semetipsum pro omnibus* (Ephes. 2, 5). Eorum tandem sal-
 vator fuit: *Cujus gratia estis salvati*. Christus autem vulnera
 in corpore suo pertulit, et passus est tamquam mediator, re-
 demptor, et salvator: 1. *tamquam mediator*, ut nos æterno
 Patri reconciliaret; 2. *tamquam redemptor*, ut nos a da-
 monis servitute redimeret; 3. *tamquam salvator*, ut nobis
 paradisi portas reseraret.

1. Per Adami peccatum facti eramus Dei inimici; per exi-
 tiosum illud scelus in æterni Patris offensionem incurra-
 ramus, ita ut nec homo, nec angelus, nec creatura aliqua, solus
 Deus nos illi reconciliare posset; Christus autem, quia Deus
 erat, ut nos æterno Patri reconciliaret, mediatoris munere
 fungi dignatus est, ac ut mediatoris munus perfecta adimpleret,
 in Calvarie montem ascendit, ibique acerbis vulneribus sau-
 ciatus, illis mediantibus, nos Patri reconciliavit et in pristi-
 nam ejus amicitiam reduxit; *et vos cum essetis aliquando
 alienati, et inimici; nunc autem reconciliavit in corpore*

carnis ejus per mortem (Coloss. 1). Divinus ille mediator non
 in vacuum vulnerari voluit, inutilia esse noluit vulnera, quæ
 in corpore suo pertulit: ipsorum virtute ac merito æternum Pa-
 trem placare, homines illi reconciliare, eosque in eius amicitiam
 revocare voluit. Et ideo Christi vulnera ab Issia propheta vo-
 cantur *disciplina pacis nostræ* (Isa. 53), quia scilicet median-
 tibus illis, facta est pacis compositio, et homines æterno Patri
 reconciliati sunt. Per prophetam asserit Christus, quod nos
 in manibus suis descriperit; *ecce in manibus meis descripsi
 te* (Isa. 49, 16). Sanguinolentis characteribus non in pulvere,
 vel papyro, at in propriis manibus descripsit nos Christus. Cur
 autem et quomodo ibi nos descripsit? Ut, hoc explicem, sciendum
 quod Pater æternus, Adami casum videns, scripto privato nos
 rebelles et hostes suos denuntiaverit. Christus autem in hunc
 mundum veniens ut mediator, scriptum illud scidit et cruce
 affixit: *delens quod adversus nos erat chirographum de-
 creti, quod erat contrarium nobis, et ipsam tulit de medio
 affigens illud cruce* (Coloss. 2, 14). Postquam Christus decretum
 illud a Patre æterno adversus nos conscriptum conscidit, aliud
 nostri gratia scripsit ipsemet. Pacis enim nostræ cum Patre
 æterno compositionem scriptis mandavit, ad quod scriptum
 exarandum claros in calamos, et proprium sanguinem in atra-
 mentum assumpsit; ac in propriis manibus hanc pacis composi-
 tionem scripsit: *in manibus meis descripsi te*. Quid vero movit
 Patrem æternum ad consentiendum huic pacis compositioni?
 Quid illum inclinavit ad homines in sui gratia recipiendos?
 Christi utique vulnera. Unde Christus ea hodie apostolis osten-
 dens, ait: *Pax vobis*. Quasi dicat: Ecce vulnera, quibus
 mediantibus, pax vestra cum Patre æterno perfecta est, et
 cum illo estis reconciliati. Quom autem Christus vulnera passus
 sit, ut nos æterno Patri reconciliaret; *ea etiam passus est,
 ut nos a demonis servitute redimeret*.

2. Adami peccato non solum Dei inimici, etiam demonis
 servi facti eramus, ita ut omnes homines sub dira ejus ser-
 vitute nascerentur et viverent. Jamvero tanto Christus in nos
 exarsit amore, quod cruce affigi, eruentisque plagis sauciari vo-

Inerit, ut nos ab infelici et tyrannica hac servitute redimeret; *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret* (ad Tit. 2, 14). Non auro, non argento nos redemit; verum passione sua, vulneribus in corpore suo percipit, et pretioso sanguine qui ex eis manavit. *Scientes, quod non corruptilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi* (1 Petr. 1). Ex angelis et archangelis, e cherubin et seraphim peccaverant multi; ex iis plures servi facti erant peccati; iis tamen omnibus Christus gratiam redemptionis denegavit; ad illos redimendos nec unicum e corde suspirium mittere, nec vel minimam ex oculis lachrymam fundere voluit; et ideo aeterno subiacebant servituti, ac in inferno tetrivinculis ligati in aeternum ingemiscunt. *Angelos, qui non vacerunt suum principatum, vinculis aeternis sub caligine reservavit* (Ep. Jud. 6). At Christus Dominus majore nos amore prosecutus est, quia ut nos redimeret, in laboribus fuit a juventute sua, ac flagellari, spinis coronari, et sauciari voluit. Et ideo hortatur nos apostolus, ut Christum laudemus, et toto corde glorificemus, quia scilicet redemit nos pretio magno; *empti estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro* (1. Cor. 6, 20). Angelos nec minimo pretio redimere voluit, nos vero pretio magno redemit; ut omnia nos redimeret, flevit amare, sudavit plurimum, laboravit supra modum, et flagellis excipi ac vulnerari dignatus est. En igitur, vulnera passus est Christus, ut nos a demonis servitute redimeret; illa denique pertulit, *ut paradisi fores nobis aperiret*.

3. Per Adam peccatum non solum demonis servi facti eramus, etiam a celo exulabamus; per illud nobis clausae erant paradisi fores. Christus in hunc mundum veniens, sauciari, latusque, manus et pedes sibi aperiri voluit, ut acceptis in corpore suo vulneribus, paradisi nobis ostia aperiret. *Solum mihi aperuit*, inquit abbas Guericus, *ut ingrederer in locum Tabernaculi*. Christi Salvatoris corpus simile fuisse videtur arce Noemicae, in qua erat janua, qua intrarant animalia a diluvio salvanda. Corpus quidem Christi erat arca sacra, in qua repositi latebant omnes divinitatis thesauri;

voluit autem Christus huic arcae portas fieri, voluit in pedibus et manibus suis fieri vulnera et aperturas, quibus mediantibus ab ira divina diluvio salvari, et in caelum ingredi



VERA IMAGINE
della SS. Vergine del Rosario
di Pampal.

Christi vulnera vocat, et haec vulnera aperiret, ac ut in eo mansiones ascenderetur; ut Templum, in quo januae sunt quasi januae intratur. Unde sanctus est Christus, fuisse crissimus, quibus sauciatus nobis apertae sunt *papis reserans*. O quam vulnera! Quam amabilis nos Patri reconciliaret, nobis aperiret. O fratres, nit, et nos illius gratia nobis corpus sauciari, et in quid pro illius gloria vite tua tempore passus pro tui amore perpressus honore pertulisti? *Anne dico vulnera? Quid dico adversus te prolatum tamen quod Christi vulnera salvabunt te, nisi partinebimus, et congruavero cum Christo pati caelo regnare nequimus. tis et consolationum; viriliter et constanter portate quidquid in Christi lege durum et asperum est, et Christi vulnera caelum vobis aperient. Ecce cur vulnera Christus passus sit. Videamus modo, cur illa apostolis ostenderit.*

luerit, ut nos ab infelici et tyrannica hac servitute redimeret; *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret* (ad Tit. 2, 14). Non auro, non argento nos redemit; verum passione sua, vulneribus in corpore suo paratis, et gratioso sanguine, qui ex eis manavit, *gento redempto maculati rubinis et* erant peccati

denegavit, mittere, dedit; et te vinculis liberaverunt, resercenti amore pro a juvenit luit. Et toto corde empti est corpore redimeret modum, e vulnera p meret; ill

3. Per eramus, e erant par ciari, lat in corpor totum in

in locum Tabernaculi. Christi Salvatoris corpus simile fuisse videtur arce Noemticae, in qua erat janua, qua intrarunt animalia a diluvio salvanda. Corpus quidem Christi erat arca sacra, in qua repositi latebant omnes divinitatis thesauri;

ORAZIONE

O Vergine immacolata e Regina del Santo Rosario, Tu in questi tempi di merta fede e di sempita trionfante, hai potuto piantare il tuo seggio di Regina e di Madre sulla antica terra di Pompei, seggio di morti pagani. Rida quel luogo lev'erano adorati gli idoli e i demoni. Tu oggi, oema Madre delle divine grazie, spargi da per tutto i tesori delle celesti misericordie. Oehl da quel trono ove regni pietosa, rivolgiti a Maria, anche sopra di me gli occhi tuoi benigni, ed alla pietà di me, che ho tanto bisogno del tuo soccorso. Mostrati anche a me come a tanti altri Tu sei dimostrata, vera Madre di Misericordia. Mostra te esse Madre, mentre che io con tutto il cuore Ti saluto e T'invoco mia Sovrana e Regina del Santissimo Rosario.

Salm Regina, Mater, etc.

APPROBATA
MONTANA in Carta Technica, die 2 Julii 1892.
P. CAROLUS NARDI, P. S. S. S.

voluit autem Christus huic arce portas fieri, voluit in pedibus et manibus suis fieri vulnera et aperturas, quibus mediantibus ab ira divina diluvio salvati, et in caelum ingredi valeremus. Et ideo Doctor Seraphicus Christi vulnera vocat *aperta ad quietem ostia*, quia scilicet haec vulnera pati voluit Christus, ut paradisum nobis aperiret, ac ut in eo aeternum quiesceremus. In famoso Salomonis Templo erat janua a latere dextro, qua ad omnes Templi mansiones ascendebatur; corpus autem Christi erat Spiritus sancti Templum, in quo januas aperiri, seu vulnera infigi voluit, quae sunt quasi januae aperte, quibus in caelum ascenditur et intratur. Unde sanctus Bernardus ait, clavos, quibus vulneratus est Christus, fuisse simul clavos et claves: fuerunt clavuli dirissimi, quibus sauciatus est Christus; et fuerunt claves, quibus nobis aperte sunt paradisi januae: *Clavus penetrans, clavus reserans*. O quam mirabilia et efficacia fueit Christi vulnera! Quam amabilis Christus, qui haec vulnera pertulit, ut nos Patri reconciliaret, ut nos redimeret, et ut caeli januas nobis aperiret. O fratres, Christus tot et tanta pro nobis sustinuit, et nos illius gratia nihil pati volumus; ipse suum pro nobis corpus sauciari, et vulnerari permisit, et nos vel minimum vite pro illius gloria pati dedignamur! Dic, quaeo, quid toto vite tuae tempore passus es pro Christo, qui tot et tam gravia pro tui amore perpessus est? Ubi sunt vulnera, quae pro illius honore pertulisti? Anne tuum pro ipso sanguinem fudisti? Quid dico vulnera? Quid dico sanguinem? Forte nec unicum verbum adversus te prolatum pro illius amore patienter tulisti? Scito tamen quod Christi vulnera januae caeli tibi non aperient, nec salvabunt te, nisi particeps fueris passionum ejus: *si sustinebitis, et congregabimini* (2. Tim. 2), ait D. Paulus; si vero cum Christo pati nolumus, cum ipso ad caelum ire, et in caelo regnare nequimus. Estote ergo particeps passionum, ut sitis et consolationum; viriliter et constanter portate quidquid in Christi lege durum et asperum est, et Christi vulnera caelum vobis aperient. Ecce cur vulnera Christus passus sit. Videamus modo, *cur illa apostolis ostenderit*.

II PARS.

Cur Christus vulnera sua apostolis ostendit?

Non vacat mysterio, quod Christus apostolis sua ostenderit vulnera. Hujus rei multae rationes adduci possent, quas investigare prolixum nimis foret: idcirco brevitati consulam, dico, Christum sua apostolis ostendisse vulnera 1. ut summ̄ iis manifestaret amorem; 2. ut eos in fide firmaret; 3. ut eos ad patientiam excitaret.

1. Christus Dominus apostolis post resurrectionem apparens, sua eis ostendit vulnera, dicens: *Videte manus meas et pedes meos* (Luc. 24, 39). Quasi dicat; videte, quo affectu, quo ardore vos dilexerim, videte meum in vos amorem, qui tantus extitit, ut pro vobis hæc vulnera æquo animo pertulerim. Unde doctissimus Hugo Cardinalis hæc Christi exponens verba, sic ait: *videte affectus meos erga vos et alios*; seu in vulneribus, qua ostendo vobis, et qua pro vobis passus sum, videte quanto affectu vos amaverim. Per prophetam declarat Deus, quod nos dilexerit: *Dilexi vos* (Malach. 1). Multi tamen ita ingrati reperiuntur, ut acceptorum a Deo beneficiorum inmemores petant, in quo Deus eos dilexerit: *Dilexi vos, dicit Dominus, et dixistis: in quo dilexisti nos?* Hæc si quaeremus a Deo, in quo nos dilexerit, nonne innumera recensere posset beneficia, sui in nos amoris egregia monumenta? Nonne a Deo sunt bona animæ et corporis, bona gratiæ, nature, fortune, et omnia quibus fruimur? Quid habes, homo, quod non accepisti? Nil certe in te boni, quod a Deo non acceperis et quod sui in te amoris testimonium non sit. Verum si scire velis, in quo te specialiter Deus dilexerit, vide vulnera qua pro te passus est: *videte manus meas et pedes meos, videte affectus meos*. Hæc apostolis hodie ostendit Christus; quasi dicat, ecce in quo dilexi vos, ecce quantum extitit meus in vos amor. Adnotat sanctus Joannes Evangelista, quod Christus apostolis

apparens, eis specialiter lateris sui vulnus ostenderit; *ostendit eis manus et latus*. Hoc lateris vulnus speciali attentione contemplantur sancti Patres, ac quaerunt, cur illud apostolis Christus ostenderit? nec hærent in danda hujus rei ratione; respondent enim unanimiter cum S. Bernardo, quod sacrum hoc vulnus Christus ostenderit, *ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videremus*. Quod autem de lateris vulnere dicunt sancti Patres, hoc et de omnibus externis corporis Christi vulneribus asserere licet. Ostendit enim Christus apostolis vulnera externa corporis, ut per hæc vulnera, quasi per rimas et aperturas, viderent vulnus amoris, quo sauciabatur cor ejus, et agnoscerent quanto eos amore prosequeretur. Ad hæc Christus sua apostolis visenda præbuit vulnera, ut suum iis patefieret amorem, *simulque eos et nos in fide firmaret*.

2. Cum Christus apostolis apparuit, dixit eis: *Videte manus meas et pedes meos* (Luc. 24, 39). Dixit eis etiam: *Palpate et videte*: quasi dicat: videte, imo et si vellitis, mea tangite vulnera, et certi estote, quod non sim phantasma vacuum et inane: certo scitote quod sim Dominus et magister vester; quod sim ipsemet qui vobiscum tanto tempore versatus sum; quod sim ipse qui coram vobis toto prodigia operatus sum, et qui pro vobis mortuus sum; hæc scitote, nec ullo modo de iis dubitatis: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte*. Cur toties Christus apostolos ad videnda vulnera invitavit, dicens: *Videte, videte?* Nonne satis erat, quod eis vulnera videnda exhiberet? Ad quid ergo hæc iterat verba: *videte, videte?* Ea iterat, eosque ad videnda vulnera pluries invitavit, ut visione vulnerum firmentur in fide resurrectionis Christi et deinde resurrectionis fidem in universo orbe prædicent: *palpate et videte*, inquit sanctus Petrus Chrysologus, *ut effundant toto orbe terrarum hæc vulnera fidem*. Sanctus Thomas, qui cum aliis apostolis non erat, cum Christus eis sua ostendit vulnera, eum resurrexisse credere non poterat, et ideo dicebat: *nisi videro in manibus ejus fluxuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (Joan. 20, 25). Alii apostoli, postquam

etiam Christi suscitati vulnera viderunt, eum resurrexisse non adhuc firmiter credebant: *Adhuc autem illis non creditibus* (Luc. 24. 41). Si autem apostoli, postquam Christi a mortuis excitati vulnera viderunt, eum a mortuis surrexisse vix crediderunt; quomodo ejus resurrectionem credidissent, si ejus vulnera minime vidissent? De ea forte plus dubitassent, quam Thomas. Et si apostoli, qui erant Ecclesie columnæ, nutassent in fide et de Christi resurrectione dubitassent, quis eum resurrexisse credidisset? Nullus quidem. Et si nullus eum resurrexisse credidisset, nullus etiam credidisset eum vere fuisse Messiam: nullus etiam fidem adhibuisset sacramentis, quæ ipse instituerat et mysteriis quæ revelaverat, quia, ut docent sancti Patres, Christi resurrectio est sigillum, probatio et confirmatio omnium mysteriorum, quæ operatus est in hoc mundo. Ideo ergo sua Christus apostolis ostendit vulnera, ut firmiter ipsum resurrexisse credant, et ut resurrectionis fidem per totum orbem effundant: *Ut effundant toto orbe terrarum hæc vulnera fidem*. Denique sua Christus apostolis ostendit vulnera, ut eos ad patientiam excitet.

3. Prævidebat Salvator, apostolos dira perpessuros in prædicatione evangelii; scientia sua infinita agnoscebat, quanta ipsi passuri essent a judæis, a gentilibus, ab imperatoribus et a tyrannis; fidecirco ut eos ad gravia quæque patienter ferenda excitaret, sua vulnera iisdem inspicenda exhibuit: *ostendit eis manus et latus*. Quo facto dicit; o apostoli mei, probe scio, quod illud, carceribus mancipari et gravissimis suppliciis affici debeatis; non me latent omnia tormenta quæ passuri estis. Jamvero sicut pro amore vestri hæc vulnera, quæ ostendo vobis, æquanimiter perpessus sum, ita peto a vobis, ut pro mei amore dira quævis supplicia perferre haud formidetis. In libro primo Machabeorum (6, 34) legitur, milites sanguinem, aut sanguinis aliquam speciem, sive muros vel uvæ, rubras elephantis ostendisse, ut eos ad prælium accenderent; *elephantis ostenderunt sanguinem uvæ et mori, ad acuendos eos ad prælium*. Sic Christus totum terrarum orbem ut prælii locum inspicit, in quo et apostolos et martyres et omnes fideles cer-

tare et gravia pati oportet ut igitur eos ad strenne decertandum et ad gravia patienter sustinenda excitet, vulnera, ex quibus pretiosus fluxit sanguis, apostolis ostendit. Nimirum, ut loquitur S. Bernardus, eis sua ostendit vulnera, *ut animos erigat, atque exemplo sui eos reddat ad tolerandum fortiores*. Hæc vulnera, quæ Christus apostolis objicit, sunt quæ ora aperta, quæ clamant; *Clamant clacus, clamant vulnera*, inquit S. Bernardus. Quid hæc clamant vulnera? Certe non apostolis tantum, omnibus etiam hominibus clamant, ut exemplo Christi cuncta adversa benigne, patienter et æquanimiter ferant. O homo! si podagra, dysenteria, calculo, vel gravi alio quovis laboras morbo, inspicie Christi vulnera quæ clamant, omnia patienter ferenda; *Clamant clacus, clamant vulnera*. Si paupertate maxima gravaris, si ab omnibus derelinqueris, ab hostibus opprimeris, et aliis multis adversis affligeris, si natura et passiones mæstitiam, impatientiam, iram et desperationem tibi suadent, respice Christi vulnera, quæ clamant, omnia quantumvis dura et aspera pro ejus amore patienter toleranda. Cum aliquando sanctus Petrus martyr accusaretur gravis cusjordan criminis, cujus erat innocens, cumque hæc diu calumniam æquo animo perpessus esset, tandem lædæ confectus, coram Christi crucifixi imagine orans, dicebat: O Domine, tu meam nesti innocentiam, tu scis, me insontem esse criminis, quo accusor, cur ergo sinis, me tam gravi calumnia affici? Cur permittis me tam diram persecutionem pati? Cui Christus crucifixus respondit; Et ego quid mali facerem? Nonne etiam te innocentior? Et tamen diriores passus sum calumnias et persecutiones, quam tu; exemplo meo discere dura quævis patienter tolerare. O fratres, hoc et vos omnes discite; cumque aliquid adversi vobis accidit, respicite in faciem Christi vestri, ad Christi crucifixi effigiem oculos convertite, videte vulnera, quæ pro vobis passus est; quæ clamabunt, vobisque dicent, omnia patienter ferenda pro amore illius, qui tot et tanta pro vobis pertulit. Patienter ergo portate quævis adversa, aspicientes vulnera Christi, qui tam gravia pro vobis pertulit. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*.

aspicientes in authorem fidei (Hebr. 12). Ecce rationes, propter quas Christus apostolis vulnera sua ostendit. *Videamus, cur illa aut saltem eorum cicatrices in corpore suo seruet.*

III PARS.

Cur Christus vulnera in corpore suo retinet?

Christus, cujus potentia infinita, ita quidem vulnera sua curare poterat, ut nullum eorum remaneret vestigium; cicatrices ita tollere, ut nullae passionum et tormentorum reliquiae in corpore ejus apparerent. Voluit tamen, ut ait Rupertus abbas, quinque vulnerum cicatrices retinere ad sui gloriam, ad nostri bonum et ad reproborum confusionem. 1. Ad sui gloriam; *Sibi ad gloriam.* 2. Ad nostri bonum, *nobis ad gratiam.* 3. Ad reproborum confusionem, *inimicis vero ad criminatricem sententiam.*

1. Putat D. Augustinus, martyres cum vulnerum suorum cicatricibus resurrecturos, easque perpetuo retenturos ad majorem sui gloriam, quia cum causa vulnerum preclara est, cicatrices quae remanent, sunt signa gloriosa meritum et virtutis ejus, qui illa excepit. Sicut autem martyres ad sui gloriam vulnerum cicatrices in corpore suo retinebunt, ita et Christus ad sui gloriam cicatrices retinuit. Poterat Christus manuum, pedum et lateris cicatrices abolere, inquit V. Beda, verum eas ad sui gloriam retinuit, ut scilicet in perpetuum essent signa triumphii, quem de hostibus reportavit. *Ob signum perpetis victoriae, vulnerum cicatrices caelo inferre maluit, quam abolere.* Si aliquis fortissimus miles, scribit V. Beda, jubente rege suo, pro totius gentis salute singulari certamine desudans, multis quidem vulneribus exceptis, hostem tamen interficiat et victoriam suae genti reportet, maximam sibi comparabit gloriam. Si autem peritus adveniens medicus, dicat illi, possum tua curare vulnera quo modo volueris: si velis, ita ea

curabo, ut nulla eorum vestigia remaneant, vel si malueris, sic ea curabo, ut cicatrices remaneant, deformitas tamen prorsus omnis alsi. Respondebit ille haud dubie, se malle sanari ita ut remaneant cicatrices, quia haec sunt gloriosa suae virtutis et triumphii signa. Sic Christus, qui perceptis plurimis in passione sua vulneribus, de tartareo hoste gloriose triumphaverat, poterat quidem sua sanare vulnera, ut nec minimum eorum relinqueretur vestigium; pro sua tamen gloria vulnerum cicatrices remanere maluit, ut essent in perpetuum signum victoriae, quam de humani generis hostibus reportaverat; *ob signum perpetis victoriae, vulnerum cicatrices caelo inferre maluit, quam abolere.* Christus autem non solum ad sui gloriam cicatrices retinuit, etiam ad nostri bonum.

2. Eas etiam retinuit, ut coelesti illas Patri commoustraret, utque his uteretur ad intercedendum pro nobis apud ipsum et ad iram ejus in nos, licet justissimam, facilius leniendam. Unde S. Ambrosius ait, quinque vulnerum Christi foramina esse quasi tot aperta ora ad Deum pro nobis clamantia gratiam et misericordiam; *tot ora, quot vulnera.* Christus cruci affixus divinum os suum adierit dignatus est, ut gratiam et misericordiam a Patre pro inimicis postularret: *Pater, dimitte illis* (Luc. 23, 34). In caelo necesse non habet os suum aperire, ut Patrem pro nobis exoret, nobisque eum propitium reddat; id unum sufficit, ut vulnerum suorum cicatrices oculis ejus obiciat. Non est necesse, ut ad emolliendum Patris cor, in caelo clamet, dicens: *Pater*, quia tuo vulnerum cicatrices ei ostendit, idem est ac si dicat, tu es Pater meus et ego Filius tuus, sumque filius ita obediens, ut pro tui amore haec vulnera pati non recusarim. Neque est etiam necesse, ut ad obtinendam nobis a Patre gratiam et misericordiam, clamet ad Patrem, *Dimitte illis*; quia cum ei sua representat vulnera, idem est ac si dicat: Pater, supplex te rogo pro haec vulnera, quae in Calvariae monte pro tui amore passus sum, ut peccatoribus indulgeas. Haec tandem Christus servare voluit vulnerum vestigia, ut essent quasi ora aperta ad nostri bonum; seu ut, median- tibus illis, gratiam et misericordiam nobis impetraret. *Tot ora,*

quot vulnera. Antipater Idumæus, magni Herodis pater, postquam in bellis pro imperatore susceptis, plurimis sauciatus fuisset vulneribus, apud ipsum gravissimis ejusdem criminis calumniose accusatus est. Poterat ipse amicorum intercessione, vel magnatum protectione veniam obtinere; aliam viam, eamque efficacissimam tenuit: nam ad Casarem venit et apertopectore, cicatrices in bello pro ipsius causa susceptas ostendit, dicens: *ego, Casar, nolo me verbis apud te accusare; sed ista vulnera, quæ suscepta pro te, loquantur pro me.* Et revera pro illo hæc vulnera ita locuta sunt, ut ab imperatore gratiam et veniam obtinuerit. Ecce quid agat Salvator, adstans æterni Patris tribunal; ei exhibet cicatrices vulnerum, quæ pro ejus gloria et nostri salutis passus est; hæc illi obedientiæ, fidelitatis et passionis suæ signa exhibet, ut cum ad nobis indulgendum moveat; sua oculis ejus objicit vulnera, valuti ora facunda et deserta, quæ potenter efficiunt, ut ille misericorditer et benigno vultu nos respiciat. O quam bonum nobis est, quod has cicatrices Christus in corpore suo retinuerit, cum eas servaverit ad gratiam nobis obtinendam. E contra quam terribiliter reprobus in judicio, cum videbunt Christi, quas cicatrices tunc ad illorum confusionem erit ostensurus.

3. Dicebat sæpius Alexander magnus, quod *quantumvis sanetur vulnus, quod illatum est, manent tamen cicatrices*, id est, quod maneat semper memoria acceptæ injuriæ, licet dolor abscesserit. Ita sane; licet Christus a multo tempore gravem passus sit injuriam a peccatoribus, nec ullum amplius dolorem sentiat, manebit tamen memoria scelerum contra impunitentes et ideo ut eis confusionem ingerat, in die iudicii eis ostendit vulnera, quæ pro eorum salute passus est. Omnes quidem hæc videbunt vulnera, justi, ut ea demirentur et ut benefactori suo gratias agant; reprobi vero, ut confundantur, eo quod ex gratis per illa vulnera acceptis nullum emolumentum perceperint: *reprobi videbunt in quem transfecerunt*: videbunt vulnera, quæ ad delenda eorum peccata Christus pertulit; hæc videbunt et operientur confusione, eo quod ex Christi vulneribus et ex sanguine ejus pro illis fuso nullum

fructum elicuerint. Spiritu prophetico a Christo petebat Ezechiel propheta, ut sua peccatoribus vulnera ad eorum confusionem ostenderet. *Tu autem, fili hominis, ostende domui Israël templum et confundantur ab iniquitatibus suis* (43, 10). O peccatores, hoc sane templum criminibus vestris diratum Christus in die iudicii vobis ostendet, vulnera tunc exhibebit quæ pro vobis passus est, ac ad vestri confusionem dicit: *Ecce hominem quem crucifixistis, videtis vulnera quæ inflizistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam pro vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis* (S. Aug. de simb. 2, 8). Quanta manebit peccatores confusio, cum Christum vulnera ostendentem et sic loquentem audient! Quantum tunc confundentur, qui sacratissima hæc vulnera blasphemio suo ore tam facile proscederunt! Quanta confusione perfundentur, qui hos salutis fontes contempserunt et neglexerunt!

O peccator, menti tuæ objice Christum in extremo iudicio sua tibi vulnera ostendentem, ac dicentem, vide vulnera quæ pro tui salute suscepi, vide hæc vulnera, quæ pertuli, ut æterno Patri te reconciliarem, ut a peccati servitute te redimerem et ut tibi ostia paradisi aperirem; vide hæc vulnera, o quibus fluxit sanguis ad tui, totiusque orbis lavauda crimina; vide tandem hæc vulnera, quæ toties Patri representavi, ut ab ipso gratiam et misericordiam tibi impetrarem; tu vero tam ingratus fuisti, ut me, meaque vulnera contempseris, ac sanguinem meum conculcaveris: scito tamen quod non amplius gratiam et misericordiam pro te postulabunt hæc vulnera; quin contra indesinenter clamabunt ad Patrem, ut vindictamumat de inimicis meis. O terrorem! o formidinem! o confusionem! Eja, o peccator, dum adhuc hæc vulnera quasi ora aperta, pro tui salute loquuntur ad Patrem, ad has civitates refugii advola; ingredere hæc foramina petre; in fossa, hac humo quære presidium et solatium. *Ingredere in petram et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini* (Is. 2, 10). Enixe Deum roga, ut horum vulnerum virtute gratiam tibi in hoc mundo et gloriam in paradiso conferat. Amen.

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

DE BONO PASTORE.

Ego sum pastor bonus (Joan. 10).

Cam Christus cœli, terræque Dominus sit, nostris non eget opibus, nostrâ non indiget opera, nilque ad sui emolumentum a nobis expectat. Licet autem nec opibus, nec subsidio nostro opus habeat, singulari tamen nos amore prosequitur: utque suum in nos manifestet amorem, varia, nunc nutrii, nunc medici, modo magistri et modo pastoris sortitur nomina; quæ omnia suum in nos amorem mirum in modum patefaciunt. Si esuriamus, ipse se nutritum nostrum dicit: *Ego quasi nutritus Ephraim* (Osee 11, 13). Si animæ et corporis infirmitatibus gravemur, ipse in hunc mundum venit ut medius, *qui omnes male habentes curavit* (Matt. 8, 16). Si ignorantie tenebris involvamus, ipse se magistrum nostrum exhibet, vultque magister noster esse et vocari: *Vos vocatis me magister et dominus, et bene dicitis, sum etenim* (Io. 13, 13). Ac tandem totum genus humanum velut gregem suum inspiciens, se bonum pastorem declarat: *Ego sum pastor bonus*. Non dicit hodie Christus: ego sum iudex, ut adversus vos sententiam dicam; ego sum tyrannus, ut vos opprimam, ego sum Dominus, ut vestra omnia rapiam. Ut nos ad sui amorem alliciat, ait: *Ego sum pastor bonus*. Vere pastor bonus est Christus, qui omnia boni pastoris munera pro grege sibi credito summo affectu obit. Vere pastor bonus est Christus, omniumque pastorum exemplar, ad quod respicere debent omnes animarum pastores, ut ei conformes efficiantur. Eum in hac concione in exemplum ab animarum pastoribus imitandum proponam. *Ace.*

Totus genus humanum grex est Christi Salvatoris, qui tot regimini suo commissas habet oves, quot homines a Deo conditi sunt. Nec ulli melius committi poterant, quam zelantissimo huic pastori, qui gregem suum pavit verbo, prævit exemplo et curavit subsidio. *Gregem quidem suum pavit verbo*, cum in vicis et plateis, in montibus et in cruce populis prædicaverit; apostolosque in universum mundum miserit, ut undique prædicationis sonus audiretur. *Gregem etiam suum prævit exemplo*, cum miranda humilitatis, patientiæ, charitatis, omniumque virtutum exempla semper et ubique ediderit. *Gregem tandem suum curavit subsidio*, cum non solum toto vite sue tempore, pro ovium suarum profectu laboraverit, at etiam pro earum salute acerbam mortem objerit, animamque peramanter posuerit: *Animam meam pono pro ovibus meis* (Io. 10, 14). Ecce qualis pastor fuerit Christus et ecce etiam quales esse debeant pastores animarum. Ut enim suo debite fugantur officio, gregi suo debent verbum, exemplum et curas: vel, quod idem est, gregem suum debent pascere, præire et curare: 1. *pascere* verbo: 2. *præire* exemplo: 3. *curare* subsidio.

I PARS.

Pastores animarum gregem suum pascere debent verbo.

Verbum Dei est animæ cibus; et sicut cibus materialis necessarius est corpori, ita verbum Dei necessarium est animæ. Unde sicut caro sine materiali cibo attingatur, debilitatur et moritur, ita et anima, si verbi divini cibo non pascatur, arefcit et ad omne bonum inutilis efficitur; *quomodo caro per famem sicca et tenuis velut quoddam simulacrum efficitur; ita et anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida, inutilis et ad nullum opus bonum congrua invenitur* (Aug. ser. 56, de tem.). Populus quidem spirituali hoc verbi Dei cibo indiget; quis autem dabit populo hunc panem ad manducandum? Quis exhortabitur eum in omni patientia et doctrina? Ad hoc sane

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

DE BONO PASTORE.

Ego sum pastor bonus (Joan. 10).

Cam Christus cœli, terræque Dominus sit, nostris non eget opibus, nostrâ non indiget opera, nilque ad sui emolumentum a nobis expectat. Licet autem nec opibus, nec subsidio nostro opus habeat, singulari tamen nos amore prosequitur: utque suum in nos manifestet amorem, varia, nunc nutrii, nunc medici, modo magistri et modo pastoris sortitur nomina; quæ omnia suum in nos amorem mirum in modum patefaciunt. Si esuriamus, ipse se nutritum nostrum dicit: *Ego quasi nutritus Ephraim* (Osee 11, 13). Si animæ et corporis infirmitatibus gravemur, ipse in hunc mundum venit ut medius, qui omnes male habentes curavit (Matt. 8, 16). Si ignorantie tenebris involvamus, ipse se magistrum nostrum exhibet, vultque magister noster esse et vocari: *Vos vocatis me magister et dominus, et bene dicitis, sum etenim* (Io. 13, 13). Ac tandem totum genus humanum velut gregem suum inspiciens, se bonum pastorem declarat: *Ego sum pastor bonus*. Non dicit hodie Christus: ego sum iudex, ut adversus vos sententiam dicam; ego sum tyrannus, ut vos opprimam, ego sum Dominus, ut vestra omnia rapiam. Ut nos ad sui amorem alliciat, ait: *Ego sum pastor bonus*. Vere pastor bonus est Christus, qui omnia boni pastoris munera pro grege sibi credito summo affectu obit. Vere pastor bonus est Christus, omniumque pastorum exemplar, ad quod respicere debent omnes animarum pastores, ut ei conformes efficiantur. Eum in hac concione in exemplum ab animarum pastoribus imitandum proponam. *Ace.*

Totus genus humanum grex est Christi Salvatoris, qui tot regimini suo commissas habet oves, quot homines a Deo conditi sunt. Nec ulli melius committi poterant, quam zelantissimo huic pastori, qui gregem suum pavit verbo, prævit exemplo et curavit subsidio. *Gregem quidem suum pavit verbo*, cum in vicis et plateis, in montibus et in cruce populis prædicaverit; apostolosque in universum mundum miserit, ut undique prædicationis sonus audiretur. *Gregem etiam suum prævit exemplo*, cum miranda humilitatis, patientiæ, charitatis, omniumque virtutum exempla semper et ubique ediderit. *Gregem tandem suum curavit subsidio*, cum non solum toto vite sue tempore, pro ovium suarum profectu laboraverit, at etiam pro earum salute acerbam mortem objerit, animamque peramanter posuerit: *Animam meam pono pro ovibus meis* (Io. 10, 14). Ecce qualis pastor fuerit Christus et ecce etiam quales esse debeant pastores animarum. Ut enim suo debite fugantur officio, gregi suo debent verbum, exemplum et curas: vel, quod idem est, gregem suum debent pascere, præire et curare: 1. *pascere* verbo: 2. *præire* exemplo: 3. *curare* subsidio.

I PARS.

Pastores animarum gregem suum pascere debent verbo.

Verbum Dei est animæ cibus; et sicut cibus materialis necessarius est corpori, ita verbum Dei necessarium est animæ. Unde sicut caro sine materiali cibo attingatur, debilitatur et moritur, ita et anima, si verbi divini cibo non pascatur, arescit et ad omne bonum inutilis efficitur; quomodo caro per famem sicca et tenuis velut quoddam simulacrum efficitur; ita et anima, si verbi Dei cibo non pascitur, arida, inutilis et ad nullum opus bonum congrua invenitur (Aug. ser. 56, de tem.). Populus quidem spirituali hoc verbi Dei cibo indiget; quis autem dabit populo hunc panem ad manducandum? Quis exhortabitur eum in omni patientia et doctrina? Ad hoc sane

tenentur omnes prædicatores juxta talenta sibi a Deo concredita. Si enim talentis sibi datis ad proximi salutem non utantur, in eandem forte penam incurrunt, quam subit inutilis ille servus, qui in terra abscondit talentum sibi a domino suo traditum, de quo dicitur, quod æternum adjucatus fuerit supplicis: *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores* (Matt. 25, 30).

Terribilem hanc sententiam timere quidem habent quotquot a Deo ad apostolicum prædicandi munus vocati sunt: at magis trepidare debent animarum pastores, quibus ex officio incumbit onus pasceendi gregem, seu verbum Dei disseminandi, his etiam specialiter dicitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum* (Is. 58, 1). His etiam specialiter declarat Spiritus sanctus, quod si culpa eorum perierit impius, quia scilicet noluerit eum monere et exortari in doctrina sana, sanguinem ejus ab iis requiret, seu ab iis rationem exiget anime illius, quæ culpa eorum perit: *sanguinem autem ejus de manu tua requiram* (Ezec. 3, 18). Timeant ergo pastores illi, qui quasi canes nuti latrare non valent: timeant animarum pastores, quibus licet ex officio onus prædicandi et Dei verbum annuntiandi incumbat, eructare nesciunt verbum bonum, populumque defectu cibi spiritualis fame perire sinunt; timeant, ne animarum sua culpa perditarum rationem ab ipsis Deus requirat. Cum Christus Dominus sanctum Petrum universalis Ecclesiæ pastorem instituere voluit, interrogavit illum primo de amore, dicens: *Simon Joannis amas me?* Ideo illum primo de amore interrogat, quia prima virtus, qua florere debent animarum pastores, est caritas in Deum. Postquam semel, bis et ter audivit Christus Petrum respondentem: *Tu scis, Domine, quia amo te*; semel, bis et ter præcepit ei ut gregem suum pasceret: *Pasce oves meas, pasce agnos meos*. Cur toties hæc verba repetit Christus? Cur toties summum Ecclesiæ pastorem Petrum ad pasceendum gregem excitat? Quia postquam animarum pastores Deo reddiderunt quas Deo debentur, totos se dare tenentur salutem animarum; easque, quantum fas erit, pascere debent verbi Dei pabulo, ut illas spiritualiter nutriant et salvent. Unde sanctus

Petrus, qui pastorale a Christo onus acceperat, aliis omnibus animarum pastoribus dicit: *pascite qui in vobis est gregem Dei*. Quasi dicat: *pascite gregem curæ vestræ demandatum: pascite eum in doctrina bona et sana: pascite eum, ut Dei voluntati pareatis: pascite enim, ut sanguinem ejus de manu vestra Deus non requirat et ut reprobi non efficiamini*. Castigabat corpus suum D. Paulus, illudque diris cruciabat mortificationibus: *castigo corpus meum et in servitutem redigo*. Cujus rei rationem addicit, dicens: *ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobos efficiar* (1 Cor. 9, 27). Timebat reprobos fieri apostolus, cum prædicaverit. Nonnulli animarum pastores timere debent terribilem reprobationis sententiam et cum prædicant et cum non prædicant: cum prædicant, quia vana, ridicula et exitiosa sæpe prædicant; quia sæpe specialia auditorum vitia magno cum scandalo promulgant; quia non Dei, verum sui gloriam, suamque utilitatem querunt; vel quia clamant, non ut Deum glorificent, potius ut inordinatarum passionum suarum impetu satisficiant; hi timere debent, ne a Deo reprobandur, quia gregem non pascent, sed scandalizant; quia populo non panem, seu Dei verbum, sed nugas et commenta quæ passio vel imprudentia suggerit, administrant. Timeant pastores, cum sic prædicant: neque minus ipsis timendum, cum non prædicant, quia si parvulis panem non frangant; si pueros, rudes et ignaros non erudiant; si adversus vitia non clament et si defectu pabuli oves eis commissa pereant, ipsi simul cum ovibus peribunt et reprobanduntur.

Eximus pastor Paulus, congregatis multis, quibus prædicaverat, ait: *Vos scitis quomodo nihil subtraxerim utilitum, quominus annuntiarem vobis et docerem vos publice et per domos*. Et paucis interjectis, subdit: *quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium* (Act. 10). O quam felix D. Paulus, qui mundus est a sanguine ovium suarum, et cujus culpa nulla ex ovibus perit! O quam felix etiam quilibet alius pastor, qui cum divo Paulo dicere potest: *mundus sum a sanguine omnium*; vel, *mundus sum a sanguine ovium*, quia nulla ex eis est, cui cibum spirituale non administra-

verim, nullaque ex eis culpa mea perit. Beatus sane ille servus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem, a distribuendo spirituali cibo non desistentem; ac ita verbum Dei annuntiantem, ut ignarus erudiat, rebelles comprimat, peccantes corripiat, nullaque ex ovibus sua culpa pereat. Certa hujusmodi pastorem magna Deus in caelo dignitate donabit, et *super omnia bona sua constituet eum* (Matt. 24, 41). Vae autem pastoribus improbis, qui plus de venatione, quam de praedicatione satagunt; qui plus de colligendis pecuniis, quam de distribuendo pane spirituali curant; qui toti sibi sunt, suisque temporalibus emolumentis, et parum aut nil de grege solliciti; inde fit, ut eorum culpa oves pereant. Vae his pastoribus, quia de ovibus perditis rationem reddent, ac forte aeternis ignibus adjudicabuntur eo quod mundi non inventientur a sanguine ovium suarum. Cum Isaias propheta coelestes audisset spiritus summa cum reverentia Deum laudantes, ac ineffabili cordis affectu clamantes; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*; se infelicem censebat, eo quod taceret ipse, nec simili affectu in Dei laudes prorumperet: *Vae mihi, quia tacui*. Pari ratione, quam infelices illi pastores, qui a Dei laudibus abstinent, qui minus religiose preces suas recitant, aut qui aliquam earum partem omittunt; hi sans dicere possent: *Vae mihi quia tacui*. Atque hoc potissimum sibi habent exprobrare multi illi pastores, qui gregem suum Dei verbo pascere, aut nescierunt, aut noluerunt; hoc sane dicere deberent, et hoc quisque eorum in inferno dicit, et mille repetet. Quisque ex his pastoribus in inferno existens mente revolvit quotquot ex ovibus suis defectu pabuli spiritualis perierint, ac secum ipse dicit: si hos et illos homines docuissem mysteria fidei; jam ob suam ignorantiam hic non cruciarentur; si hos et illos impios fortiter corripuissem, a peccatis declinassent, et in hunc locum tormentorum non venissent; si verbum Dei disseminassem, tum afflictis, tum infirmis, tum obduratis quibusvis peccatoribus, ac omnibus meo regimini demandatis, ex his multi salvi facti fuissent et ego aeternis istis suppliciis una cum illis haud cruciarer; ideo *vae, vae mihi, quia tacui*. Sic clamabant in inferno pastores, qui

oves suas coelestis doctrinae pabulo non nutrierant. Itaque, pastores animarum, ne vos frustra poniteat tacuisse, nec in inferno inutiliter dicatis: *vae mihi, quia tacui*; ne taceatis nunc; clamate fortiter, magno cum zelo praedicate et populi vestri peccata solerter corripiate: *Clama, ne cesses*. Clamate, praedicate, peccatores arguite, obsecrate, increpate, ut eos a peccatis revocetis: *praedica verbum, in sta opportune importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina*. Nec dicatis, duros et rudes esse auditores vestros: quia non omnes auditores vestri tales sunt; et si ex his aliqui sint duri, qui verbo Dei resistent, alii dociles inventiuntur, quorum aliquis benigne recipiet verbum et ex eo plurimum eliciet emolumentum: Insuper mementote, quod si prima, secunda et tertia vice peccatori non suadeatis, ut derelinquat vias suas, forte quarta vel quinta vice, vel cum Deo plauerit, rebelles et indurati quique peccatores vel totaliter convertentur, vel saltem minus peccabunt. Ideo constanter verbo Dei oves pascite, monete, corripite et expectate in omni patientia et longanimitate. Ne despiciatis pauperes; quia talium magis quam aliorum est regnum caelorum; et Christus missus est praecipue, ut pauperibus evangelizaret: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me* (Luc. 4, 18). Nec dedignemini fidei elementa pueros docere: hoc etenim facere non dedignati sunt Apostoli, necnon insignis Ecclesiae Doctores; et de Joanne Gersono cancellario parisiensi fortur, quod hoc minus sepe et jucunde obire solitus sit. Cumque obtrectarent nonnulli, tanquam hoc minus tanto viro indignum esset, ad Christum orationem suam dirigens, ait: « O Bone Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos, quando tu usque ad castissimos puerorum amplexus brachia inclinas et circumligas? Absit ergo, ut indignum sit parvulorum animas plantare et rigare. Venite igitur parvuli ad me; ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis: sic Angelos nostros vicissim letificabimus ». Sic, o pastores, non solum magnos, etiam parvos ac omnes cura vestre demandatos pascite et verbo salutis imbuite. Cumque id perfeceritis, attendite quod

ulterius animarum pastores gregem suum *vigili studio debent præire exemplo.*

II PARS.

Pastores animarum gregem suum debent præire exemplo.

Muneri suo non satisfacit animarum pastor gregem verbo tantum pascendo; quid enim proderit verbo docere, si exemplo non confirmet quod dicit? Quid proderit, si unum dicat et aliud operetur? Qua ratione docebit alios mundi divitias, delicias et honores contemnere, si ipse ea querat et ambiat? Quomodo humilitatem suadebit superbus, castitatem libidinosus, liberalitatem avarus, mansuetudinem iracundus? Quid proderit, quod verbis quid agendum sit dicat, si operibus contradicat; hoc quidem parum, aut nihil prodesset. Imo qui nummum prædicaret et aliud faceret, daret auditoribus occasionem murmurandi ac dicendi: *Qui prædicat non furandum, furaris: qui dicit non moechandum, moecharis* (Rom. 2, 21). Et ideo dixit S. Hieronymus: *Non confundant sermonem tuum opera tua: ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc quæ dicitis, ipse non facis?* Hoc sane dicerent auditores, si pastor exemplo suo et bonis moribus non prælueret: propterea pastor virtutibus et exemplo suo gregem anteire debet, ut verbum prædicationis cum fructu ostendat. Ad hæc pastor oves, seu eos, qui regimini ejus subduntur, debet etiam virtutibus anteire, ut eos ad bonum peragendum alliciat. Ut enim præclare dixit Plutarchus: *efficacissimum exhortationis genus est, id principem facere, quod ab aliis fieri velit.* Dic tu, quod efficacissimum exhortationis genus est, id pastorem facere, quod ab aliis fieri velit, quia pastorum exempla subditos alliciunt ad id faciendum quod a pastoribus fieri vident: et erubescerent subditi, si bonum non operentur, quod prosequuntur pastores, ac si iisdem non incumbere virtutibus, quibus pastores fulgent.

De Agesilao Lacedæmoniorum principe fertur, quod cum milites suos ad aliquod opus peragendum inducere vellet, primus ipse coram illis ad tale opus periciendum se accingeret: quo exemplo milites ejus, quasi pudore suffusi, ad idem opus agendum stimulantur, moxque manum operi admovebant. Idem sane accidit animarum pastoribus: cum enim actionibus humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, charitatis et aliarum virtutum hi se exercent, fideles eorum curæ commissi ipsorum exemplo ad similia agenda excitantur; et erubescerent, si pastorem præclaris virtutibus insignitam aliquo modo non imitentur. Erubescerent subditi, si essent gulosi coram pastore abstinentiæ virtute insignito; si essent immodesti coram pastore modestiæ virtute predicto; si loquaces coram pastore taciturno; si superbi sub pastore humili; quia, ut ait S. Bernardus, *erubescunt superbi esse discipuli, si eos in humilitate processerint magistri.* Narrat Diodorus Siculus, quod aulici regum Æthiopiæ indecorum arbitrabantur, si rege eorum claudo vel monoculo, ipsi recte incederent et duos oculos haberent: *turpe existimabant, rege claudo, non omnes amicos claudos esse.* Si erubescerent, turpiusque censerent inferiores bene morati, si pastore præclaris virtutibus fulgente, ipsi iisdem non incumbere. Oves ergo suas exemplo antecant pastores; ac ferventer omnis virtutis actibus incumbant, ut rubore perfusi subditi ad similes actus eliciendos excitentur. Hæc quoque de causa pastores bono exemplo oves præire debent, *quia oves in pastores respicere solent, eorumque sive bona sive prava exempla imitari.* Quod præclare docet sanctus Dionysius, cum pastorem animarum vocat *speculum subditorum*: pastores enim animarum sunt vere subditorum specula, quia sicut ad presentiam speculi faciem et gestus suos componere solent mulieres; ita ad vitam, mores et actiones pastorem se componere solent, qui eorum regimini subduntur; eosque mores sive bonos, sive malos ut plurimum induunt subditi, quos in pastoribus apprehendunt. Unde dicit Spiritus Sanctus, quod *qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea* (Eccli. 10, 2). Quod et de pastoribus animarum dicendum; qualis enim pastor,

tales sunt et oves: si pastores sint humiles, mansueti, casti et sobrii, tales etiam esse solent subditi; et e contra, si pastores sint elati, superbi, discordes et libidinosi, iisdem plerumque scaten vitiiis, qui eorum curæ demandantur: tales oves, qualis pastor, qui illas prærit. Quod quam verum sit ut pateat, non displicebit hic adducere Dionysii Syracusani exemplum; de quo refert Plutarchus, quod relicto philosophiæ studio, cui plurimum deditus fuerat, ad fœdas voluptates et ad delicias, quas nec nominare licet, declinaverit. Hunc autem et bene et male agentem imitati sunt ejus aulici, sæpe totos ad ejus mores finxerunt. Cum enim potentissimus ille princeps litterarum studio incubuit, ipsi etiam litteris dederunt operam; cum vero ille libidinibus adhaesit, adhæserunt et illi. Ecce quid accideret solet omnibus animarum pastoribus; qualis enim pastorem est vita, talis et esse solet vita gregis; quales sunt pastoris mores, tales et illorum, qui ejus regimini subsunt; superiorum namque actiones plerumque imitantur subditi, eorumque moribus conformari solent; et præcipue cum pastores liberiori vite indulgent et aliquid mali perpetrant. Videte quid factum sit, nato Christo. Narrat sacer Textus, quod cum audiisset Herodes, natum esse regem Judæorum, ille turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo (Matth. 2). Quod turbetur Herodes, non est mirum: etenim timet, ne rex ille recens natus eum e solo deturbet, eumque regno spoliaret. Cur autem timet et turbatur Jerosolyma, quæ civitas regis magni est, et quæ Christi Salvatoris adventum diu concupierat, summoque affectu optaverat? Gaudere debebat Jerosolyma et non trepidare; lætari et non turbari: cur ergo trepidat, et turbatur simul cum Herode? Hujus rei causa est, inquit Bernardus, quia Jerosolymitani iniquo se regi conformant, eumque imitantur: *videte, fratres, inquit, quantum nocent iniqua potestas, quomodo caput inipiam subditos quoque sua conformat impietati* (Serm. 3 de Epiph.). Idem plane in qualibet communitate et in quocumque grege accidere solet: inferiores enim superiorum, pastorumque suorum exempla speculari solent; et si eos superbos, avaros, libidinosos, ebriosos, vel aliis vitiiis deditos alinotent, eos imitantur. Quod si

quis eos de superbia, avaritia, libidine, vel alio quodam vitio corrigere velit, respondent: cur non faciam quod facit pastor meus? Videant pastores quanta cura conari debeant, ne prava, verum bona grægi exempla exlubcant. Et hoc adhuc magis agere tenentur, quia male pastorum actiones, pravaque eorum exempla sunt quasi pestes, quæ gregem infestant et ad vitia pertrahunt. Fatentur omnes, sensum et cogitationes hominis ad malum prona esse; ac quemque prava sua propensione ad malum facile trahi. Si autem qui ex se ad malum est propensus, pravo etiam pastoris sui exemplo ad illud alliciat, quid non faciet? in quod peccatum non incidet? Nullum sane tam grave, tamque turpe scelus, ad quod non trahatur. Enimvero ait S. Chrysostomus: *si etiam sine exemplis mala homines per se facile inveniunt; quid non facturi existimentur, si pravo aliorum exemplo ad perniciosos actus invitentur?* (de Provid. 1). Quasi dicat, nullum esse malum, ad quod perpetrandum non sit paratus qui pravo aliorum ducitur exemplo. Quod præcipue fitendum de pravis pastorum exemplis, quæ habentur quasi pestes, a quibus grex inficitur et elientum mores corrumpunt. Et ideo hujusmodi pastores non in veritatis et justitiæ, sed in pestilentia cathedra sedere dicuntur: quia scilicet prave eorum actiones instar pestis inferiorum mores corrumpunt; hi, inquit Hugo a S. Victore, in cathedra pestilentia sedent, quia pravam opus in exemplum veniens, plures corrumpit. Sicut enim pestilentia facile et efficaciter illos corrumpit, quibus adheret; sic malum exemplum facile et efficaciter nocet (Serm. 1). Igitur, o pastores, a pravis quibusque actionibus, velut a contagiosa peste, abstinete; nullum in vobis videatur pestilens exemplum; bonis exemplis præincoctæ et gregem antea. Ad hoc mille rationibus adduci deberent animarum pastores; verum ne in infinitum mea protendatur oratio, præcedentibus unicam subjungam, ac dicam, pastores bonorum operum exemplis gregem præire debere, ne a Deo maledicantur. Hæc si olim maledixerit Deus pastoribus Israël, eo quod gregi necessaria non suppeditarint, dicens: *quod infirmum fuit non consolidastis et quod ægratum non sanastis* (Exec. 34);

quanto majori ratione his maledicet animarum pastoribus, qui oves pretiosæ Christi sanguine emptas non solum non paverunt neque curarunt, sed, quod pejus est, pravis eas exemplis ad vitia et ad tartara duxerunt? Certe durissimum in hujusmodi pastores imminet Dei iudicium: *iudicium durissimum his, qui præsumunt, fiet* (Sap. 6). Durissimum et formidandum in eos erit Dei iudicium, quia aeterna haud dubio maledictione ferientur; audientque Christum his dicentem: *discedite a me maledicti in ignem æternum. Quod ut vitare valeant, gregem prætere studeant exemplo, ac etiam curare subsidio.*



III PARS.

Pastores animarum gregem suum debent curare subsidio.

Pastores animarum a Deo et Ecclesia instituntur, non ut tota die quiescant, non ut turpi otio indulgeant, non ut somno gravi usque ad prandium sopiantur, non ut longe a commisso sibi grege divagentur, non ut lac et lanam solummodo curent, non ut seipsos et consanguineos oves et honore impleant, non ut iniquis litibus gregem conturbent, dissipent et vastent, imo vero ut portent pondus diei et astus; ut infirmos visitent, nostros consolentur, pauperum necessitatibus occurrant, pusillanimes ad virtutis amorem excitent, peccatores a viis iniquis avertant; ut evellant et destruant, ædificent et plantent; ut gregi summa cura invigilent; utque erga illum omnia charitatis officia sedulo impendant. Ut enim ait S. Joannes Chrysostomus (hom. 29 in ep. ad Tom.), *non est boni pastoris quiescere, sed pro grege sibi credito laborare.* Hæc est differentia inter bonum et mercenarium pastorem, quod mercenario nil est cure de ovibus, sed de lucro et honore: *non pertinet ad eum de ovibus.* Fame pereant oves, infirmetur, peccatis obruantur; officiis divinis non intersint, diebus festis a sacrosancto missæ sacrificio absint, animam salutari penitentiae baptismo mun-

darè negligent, ad sacram Synaxim etiam tempore paschali minime accedant; de his non curat mercenarius; tantummodo cogitat de mercede, de lucro, de ditandis parentibus et de facultatibus ampliandis: *non pertinet ad eum de ovibus* (Joan. 10, 13). Econtra vero bonus pastor ovium cure totus incumbit; in omnibus necessitatibus sive spiritualibus, sive temporalibus eis subvenit; quod infirmum est consolidat, quod ægrotum sanat, quod contractum alligat, quod dispersum quærit; ac omnibus modis gregi subvenit, quasi de eo rationem redditurus: *bonus pastor, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (Hebr. 13). O quam recte sapiunt qui non mercenarios, sed bonos pastores imitati ovibus debita subsidia non denegant, ut supremo judici sui muneris rationem reddere valeant. Bonus pastor debet esse paratus ad dandam propriam vitam pro ovium sibi commissarum salute, uti docet Christus: *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Hoc facit bonus pastor; idemque præstare tenentur omnes animarum pastores, cum de ovium salute agitur. Majus enim bonum est ovium aeterna salus, quam temporanea pastoris vita: ideo sanguinem, vitamque profundere tenentur pastores, cum id requirit animarum ipsis demandatarum salus. Neque semel tantum hujusmodi obligatio ipsis incumbit, verum etiam milies, si fieri posset: *bonus pastor, inquit Chrysostomus, innumeris etiam mortibus seipsum pro ovibus exponere debet.* Si autem animarum pastor pro grege vitam dare teneatur, cum id necessitas exigit, quanto magis pro ovibus necessitatem patientibus se suaque omnia insumat oportet? quanto magis tenetur oves esurientes pascere, errantes reducere, infirmas curare? quanto magis in spiritualibus et temporalibus ovium necessitatibus labores et temporalia bona iis impendere debet? Animarum pastor super se primo et deinde super gregem vigilare tenetur. Super se quidem primo, ut salutis sue consulat: deinde super gregem, non ut oves suas temporalibus bonis spoliet, non ut scrutetur, quid lanæ, quid pinguedinis, quid lactis ex hac, et illa gregis sui ovis eliciat possit; sed vigilare super gregem, quasi de qualibet ex ovibus suis rationem Deo

redditurus: ipsi pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri (Heb. 13, 17). Die, queso, o pastor, quomodo super gregem vigilares, si certo scires et sedulo cogitares, te brevi moriturum, Deoque de grege rationem redditurum? Quomodo pauperum necessitatibus subvenires? quomodo infirmos invires? quanto fervore sacramenta administrares? quanto zelo peccatores ad viam salutis reducere conareris? quanto studio pro cuiusque salute laborares? Sic, sic gregi invigilare et pro grege laborare satage, qua brevi moriturus es et de grege Deo rationem reddes. Egregium vigilantis pastoris animarum exemplum habemus in Jacob, pecorum pastore, qui ovium sibi concreditarum socio oves Laban reddens rationem, ait: *viginti annis fui tecum; oves tuas et capras steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi; ego damnum omne reddebam. Die noctue vestu urebar et gelu, fugebatque somnus ab oculis meis* (Gen. 31, 38-40). O quam vigilans, o quam indefessus pecorum pastor extitit Jacob! Unde ait S. Gregorius (ep. 48); *si sic vigilat et laborat, qui pascit oves Laban, quanto labore quantisque vigiliis debet intendere qui pascit oves Dei!* Vigilate ergo pastores, strenue laborate pro Dei ovibus vobis commissis, de quibus ratio aliquando vobis erit reddenda. Omnes animarum pastores sunt patres spirituales respectu ovium suarum; quia vero major matrum, quam patrum, in filios est vigilantia, majorque cura et sollicitudo, optabat divus Augustinus, ut omnes animarum pastores essent quasi matres gregis sui; volebatque idem sanctus Doctor ab omnibus suo regimini commissis ut mater inspicere, dicens: *me putate matrem animarum vestrarum*. Videte, queso, quanto affectu, quanta sollicitudine, quantoque labore matres filios enutriendis, educandis et ditandis incumbant; attendite, quid non faciant matres pro filiis, cum infirmantur, cum ab inimicis persecutionem patiuntur, cum in vite periculo versantur; investigate, quot noctes insomnes ducant, quot labores obeant, quot subeant pericula, ut sua filiis subsidia praestent; tota fere matrum cura filiorum solatio et subsidio incumbit. O animarum pastores, estote matres erga

greges; hoc pro ovibus agite, quod pro filiis faciunt matres: quamlibet ex ovibus vestris, ut filium inspicite; pro quolibet ex his, qui curae vestrae sunt demandati, sic vigilate, sic laborate, ac si vester esset filius, ac tanto cordis affectu pro grege laborate, ut vos oves non solum ut pastorem et patrem, etiam ut matrem inspiciant et estimant: *me putate matrem*. O quam infelices pastores illi, qui non sunt quasi matres spirituales respectu gregis! Quam infelices, quibus de grege vix ulla sollicitudo, et qui ei in necessitatibus, tum corporalibus, tum spiritualibus, non subveniunt! Infelices quidem hi, quia quotiescumque de bonis ecclesiasticis comedunt, iudicium sibi manducant. Sicut enim qui indigne manducat corpus Christi, *iudicium sibi manducat*; ita et cum pastor, qui gregem non curans de proventibus ecclesiasticis pascitur, iudicium sibi manducat: *indignus lacte et lana convincitur, si non pascit oves. Si non vigilat in custodia gregis, iudicium sibi manducat*. Huiusmodi sane pastores iudicium sibi manducant et ad extremum Dei iudicium tremebundi accedunt, ut ultimam condemnationis sententiam audiant. *Venient ante tribunal Christi; audietur populorum querela gravis; accusatio dura eorum, quorum vivere stipendiis, nec diluere peccata; et eorum, quorum facti sunt duces caeci, fraudolenti mediatores* (S. Bern. in doct.). Auditis autem his accusationibus, ad aeterna inferni supplicia condemnabuntur. O inique pastor, quid tunc tibi proderit divitias, et delicias affluxisse? *Quid tibi, insipiens, deliciae sapiunt. Quid caecos tuos delectant oculos divitiae illae, quibus mercaris tam grave iudicium?* Certe tunc optabis pecunias in mundo non congregasse, ac de bonis Ecclesiae ea solummodo sumpsisse, quae victui et vestitui necessaria erant. Tunc te tadebit, non pavisse gregem verbo, exemplo non illum praesisse et non illum curasse subsidio. Fac nunc quod tunc perfectissime velles in hoc mundo. Imitare Christum, qui gregem suum pavit verbo, praeivit exemplo, curavit subsidio; et postquam illum imitatus fueris hic in terris, cum illo regnabis in caelo. Amen.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

DE LACRYMIS.

Plorabit et flebitis vos, mundus autem gaudebit

(Joan. 16, 20).

Pro famulis sive propinquis inortuis et pro modico pecunie detrimento lugere solent homines; animam autem quotidie perdentes, hoc damnum ne cogitant quidem. Certe sterilis est omnis effusio lacrymarum, quæ ob temporalium bonorum jacturam fit; inanes lacrymæ, quas damnum vel temporale quoddam incommodum extorquet: nec enim pro his rebus, at pro commissis peccatis flendum. Ista potissima et quasi unica fletuum nostrorum debet esse causa: *flere debemus peccata quæ commisimus*, inquit divus Augustinus: *iste fletus sit parvis noster, quem die ac nocte comedere debemus* (Serm. 11 ad fr. de ar.). Et divus Bernardus explicans illa divi Paula verba, *flere cum flentibus*, ait: « numquid Apostolus præcipit flere temporalium rerum amissionem, filiorum mortes, morborum vim, gravitatem inopie, aut fortium potentiam? Absit. Plorandi enim sunt qui taliter plorant: nam religiosa tristitia, aut alienum peccatum læget, aut proprium ». Non de externis, sed de internis lacrymis, seu quod idem est, de interiore dolore intelligenda sunt allata sanctorum Augustini et Bernardi verba; quorum ingenio ut me componam, de detestatione et dolore peccati sub nomine lacrymarum disseram; maximamque earum, si pro peccatis fundantur, utilitatem explicare conabor. Ace.

Non facile capere possumus, quot et quanta ab elementis percipiamus emolumenta, et præcipue ab aqua, quæ sitim

extinguit, febris æstum mitigat, aridam fructificare facit terram, aliaque multa ad hominum utilitatem efficit; ex quibus tria solummodo recensebo, quæ mihi nunc menti occurrunt et quæ proposito meo opportune memini. Hæc autem sunt; quod aquæ naturales, quas ad usus nostros Deus nobis providit, habent virtutem lavandi, extinguendi et portandi: habent virtutem lavandi sordes, extinguendi ignem et portandi homines, naves et mercos in varias orbis partes. Magna sane aquarum illarum utilitas, cum sordida quæque lavare valeant; cum ignem nostrum sublanarem facile extinguant; cumque onera, quantumvis gravia, in varias et dissitas provincias facillime deferant. His aquis tamen aliæ habeantur longe utiliores, lacrymæ scilicet, quia lavant, extinguunt et portant: 1. lavant sordes peccati; 2. extinguunt ignem inferni; 3. portant ad regnum Dei.

I PARS.

Lacrymæ lavant sordes peccati.

Quanta sit turpitudine animæ existens in statu peccati mortalis, quanta sint sordes criminum, quibus inquinatur, haud facile concipimus. Jam sciunt cuncti hujusmodi sordes lavari baptismo, martyrio et Christi passione. Quod autem mirum est, in lacrymis ex corde contrito manantibus est quoddammodo virtus baptismi, martyrii et passionis Christi: quia hæc lacrymæ lavant criminum sordes 1. sicut baptismus; 2. sicut martyrium; 3. sicut Christi passio.

1. Certum est, quod per baptismi susceptionem omnia eluantur peccata, etiam actualia. Baptismus animæ est mors criminum, quia mox ut recipitur, in suscipientis animæ omnis culpa tollitur et penitus abluitor, ita ut homo post baptismi debitam receptionem, ab omni macula et sorde peccati liber remaneat. Etsi anima originali simulque turpibus et enormibus quibusque aliis criminibus fœdatur, tanta est baptismi efficacia,

ut has omnes sordes facillime tollat, animamque ab iis mundam et immunem officiat: *effundam super eos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris* (Ezec. 36, 25). O mirabilem baptismi virtutem! o mirandam etiam lachrymarum hominis penitentis et contriti vim! qua tanta est, ut sint quasi alter baptismus, quo omnes penitus peccati sordes post baptismum contractæ eluuntur et mandantur: *est et baptismus aliquis in compunctione cordis et lacrimarum assiduitate* (S. Ber. ser. I in octav. Pas.). Erraret qui aquam rosaceam, aquam cinnamomi, violarum, vel aliam, per alembicum, vel arte chymica expressam ad baptizandum assumeret. Ast aquæ illæ, quæ ex corde hominis penitentis ab ardentissimo Dei amore educuntur et per oculos eliquantur, animam baptizant et ad omnium peccatorum sordibus lavant. Hæ sunt aquæ lustrales saluberrimæ, quæ omnis peccati maculam ab anima tollunt: *o aqua salutaris, per quam omne peccatum destruitur* (S. Aug. ser. 11 ad Frat.). His aquis S. Petrus post trinam Christi negationem baptizatus est. Graviter quidem in Christum peccaverat, cum eum ter negavit; triplici hæc negatione animam suam conquinavit; jamvero amare flevit et lachrymis ejus ex corde contrito manantibus, veluti baptismis, omnes peccatorum ejus sordes lotæ sunt: *felices, sancte Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habere baptismatis* (S. Leo. ser. 9 de Past.). Eandem virtutem habuere lachrymæ Magdalene penitentis. Erat illa *mulier in civitate peccatrix*, quæ multis eorum peccatorum sordibus animam suam foedaverat; mulier illa, quæ graviter peccaverat, amarissime flevit; ejusque lacrymæ non modo lavandis Christi pedibus inservierunt, verum et sacer fuisse baptismus, quo peccatricis anima lota, omniumque criminum ejus sordes purgatae sunt: *Dominicis pedes lavat lacrymis, crinibus tergit; in peccatricis caput purgandis criminibus refuebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptismum suorum dilueret illuivem peccatorum* (Chrys. serm. de Mag.). Iste lachrymarum baptismus non est quidem sacramentum a Christo Domino institutum: in aliquo tamen

baptismi sacramentum excedere videtur; quia baptismus, ut sacramentum, iterari nequit; baptismus vero lachrymarum est iterabilis. Quotiescumque enim quis peccaverit, toties peccatorum suorum sordes abluet, si de iis doleat et lachrymas ex corde contrito manantes effundat. Hæ lachrymæ sunt *felix lavacrum, quod toties valet ad purgandum, quoties purgari indiget cor humanum* (S. Aug. serm. ad Fr.). Lachrymæ ergo lavant criminum sordes sicut baptismus: *eas etiam lavant sicut martyrium*.

2. Omnibus notum est, martyrio cuncta ablui et deleri peccata: eo ipso enim quo quis martyr pro Christo occumbit, anima ejus ab omni peccatorum sorde libera ad cælum evolat. Unde martyrium vocari solet baptismus sanguinis, quia martyrium velut alter baptismus non per aquam, sed per fuscum sanguinem omnes abluit peccatorum sordes. Quod autem mirum, eadem est lachrymarum ac martyrii virtus; nam lacrymis quasi baptismis sanguinis, omnia lavantur peccata. Non loquor de muliercularum illarum lacrymis, quæ flent ex impetu naturæ, et ut sibi satisfaciant; verum de lacrymis ex corde contrito procedentibus: *istæ lacrymæ*, inquit Chrysostomus, *sunt velut baptismus sanguinis*, quia scilicet omnes criminum sordes abluunt sicut martyrium, quod est baptismus sanguinis. Ad ejus rei probationem affert Chrysostomus, S. Petri et S. Mariæ Magdalene exempla, dicens: « si martyres effundunt sanguinem, peccatores effundunt lacrymas. Meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lachrymarum profudit, et delevit peccata sua. Petrus amare fudit lacrymas, et absternit peccatum; quia istæ lacrymæ sunt velut baptismus sanguinis (in Ps. 50) ». O mirandum lachrymarum virtutem! Non omnes ad martyrii palmam vocantur, non omnibus datum est pro Christo sanguinem fundere; omnibus datum est lacrymari, de peccatis dolere, et criminum suorum sordes lacrymis abluere: ergo lavate lacrymis maculas criminis, sacrum ex lacrymis vestris vobis conficite lavacrum; animarum vestrarum maculas baptismo lacrymarum abluite. Cum quis novit se aliqua in facie deturpari macula, statim eam lavat; sic statim atque ali-

quam peccati maculam animabus vestris inhærentem noveritis, amare flere, hisque lacrymis sicut martyrio, et sicut baptismo sanguinis, omnia peccata vestra ablaentur. Dum autem lacrymæ lavant crimum sordes sicut martyrium, *lavant etiam eas sicut Christi passio.*

3. Certum est, virtute passionis Christi omnia hominum abstergi peccata; aut saltem in passione Christum obtulisse pretiosissimum suum sanguinem, ut eo omnia lavarentur. Et ideo ait S. Iohannes Evangelista, quod Christus laverit nos a peccatis nostris in sanguine suo; *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (Ap. 1, 5). Magna quidem hæc passionis Christi virtus; at magna etiam virtus lacrymarum ex corde contrito pro peccatis fusarum. Sicut in passione Christus ex suo sanguine lavaerum fecit, quo omnium hominum crimina lavarentur; ita et lacrymæ pro peccatis fuisse quasi lavaerum animas ab omni inquinamento peccati lavant; et ut ait S. Chrysostomus, lacrymæ non aliqua duntaxat, sed omnia quæ in anima sunt, peccata abluunt: *lavant lacrymæ congeriem peccatorum.* Unde D. Augustinus ait, quod *lacryma est passioem Christi vicaria.* Lacrymæ enim sunt passionis Christi vicariæ, quia in passione obtulit Christus pretiosum suum sanguinem, tanquam sacrum lavaerum, quo ablui possunt omnes peccatorum sordes; et lacrymæ, tanquam passionis Christi vicariæ, virtute sanguinis illius in cruce fusi, nos a peccatis omnibus abluunt. Miramini lacrymarum virtutem, quæ tanta est, ut omnium criminum sordes abluant. Itaque lacrymas fundite non ob propinquam mortem, vel ob temporalium bonorum jacturam; verum ad delenda in vobis peccata, et ad tollenda ab animabus vestris horrendas criminum sordes; *tristitia enim vobis data est non ut in morte, aut in alia re delectemus; sed ut delectamur peccata* (Chrys. ho. 5. ad Pop.). Audite Christum prohibentem mulieribus, ne super ipsum lacrymas fundant; *nolite flere super me.* Cur, o bone Jesu, flere super te vetas? Tu fundis sanguinem, et nos lacrymas fundere prohibes? Omnia lugent elementa, vel ipsa plorant saxa; et nos pro quibus gravissima pateris, nec flere permittis?

Non prohibet lacrymas Christus; indicat, ipsi gratius fore, si super nos, et ad delenda nostra crimina, quam si super ipsum eas fundamus, unde subdit; *sed super vosipsas flete.* Heu! si arguantur flentes Christum, eo quod præstet lugere propria scelera, quid sentiendum de his, qui desunt, scorta a se auferri; qui desunt, occasiones peccati a se violenter tolli; qui desunt, mancipia diaboli a se morte separari? Illi certe stultissimi habendi nos autem, si sapiamus, super nosipsos flebitus, ut peccata nostra abluamus. Illic debet esse scopus, hic finis, hoc objectum lacrymarum nostrarum. Peccasti? plora, et toto corde ingemisce, ut peccata laves et deleas. Uberes David fundebat lacrymas: *exitus aquarum*, inquit, *deduxerunt oculi mei* (Ps. 118). Ad quid tot ejus lacrymæ? Cur ita flet? Quid ploras, rex sanctissime? Num Bethisabæam repentina morte sublata? Num filium, aut filiam extinctam? Num ab hoste profligatum exercitum? Num ob falsorum amicorum coniurationes? Num ob persecutionem, quam a vassallo tuo pateris? Audite Ambrosium (in Ps. 118), causam lacrymarum Davidis explicantem: *a sancto viro*, inquit, *plus culpa, quam oramina defletur.* Flet, et exitus aquarum deducunt oculi ejus, ut peccata abluat, quæ perpetravit non custodiendo Dei legem? *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Ecce illicitum et motivum, quo ad fundendas lacrymas adduci debemus; non quia puer mortuus, non quia ablata facultates, non ob damnum aliquod temporale; expedit flere ad abluendam animam a peccatis in Deum commissis. Flete ergo ob peccata; flete, et interius flete, seu internus vester sit dolor de peccatis; et hæc lacrymæ peccatorum vestrorum sordes lavabunt, ac etiam ignem inferni extinguent.

II PARS.

Lacrymæ extinguunt ignem inferni.

Erreret gravissime, qui verum dolorem, scelerum expiatorum, in solis exterioribus lacrymis statueret. Licet enim externa illa lacrymæ interni doloris aliquando sint signa, sæpe tamen ex complexionis tempera et humida, sæpe etiam ex motivo mere naturali promanant, et huiusmodi lacrymæ, quantumvis copiose, nec minquam venialis peccati maculam abluere valent. Unde D. Augustinus non externas, sed internas a Deo petebat lacrymas, dicens: *da mihi, queso, Domine Jesu, lacrymas ex toto affectu internas*. Verus hic et internus dolor de peccatis, interna illa lacrymæ descendunt usque ad infernum, tantique illarum est virtus, ut inferni ignem extinguant; 1. si multa sint; 2. etiamsi pauca sint; 3. etiamsi unica sit.

1. Multas in inferno lacrymas fundunt damnati; ibi amare et uberrime flet: *ibi erit fletus et stridor dentium* (Matt. 22, 13). Hæ tamen lacrymæ, licet plurimæ, tartareum non extinguunt ignem, quia ex corde contrito non procedunt. Hunc etiam ignem extinguere non valent rivi, neque flumina ad infernum usque deducta; tantum lacrymæ e contrito corde manantes facile hunc extinguunt: *lacrymæ rigant cælum, diluunt terram, extinguunt gehennam* (Chrys. serm. 93). Peccaverat David, et in inferni rogam mitti timebat; ast multis lacrymis, quas fudit, paratum sibi tartareum ignem extinxit; *tales lacrymæ, quales erant Davidis, ipsum etiam gehennæ incendium norunt extinguere*. Flete similiter vos, qui peccastis, flete, et toto corde ingemiscite; flete interius, totoque corde vos peccasse peniteat: et hæ lacrymæ inferni ignem vobis extinguant, in quem non mittimini. Præclare dixit D. Augustinus, alios flere *genitu carnis* et alios *genitu cordis*. Flent multi, aut quia infirmantur in corpore, aut quia litem perdididerunt, aut quia diruta sunt prædia, aut quia ablate fa-

cultates, aut quia a magnatum gratia ceciderunt, aut quia optatam dignitatem non sunt consecuti, aut quia a deliciis, quas ambierant, destituti sunt hi omnes flet *genitu carnis*; eorumque lacrymæ inferni ignem extinguere nequeunt. Plangunt alii ex Dei amore, vel ex dolore interno de peccato in Deum perpetrato, et isti flet *genitu cordis*, isti flet sicut David, cujus lacrymæ ex intimo corde manabant. *Rugiebam a genitu cordis mei*. Flete sicut regius ille vates; amaras, multasque ex corde manantes simul cum illo effundite lacrymas, et hæ lacrymæ ignem inferni vobis extinguunt; *tales lacrymæ, quales erant Davidis, ipsum etiam gehennæ incendium norunt extinguere*. Quanquam vero tot lacrymas non fundas, quot fudit ille propheta; licet paucas fundas, modo ex corde contrito procedant, inferni ignem extinguunt: lacrymæ enim hunc extinguunt ignem, *etiamsi pauca sint*.

2. Adversus Deum graviter peccaverat Magdalena, criminibus suis in inferni rogam mitti juste meruerat; ipsa tamen paucis lacrymis, quibus Christi pedes rigavit, accensus hunc rogam extinxit: *meretrix illa lacrymis unius horæ, sed fervidis, rogam extinguit peccatorum* (S. Antioch. hom. de comp. cor.). Imitamini Magdalenam penitentem: amaras ex corde elicite lacrymas, et licet innumera, eaque gravissima peccata perpetraveritis; licet jam accensus sit tartareus rogam ad vos devorandos, paucis eum lacrymis extinguatis: *rogam peccatorum extinguimus, non jam aquis multis, sed lacrymis paucis* (Chrysost. hom. 5 de penit.). Flammæ e Babylonica fornace exundantes, adstantes ministros penitus consumpsere, ac in cineres redegere: Regi tamen propius accedenti nec minimum damnum intulere. Cur ignis hic regem a ministris discernit, illoque illaso, ministros absunit? Respondet Chrysostomus, regem sceleris sui penituisse, nec illum attingere potuisse flammis fornacis, quia lacrymantibus oculis præferebat: *non pertimescebat flammis comburentes, qui secum ferebat lacrymas eas extinguentes* (hom. de 3 puer.). Ecce veram figuram flammarum fornacis tartaræ, quæ peccatores, qui dum hic viverent penitentiam non egerunt, absument; veros pos-

nitentes nequaquam attingunt, quia isti paucis lacrymis has sibi flammam extinguunt: *rogum peccatorum extinguimus lacrymis paucis*. Cum sanctissimus pater Mamertus civitatem viennensem in Gallia gravi incendio vastari videret, ad fontes et ad flumina currentes monuit; *hoc incendium aqua potius oculorum, quam fluminum restinguendum*. O peccatores, portentosus in inferno ad vos aeternum cruciandus accensus est rognis: hic est ignis, quem adversum vos accendit Deus in furore suo; in promptu habetis aquas ad hunc ignem extinguendum idoneas, lacrymas scilicet: *hoc incendium aqua oculorum est extinguendum*. Vel paucas ex magno cordis dolore lacrymas fundite, et illud extinguetis, quia hominis poenitentis lacrymae ignem inferni extinguunt, etiamsi paucae sint: *imo etiamsi unica sit*.

3. *Multus peccati ignis est*, inquit sanctus Chrysostomus, *et modica lacryma illum extinguit*. Multus quidem, magnus, portentosus, acerbissimus et voracissimus est ignis tartareus, quem ob hominum peccata accendit Deus in furore suo: tanta tamen lacrymarum est virtus, ut hunc ignem extinguere valeat una lacryma, et unicus veri doloris actus: *modica lacryma illum extinguit*. Quantumvis gravia sint criminata, que quis perpetraverit, si vel unica e corde contrito stillat lacryma, tartareae fornacis ignes extinguit: *lacryma portas refringit inferni, carbones extinguit tartareae fornacis* (Petr. Coll. de Pan. 12). Macedonum regi Alexandro cum graves de matre calumnias scripsisset Antipater, rex literis perlectis, sapienter respondit: *ignorat Antipater, unicum matris lacrymulam multarum calumniarum epistolam esse deleturam*. Idem ego de enormibus quibusque sceleratorum hominum criminibus dixero: unica enim lacrymula, si ex corde contrito prodeat, unicus veri doloris actus omnia lavare crimina, ac tartareos rogos extinguere valet. « Omnes aquae, ait Divus Augustinus, non extinguunt unam scintillam in inferno; sed si una lacryma de puro et contrito corde processerit, totum ignem inferni extinguit ». Quod ita verum esse censuit sanctus Vincentius Ferrerius, ut asserat, quod si

dannatus, qui cruciatur in inferno, unicum compunctionis lacrymam ex corde contrito emittere posset, ignem inferni sibi totaliter extingueret, et ab eo incolumis evaderet: *Si anima unius damnati posset habere unam guttam lacrymarum vere contritionis, Deus illam servaret*. Hoc verissimum comprobatur in divite epulone, qui cum acerrimis averni flammis cruciaretur, elevatis in caelum oculis clamavit: *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma*. Deus bone! quale refrigerium infortunatus ille, interminato flammarum vesuvio circumdatus, ex unica aquae guttula sperare potest? Maximum sane, si credamus D. Hieronymo; qui praefata divitis verba explanans, ait, quod aquae communis guttam non petat; verum cum recorderetur lacrymarum, quas ubunde in sui palatii superliminio fuderat Lazarus, et unicum illarum lacrymarum guttam exposcit, optime sciens, quod si unicum poenitentiae lacrymam fundere potuisset, infernales illos rogos omnino sibi extinxisset, quia vel unica veri doloris lacryma ignem inferni extinguit. *Unam solum guttam poscit, quia una sola ad extinguendam gehennam satis erat*. Ut ergo infernalem illum rogum adversus te accensum extinguas, poenitentiae funde lacrymas. *Dedae quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem, non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui* (Thr. 9). In tartareos illos ignes mitti plurimum timebat S. Bernardus; ac ut illos vitaret, crebras fundebat lacrymas. *Paveo gehennam*, inquit, *paveo iudicis cultum, ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus; contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus; sed proventiam fletibus fletum* (Serm. 61 in Cant.). Sanctum hunc abbatem imitare; tua in hoc mundo desse peccata, ut in aeternum in mediis inferni ignibus non lugeas; funde vel unicum lacrymam ex corde contrito manantem; poeniteat te peccasse, et inferni ignem extinguas, nec non ad coelestia sidera exaltaberis, quia *lacrymae ad caelum evehant et portant*.

III PARS.

Lacrymæ portant ad regnum colorum.

Lacrymæ, quæ ex corde contrito prodeunt, ad maxillam quidem descendunt; eadem autem, ut ait Sapiens, a *maxilla ascendunt usque ad cælum* (Eccli. 35, 17): neque solum ad cælum ascendunt hæ lacrymæ, verum etiam ad cælum ingentes dicunt et portant, quia cælum i. lugentibus promittitur. 2. lugentibus debetur: 3. lugentibus datur.

1. Pauperibus spirita, mansuetis, cor mundum habentibus, et aliis nonnullis regnum cælorum Christus pollicitus est; specialiter vero iis, qui corde contrito commissa peccata desunt. *Beati qui lugent*, inquit Christus, *quoniam ipsi consolabuntur*. Non promittit Christus cælum iis qui lugent ob amissionem opum, amicorum, vel propinquorum; sed iis qui lugent ob peccata quæ in Deum perpetrarunt. *Lugentibus æterno beatitudinis solatio Dominus repromittit; non quidem lugentibus orbitates, aut contumelias, aut damna temporalia; sed sletibus peccata* (S. Hilari. can. 4. in Matth.). Peccatoribus illis, qui exultant cum male fecerint, et qui gaudio, omnique mundana prosperitate diffluunt, minatur Christus, quod nisi convertantur, in inferno æternum lucebunt. *Vae vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis et sletibitis* (Luc. 6, 25). Contra vero iis qui peccata sua detestantur, et qui de iis dolent, promittit Christus regnum cælorum, ubi æternæ consolationis mercede perfruentur. Hanc a Christo lugentibus factam promissionem subtiliter exponit S. Augustinus (in Ps. 85) dicens: *non est res tam vicina miseria, quam lacrymæ, et nulla longior a miseria, quam beatitudo; et tamen dicitur: Beati qui lugent*. Qua ratione beati esse possunt, qui lugent? Beati sunt, inquit, in promissione, et ratione rei promissa, quia promittit iis Christus regnum cælorum, ubi æterno solatio fruuntur. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Ergo

dicendum, lacrymas ad cælum portare, eo quod lacrymas fundentibus regnum cælorum promittatur, ac etiam debeatur.

2. Ita cunctis lugentibus debetur regnum cælorum, ut iis denegari non possit. Certum est enim, quod iustis debeatur regnum cælorum, ut iis negari nequeat: quantumvis autem quis peccator sit, si vere doleat de peccato, ex peccatore fit iustus, nec ipsi ergo negari potest regnum cælorum, si saltem in iustitia perseveret. Quod tam certo constat, ut licet aliquis peccator divino decreto ad æternos damnatus esset cruciatus, Dousque illum æterna beatitudine privare statuisset, lacrymæ ex corde contrito manantes habeant vim, si ita dicere fas est, divinam dolendi, ac saltem metaphorice mutandi sententiam; ac proinde faciendi, ut ei æterna beatitudo non denegetur. Sic enim ait sanctus Petrus Chrysologus; *lacrymæ delent in omne facinus latam divinam promulgatione sententiam*. Maxime differant, inquit Chrysostomus (hom. 6 in Matt.), divina et secularia iudicia; *in secularibus iudiciis, quantumlibet post acceptam sententiam lamenteris et lugeas, non tamen effugies flendo iudicium; hic vero, si toto corde ingemueris ad Deum, solvisti repente sententiam*. Et ratio est: quia decreta, quibus Deus peccatores ad æterna supplicia damnat, sunt solum conditionata, si scilicet hi non amare flectant, suaque per veram penitentiam non detestentur peccata. Idcirco si vere penitentia lacrymas fundant, talibus hi non amplius subsunt decretis; nam ex peccatoribus iusti fiunt, eisque tunc debetur regnum cælorum, quod procul dubio ipsis patebit modo in statu iustitie perseverent. Lacrymæ ergo ad cælum portant: cum regnum cælorum lugentibus debeatur, ac etiam iis detur.

3. Non omnibus datur regnum cælorum, sed iis qui vim sibi fecerint: *regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (Mat. 11, 12). Violenti illi, quibus datur cælum, vel iusti sunt, qui ne in peccata gravia cadant, magnam sibi vim inferunt; vel etiam peccatores, qui postquam ad gravia declinarunt scelera, magnam sibi vim inferunt, ut ab iis surgant, ac veræ penitentia lacrymis deleant. Hi cælo vim faciunt; hi cælum rapiunt, isque, si in nova peccata non labantur, regnum

cœlorum infallibiliter datur. Et ideo præclare dixit Petrus Cœlensis, regnum cœlorum ad lacrymas pertinere. *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum.* Ad lacrymas quidem regnum cœlorum pertinet, quia iis datur, qui ad delenda peccata amare flent. Peccatoribus clausæ sunt paradisi fores, in cœlum intrare nequeunt, quamdiu in peccatis perseverant: si ex corde contrito lacrymas fundant, ad cœlum properant et in cœlo recipiunt. *In fletu venient, et in misericordia reducam eos* (Jer. 31). Sicut per aquas quilibet facile ducitur ad terram, sic in navi penitentia, inquit Doctor Seraphicus, per aquam fletuum, per torrentem lacrymarum adducitur quis ad patriam cœlestem. Refert Moyses, aquis diluvii arcam Noëmicam in sublime a terra fuisse elevatam: similiter animus in limo profundi et luto peccatorum gravatus, aquis lacrymarum, tanquam salubri diluvio, ad cœlum tollitur. Hoc est felix diluvium, quo peccatores ad cœlum portantur. *O felix diluvium, o felices lacrymas, quæ animum dolentem levant, et peccatorem in tartareo inflatum, sublevant in sublime* (S. Greg. Naz. or. 3). Eja, peccatores, si adversus altissimum peccatis, vires fundite lacrymas. Flete: non tam oculorum, quam cordis lacrymis, flete et bene flete; flete, sicut oportet. Ne fleatis sicut hi, de quibus ait Augustinus, quod male fleant: *multi gement, gemo et ego, et hos gemo, quia male gement* (Serm. 45 de SS.). Plangunt multi bonorum temporalium jacturam, et non plangunt jacturam bonorum æternorum; plangunt ob sua emolumenta, et ob zelum honoris divitiis plangere nolunt; plangunt ob nimium erga terrena affectum, non autem ob bonorum cœlestium desiderium: plangunt capti amore mundi, et ob cœlum, cuius oblitii sunt, non plangunt. Hi omnes gemendi sunt, quia male gement. Non sic gemendum; non hæc esse debet lacrymarum causa, flendum et gemendum ob perpetrata peccata, quia iis Deus offenditur, gratia sanctificans destruitur, cœlum clauditur, et æternæ damnationis periculum incurritur. Flete igitur ob peccata commissa; flete plus gemitu cordis quam oculorum, flete et verum doloris actum elicite. *Verum dico, et non apparentem; cerum*

et ex corde procedentem; *cerum*, qui ad omnia peccata vestra se extendat; *cerum*, qui ex amore Dei procedat; *cerum*, qui propositum non amplius peccandi in se includat; *cerum*, qui ad omnia peccata confitenda inducat. Hæc sunt lacrymæ, quæ criminum sordes lavant, quæ inferni ignem extinguunt, et ad regnum cœlorum portant. Flete igitur, o peccatores; non taceat pupilla oculi vestri, amaras fundite lacrymas, fleatibus irrigate thorum. Quod si externis oculis flere nequeatis, non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia lacrymæ interiores, seu dolor internus, prævalet externo. *Dolor internus præminet dolori externo* (D. Th. I. 2. q. 35, a. 2). Imo dolor ille externus per lacrymas expressus, non est absolute necessarius; ideo si in externas lacrymas erumpere non valeatis, internas, quæ absolute necessariæ sunt, habere conteadite. Lugeat cor vestrum, peccata coram Domino detestetur, doleat sincera ob patrata scelera, et talis dolor criminum vestrorum sordes lavabit, ignem inferni extinguet, et ad regna cœlorum vos perducet. Amen.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

DE MUNDI PROSPERITATE.

Expedit vobis, ut ego cadam (Joan. 16, 7). ®

Nulla in hoc mundo tam magna prosperitas, quæ aliquibus adversitatibus non permisceatur. Quemadmodum enim Jacob dilectum filium Joseph polymita, id est multicolori veste induit, ita Deus homines, quos creavit, varia, multicolori, seu ex prosperis, adversisque rebus contexta vita exornat. Ac, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, *Deus tum ex adversis, tum*

cœlorum infallibiliter datur. Et ideo præclare dixit Petrus Cœlensis, regnum cœlorum ad lacrymas pertinere. *O lacryma humilis, tua est potentia, tuum est regnum.* Ad lacrymas quidem regnum cœlorum pertinet, quia iis datur, qui ad delenda peccata amare flent. Peccatoribus clausæ sunt paradisi fores, in cœlum intrare nequeunt, quamdiu in peccatis perseverant: si ex corde contrito lacrymas fundant, ad cœlum properant et in cœlo recipiunt. *In fletu venient, et in misericordia reducam eos* (Jer. 31). Sicut per aquas quilibet facile ducitur ad terram, sic in navi penitentia, inquit Doctor Seraphicus, per aquam fletuum, per torrentem lacrymarum adducitur quis ad patriam cœlestem. Refert Moyses, aquis diluvii arcam Noëmicam in sublime a terra fuisse elevatam: similiter animus in limo profundi et luto peccatorum gravatus, aquis lacrymarum, tanquam salubri diluvio, ad cœlum tollitur. Hoc est felix diluvium, quo peccatores ad cœlum portantur. *O felix diluvium, o felices lacrymas, quæ animum dolentem levant, et peccatorem in tartareo inflatum, sublevant in sublime* (S. Greg. Naz. or. 3). Eja, peccatores, si adversus altissimum peccatis, vires fundite lacrymas. Flete: non tam oculorum, quam cordis lacrymis, flete et bene flete; flete, sicut oportet. Ne fleatis sicut hi, de quibus ait Augustinus, quod male fleant: *multi gemunt, gemo et ego, et hos gemo, quia male gemunt* (Serm. 45 de SS.). Plangunt multi bonorum temporalium jacturam, et non plangunt jacturam bonorum æternorum; plangunt ob sua emolumenta, et ob zelum honoris divitiis plangere nolunt; plangunt ob nimium erga terrena affectum, non autem ob bonorum cœlestium desiderium: plangunt capti amore mundi, et ob cœlum, cuius oblitii sunt, non plangunt. Hi omnes gemendi sunt, quia male gemunt. Non sic gemendum; non hæc esse debet lacrymarum causa, flendum et gemendum ob perpetrata peccata, quia iis Deus offenditur, gratia sanctificans destruitur, cœlum clauditur, et æternæ damnationis periculum incurritur. Flete igitur ob peccata commissa; flete plus gemitu cordis quam oculorum, flete et verum doloris actum elicite. *Verum dico, et non apparentem; cerum*

et ex corde procedentem; *cerum*, qui ad omnia peccata vestra se extendat; *cerum*, qui ex amore Dei procedat; *cerum*, qui propositum non amplius peccandi in se includat; *cerum*, qui ad omnia peccata confitenda inducat. Hæc sunt lacrymæ, quæ criminum sordes lavant, quæ inferni ignem extinguunt, et ad regnum cœlorum portant. Flete igitur, o peccatores; non taceat pupilla oculi vestri, amaras fundite lacrymas, fleatibus irrigate thorum. Quod si externis oculis flere nequeatis, non turbetur cor vestrum, neque formidet, quia lacrymæ interiores, seu dolor internus, prævalet externo. *Dolor internus præminet dolori externo* (D. Th. I. 2. q. 35, a. 2). Imo dolor ille externus per lacrymas expressus, non est absolute necessarius; ideo si in externas lacrymas erumpere non valeatis, internas, quæ absolute necessariæ sunt, habere conteadite. Lugeat cor vestrum, peccata coram Domino detestetur, doleat sincera ob patrata scelera, et talis dolor criminum vestrorum sordes lavabit, ignem inferni extinguat, et ad regna cœlorum vos perducet. Amen.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

DE MUNDI PROSPERITATE.

Expedit vobis, ut ego cadam (Joan. 16, 7). ®

Nulla in hoc mundo tam magna prosperitas, quæ aliquibus adversitatibus non permisceatur. Quemadmodum enim Jacob dilectum filium Joseph polymita, id est multicolori veste induit, ita Deus homines, quos creavit, varia, multicolori, seu ex prosperis, adversisque rebus contexta vita exornat. Ac, ut loquitur S. Joannes Chrysostomus, *Deus tum ex adversis, tum*

ex prosperis hominum vitam, quasi admirabili varietate conseruit. Hoc ipsa docet experientia, et hoc facile sibi suadebit qui vitam nostram telae similem esse perspexerit; *præcisæ est velut a texente vita mea: dum adhuc ordire, succidit me* (Isa. 38, 12). Nostis, quod telæ fila non omnia tendant eodem; alia recta et alia transversa sunt; ita et vitæ nostræ dies alii recti et alii transversi, seu alii læti et alii moestitia pleni, alii in adversitate et alii in prosperitate transeunt. Hujusmodi haud dubie fuit vitæ discipulorum Christi, qui nunc gaudio, nunc tristitia affiebantur; qui gaudebant ex Christi Salvatoris presentia, et tristabantur ex ejus absentia. Expediebat tamen, ut Christus abiret, et ab iis discederet; *expedit vobis, ut ego cadam*. Hoc illis expediebat, quia adversitas melior et salubrior esse solet prosperitate, ut patebit, cum de mundi prosperitate dixerimus. *Acte.*

Prosperitas temporalis, nihil aliud est quam quædam conjunctio honorum, dignitatum, divitiarum, sanitatis, autoritatis, et aliorum similium, in quibus homines plerumque felicitatem suam auspicantur. Prosperitas autem hujusmodi temporalis ex sui natura, nec bona, nec mala est, inquit D. Augustinus. Quod et ipsa ratio docet, cum non reprobi tantum, verum et electi prospera quandoque gaudeant fortuna, nec ideo mali et peccatores censendi sunt. Et si paradisi, infernique incolæ nunc intueri possemus, in inferno plurimos videremus, qui gravibus in hoc mundo adversitatibus concussi fuerunt, et in paradiso multos cerneremus, qui dum in sæculo viverent, magna prosperitate floruerunt. At licet mundi prosperitas ex se sit indifferens, et ex sui natura nec bona sit, nec mala, dicam tamen, quod mundi prosperitatem despiciare, fugere et timere debeamus; *despicere, quia contemptibilis est; fugere, quia transitoria; timere, quia periculosa*. Mundi prosperitas 1. contemptibilis; 2. transitoria; 3. periculosa.

I PARS.

Mundi prosperitas contemptibilis est.

Reges et principes venerari debemus, eisque debitum honorem impendere; divitias autem honores et delicias sæculi, necnon omnem prosperitatem, qua illi, et omnes homines gaudent, despiciere quisque debet. Omnis enim mundi prosperitas exigua, et contemptibilis est 1. in se; 2. præ consolationibus spiritualibus et internis, quibus fruuntur iusti in hac vita, 3. præ gaudiis, quæ sancti in celo possident.

1. Omnis mundi prosperitas, in se spectata, modica, puerilis, nugatoria et contemptibilis est; imo ita contemptibilis, ut errent, et risu digni habendi qui eam æstimant, eisque adhærent; *risum reputavi errorem, et gaudio dixi, quid frustra deciperis?* (Eccles. 2). Et revera, quid sunt omnia, que mundanam constituunt prosperitatem? Quid aurum, nisi terra? Quid argentum? Quid lapides, quos pretiosos dicimus? Quid omnes mundi divitiæ, nisi viles terræ fetus? Quid vestes, quibus tanto fastu ornantur homines, nisi vel pelles, vel pili animalium, vel excrementa bombycum? Quid gaudii et voluptatis habent gula et ebrietas, in quibus suam multi constituunt felicitatem? Nonne medicum? Quid choreæ? Quid ad lyre, cytare, vel alterius instrumenti musici sonum saltare? Quid omnia mundi gaudia, nisi mera vanitas, et nihilum. *Qui letamini in nihilo?* (Amos 6). Quid omnes mundi honores et dignitates homini conferunt? Certe nil nisi fumum: perinde enim agit mundus te laudans et honorans, ac si thuris fumum aliquem coram te accenderet, et tibi adoleret. Omnia tandem illa mundi bona, ex quibus mundana constituitur felicitas et prosperitas, exigua et contemptibilia sunt. Hæc dicimus, hæc asserimus, hæc vera certaque sunt: non tamen ab omnibus facile creduntur. Igitur ut quisque sibi suadeat, modicam et contemptibilem in se esse mundanam prosperitatem, quid de ea sentiant reges

et principes, quisque audiat. Hi sane æquissimi sunt iudices, qui in se ipsis experti sunt, quanta sit mundi prosperitas: attamen si ab iis quaeratur, quanti faciant mundanam prosperitatem, eam modicam, vanam et contemptibilem dicent. Quantus, quæso, rex fuit Salomon? Quot divitiis, quot honoribus, quot voluptatibus, quanta prosperitate potitus est: immo vero his omnibus æqua lance ponderatis, asserit hæc omnia esse vana et nullius momenti; *vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi* (Eccl. 1). Quam sapiens et potens erat Alphonsus Siciliæ, Neapolis et Arragoniæ rex? Eo certa nullus felicior videbatur: dicebat autem, asinos regibus feliciores esse, quia exonerantur, saltem dum edunt: reges vero nunquam. Cum Carolus V, Philippo filio suo Bruxellis ditiones resignaret, coram senatu flens protestatus est, se toto regni tempore nec ad unum horæ quadrantem vera potitum fuisse lætitia. Nonne filio suo dixit Antigonus rex, dignitatem regiam splendidam esse servitotam: quodque *si quis nosset, quantis malis diadema esset refertum, nec e terra illud tollere dignaretur?* Quis ergo æstimet mundi prosperitatem? vel potius quis eam non contemnat? Contemptibilis sane est in se: contemptibilis etiam respectu internarum et spiritualium consolationum, quibus fruuntur iusti in hoc mundo.

2. Servos Dei perpetua melancholia affici, tristitia continua laborare, tædio indesinenter gravari, nec ullo unquam gaudio frui existimant nonnulli. In quo falluntur graviter: viri iusti qui Deo fideliter serviunt, in ipsis calamitatibus, imo in mediis supplicis interno fruuntur gaudio, quod procedit ex bonæ conscientie pace, ex Spiritus sancti gratia et ex æternæ beatitudinis expectatione; illudque gaudium tantum est, ut, comparatione illius exilia sint omnia externa gaudia et contemptibilis omnis mundana prosperitas. Internam illud gaudium, quod experiuntur servi Dei, est manna absconditum, quod Deus dat iis qui de demone et de passionibus suis triumphant. *Vincenti dabo manna absconditum*. Est quidem manna absconditum, quia nemo scit, quanta sint hæc gaudia, nisi qui iis fruuntur: si tamen iis credatur, tanta extant, ut præ illis nihil ha-

benda omnia terrena solatia. Et ideo, qui vel ad brevissimum tempus interna illa exportus est gaudia, omnia mundi bona, omnemque mundi prosperitatem contemnit, despiciet et pro nihilo habet. Qui toto vitæ suæ tempore nil nisi aquam bibit, nilque aliud novit, quo possit extingui sitis, nullum esse potum aqua meliorem existimat; verum si ducatur ad cauponam, eique selectissimum propinetur vinum, gustato illo, sententiam mutat, et aquam spernit, nulliusque valoris eam esse credit, respectu vini. Similem in modum quamdiu homines non degustarunt gaudia spiritualia, quibus frui solent servi Dei, ea spernunt et pro nihilo habent, suamque totam consolationem in mundana prosperitate constituunt; si vero spiritualia gaudia in semetipsis experierint, ea sane omnibus externis mundi gaudiis et omni mundana felicitati preferrent. Vel, ut congruentius loquar, omnem mundanam felicitatem, respectu illorum, contemnerent; quia spiritualia gaudia sunt ordinis superioris; et orane terrenum spirituali comparatum est contemptibile. Est ergo mundana prosperitas contemptibilis respectu consolationum spiritualium, quibus in hoc mundo gaudent servi Dei; est etiam contemptibilis, respectu gaudiorum, quæ sancti in celo possident.

3. Omnis hujus mundi prosperitas, omniaque sæculi bona parva sunt, pauca sunt et contemptibilia comparatione celestium: *omnia quæ in presenti habemus, licet magna et plurima videantur, comparatione futurorum, pauca et pauca dicuntur*. Quid dico, pauca? quid dico, pauca? quid dico, contemptibilia? Nimis dico, cum talia dico, omnis enim mundi prosperitas, omniaque sæculi bona præ celestibus vilissima sunt, omni contemptu digna, aut ut congruentius loquar, mala potius quam bona dicenda. Quid, quæso, omnis mundi lætitia respectu gaudiorum ineffabilium, quibus fruuntur beati in celo, nisi luctus, nisi mœror et amarissima tristitia? Quid omnes sæculi deliciae respectu torrentis illius voluptatum, quo sancti inebriantur in celo, nisi labores, nisi adversitates et crucis? Quid omnis mulierum et magnatum ornatus, respectu vestis nuptialis, quæ invitatis ad nuptias argui-

datur, nisi peniculi et vilissimi panni? Quid omnis iste mundus respectu totius regni colorum, nisi carcer teterrimus, exiguum tuguriolum et horrendum exilium? Dicite nunc, si contemptibilis, imo horribilis non sit hujus mundi prosperitas respectu immense et incomprehensibilis felicitatis, qua in celo sancti potiuntur? Contemptibilis sane et ita contemptibilis, ut si omnis prosperitas, quæ a mundi principio fuit, quæ nunc est et quæ usque ad mundi finem erit, cum momentaneo cœli gaudio conferatur, nihil sit, amaritudo sit, infelicitas sit. Ideo spiritualia et cœlestia concupiscite bona, omnem vero mundi felicitatem et prosperitatem despiciite. Mementote, quod primi christiani veri contemptores mundi, ac rerum spiritualium et cœlestium æquissimi aestimatores, suarum possessionum pretia ad pedes apostolorum afferebant, ut ostenderent, omnem mundi prosperitatem, omniaque terrena bona non habenda in mente et in corde, ut æstimentur et amentur, sed pedibus esse calcanda et nihil facienda. Mundi autem prosperitas contemptibilis est etiam transitoria.

II PARS.

Mundi prosperitas transitoria est.

Omnia quæ possidet homo, cito transeunt; omnes ejus divitiæ, deliciae omnes, omnesque ejus honores velut fumus evanescent et veluti vapor ad modicum parent, Omnis denique ejus prosperitas tam cito præterit, ut dici possit, quod sit quasi folium, quasi hedera et quasi rota: 1. *quasi folium*, quod cito vento rapitur; 2. *quasi hedera*, quæ brevi marcescit; 3. *quasi rota*, quæ citissime vertitur.

1. Transitoriam et momentaneam hanc mundi prosperitatem mirifice depinxisse videntur, qui bullæ, quam ex aqua et sapone faciunt pueri, eam comparant. Vidistisne unquam pueros in aliqua paternæ domus fenestra bullas facientes? Unico flatu puer bullam excitat, aliquando majorem et aliquando mi-

norem; alii pueri in platea expectant ut proficiantur bullæ, quæ in aere volantes videre et deinde in pileis recipere cupiunt. Hæ bullæ quæ projiciuntur, sicut modico flatu excreseunt, ita modico flatu pereunt et in momento evanescent. Idem sane dicendum de prosperitate mundana, quam quidem pueri et insipientes demirantur; hæc prosperitas transitoria est, labilis est et veluti bulla citissime perit et evanescit. O mirandam prosperitatis et felicitatis mundanæ similitudinem! Congruè quoque assumatur mundi prosperitas folio quod vento rapitur. Non est similis folio, quod arbori adhæret, quia ibi diu videri et spectari potest; est similis folio, quod vento rapitur, quod brevissimo tempore avolat et spectantium oculis subducitur; deliciae enim, divitiæ, honores et omnia quæ mundanam prosperitatem constituunt, cito transeunt, sicut folium, quod vento rapitur. Imo citius, quia hæc transierunt, antequam habeantur et perfecte possideantur. *Transierunt hæc omnia* (Sap. 5). O quam transitoria mundi prosperitas! quæ transit quasi folium, quod vento rapitur, *ac etiam sicut hedera*, quæ brevi marcescit.

2. Mundi prosperitas perfectissime delineata videtur in hedera, quam preparavit Deus super caput Jonæ, ut sole æstante illi umbram faceret, utque illum aestu laborantem protegeret. Cum enim hanc hedera sibi a Deo preparatam vidit, *letatus est Jonas super hedera lætitia magna* (Jonæ 6). Ecce hominem aliquo modo felicem, aut saltem qui se felicem arbitrat, eo quod protectione divina ab aestu quo laborabat, liberetur. Ast quamdiu duravit hæc felicitas? quamdiu hæc hedera obumbravit eum? Brevisimo sane tempore, quia mox a vermine rodente et a vento calido exsiccata est. Ut enim loquitur sacer textus, *paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum; et percussit hedera et exaruit*. Hedera hæc perfecte designat voluptates, honores, divitiæ, omnemque mundi prosperitatem, quæ quidem umbram homini facit et gaudium aliquod parit; cito veniunt verminis rodens et ventus urens, cito exsiccatur hedera, omnisque prosperitas citissime perditur et evanescit; ac ita cito, ut unico momento durare videatur: *gau-*

dām hypocritæ ad instar puncti (Job. 20). Hæc quidem transitoria veluti hedera, mox et quasi in puncto marcescit et transit. Adhuc autem eam esse transitoriam magis patebit, si comparetur *rota versatili*.

3. Propheta regius, qui zelabat super iniquos pacem peccatorum videns, enixe Deum rogabat, ut eorum prosperitas, instar rote foret versatilis: *Deus meus pone illos ut rotam* (Psalm. 82, 14). Rota quam evehit, mox deprimit; sic qui mundi prosperitate evehuntur, *elevati sunt ad modicum* (Job. 24), et mox deprimuntur, eorumque prosperitas cito transit. De Sesostre Ægyptiorum rege fertur, quod cum populos multos jugo suo subdidisset, superbia et arrogancia inflatus, curru ex auro, lapidibusque pretiosis constructo vehi soletet, qui non ab equis, sed a quatuor regibus ab ipso devictis trahebatur. Horum unus fixa palpebra rotas, quibusolvebatur currus, aspiciebat; quod animadvertens Sesostres, causam ab eo petiit, cur tam attente rotarum volubilitatem aspiceret. Cui ille: *intuens rota volubilitatem, cum stupore eam admiror, in qua summa cito fiunt ima: et cogito fortunæ instabilitatem, alias eccelsa humiliantem, alias humilia exaltantem*. Ecce quam volubilia et transitoria sunt omnia mundi bona: hæc omnia continue instar rotarum volvuntur, unde homines jam deprimi et jam exaltari videmus; nec ullus ita est exaltatus, qui cito non deprimitur, quia cito rota vertitur. Et ideo dicit propheta, quod impium vidit exaltatum et in suprema rote parte existentem; sublit vero, quod citissime depressus sit; *vidi impium super exaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Et transivi, et ecce non erat; et quæsi ei eum, et non est inventus locus ejus* (Psal. 36). O quot videmus in mundo exaltatos qui, licet impii, prospera gaudent fortuna! eos cuncti honorant, eorum felicitatem admirantur plerique; expectate parumper, et quos jam exaltatos cernitis, brevi depressos videbitis, quia prosperitas mundi, ut rota volubilis, cito deprimit quos exaltaverat. Quis ergo prosperitatem temporalem æstimet? quis eam amet? quis ei adhæreat? vel potius, quis eam non contemnat, ut ad æternam paradisi felicitatem aspiret et suspiret. O homo, menti

tue fortiter infige, quod transitorium et momentaneum est hujus mundi gaudium, momentanea ejus pompa, momentanei honores, momentanea prosperitas; e converso cœli bona sunt omnia æterna; ibi fixa sint corda, ubi vera et æterna sunt bona. Terrenam ergo prosperitatem ne ardentius quam par est appetas, ne studiosè nimis illam prosequaris, potius illam despicere, quia contemptibilis et transitoria est: *ac etiam quia periculosa*.

III PARS.

Mundi prosperitas periculosa est.

Licet prosperitas ex sui natura non sit mala, timenda tamen ut periculosa, quia qui prosperitate fruuntur, 1. sæpe in gravia peccata cadunt; 2. sæpe celestibus bonis privantur; 3. sæpe ad tartara præcipitantur.

1. Justis et perfectis viris omnia cooperantur in bonum, sive adversa, sive prospera illa sint; et sicut apes mel suum sive ex domesticis, sive ex silvestribus floribus conficiunt, ita viri sancti sive ex adversis, sive ex prosperis virtutis materiam eliciunt. Timenda tamen sunt et periculosa mundi hujus prospera: qui enim prosperitate gaudent, sæpe superbia inflantur, ambitione pulsantur, gula indulgent, ad libidines declinant et in alia multa incidunt peccata, in quæ cadere non solent qui adversitatibus concepiuntur. Videmus communiter pauperes esse humiles, castos, pietatis operibus addictos et a peccandi propensione alienos. Divites e contra et qui prospera gaudent fortuna, plerumque superbi, inflati, gulosi, libidinosi et aliis multis vitis dediti sunt. Unde, quæso in istis tot crimina? *Prodit quasi ex adipe iniquitas eorum*; omnia eorum crimina ex pinguedine, ex abundantia et ex prosperitate oriuntur. Etenim qui prosperitate fruuntur, plerumque de futura morte sua minime cogitant, mortisque memoriam a se repellunt, ne mœstitiæ nubem aliquam animo offundant. Et ideo cum a se repellant mortis

memoriam, quæ est frænum, quo homines detinentur, ne in peccata ruant, in plurima peccata facile decidunt: *quia non est respectu mortis eorum..... ideo tenuit eos superbia, operati sunt iniquitate et impietate sua* (Ps. 72). Periculosa ergo mundi prosperitas, quæ pluribus sæpe vertitur in laqueum quo in gravia peccata labuntur; periculosa etiam, quia qui ea fruuntur, *cælestibus bonis sæpe privantur.*

2. Nemihi latet nonnullos in presenti vita reperiri divites, ad dignitates sublimatos et magna prosperitate gaudentes, qui cælestia regna post mortem obtinebunt; quia scilicet in prosperitate positi vim sibi fecerunt, humilitatem servarunt, copiosas pauperibus eleemosynas largiti sunt, de acceptis beneficiis Deo gratias egerunt, a peccatis abstinuerunt et omnia profecerunt ad salutem necessaria. Fatendum vero eos ambulasse vias difficiles, quia adeo difficile est, quod quis prospera in hoc mundo gaudens fortuna, æterna in alio bona obtineat, ut dicere non vereatur S. Joannes Chrysostomus, hoc moraliter esse impossibile: *impossibile est, ut hic et illic quis requie fruatur. Fieri non potest, ut qui hic in socordia, securitateque cixerit, qui in deliciis omnibus assidue dies consumpsit, qui temere neglecteque transegerit ætatem, illic honorem consequatur* (hom. 3 de Laz.). Hoc fieri non posse dicit, eo quod res aëre plena sit hic in terris prosperitate gaudere, et cælestia regna assequi (1). Et sæpissime fit, imo fere semper, quod qui prosperitate fruuntur, cælesti beatitudine priventur. Videte quomodo divitem epulonem in inferno clamantem alloquatur pater Abraham. Infelix ille avarus cla-

(1) Notatu tamen digna sunt, quæ ad rem subjicit Je. Chr.: « quid homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possible sunt » (Matt. 19). Quibus verbis videtur Christus antequam etiam divitibus addidisset, ne dependant; simulque conationes admonuisse ne quid rigidius addant austeritati Evangelii: sane joverit meminisse illius sententiæ S. Ambrosii: « Nolumus offendere divites, qui volumus, si fieri potest, sansero omnes, ne in camelis comparatione præstricti Justa habeant commotionis offensam » (in Luc. 8).

mabat: Pater Abraham, miserere mei et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma; cui pater Abraham: *Fili, recordare, quia recipisti bona in vita tua et Lazarus similiter mala: nunc autem ille consolatur, tu vero cruciaris* (Luc. 16). Quasi dicat: non potes habere duos paradisos, in vita unum, post mortem alterum: non potes bis esse beatus et ante mortem et post mortem: ideoque cum in vita et ante mortem beatus fueris, et prospera gavisus sis fortuna, jam beatus esse nequis in cælo et æterna præmia obtinere non vales. Timeate divites, tropidate potentes in sæculo, et qui prospera in mundo lætamini fortuna: nam in maximo non obtinenda beatitudinis æternæ periculo versamini: qui enim prosperitate temporali fruuntur, sæpe et fere semper cælestibus bonis privantur: *ac sæpe æternis suppliciis adjudicantur et ad tartara precipitantur.*

3. Humana prosperitas videtur quidem faustus et prosper ventus; verum hoc prospero vento ad orcum navigatur. Sicut adversitatis ventus ad cælum, ita prosperitatis humanae flatus ad tartara ducit. Videte Lazarum et divitem avarum. Primus vento adversitatis agitabatur; et secundus vento prosperitatis. Flatus autem paupertatis et adversitatis Lazarum in sinum Abrahæ, veluti in portum tranquillissimum duxit; et contra, prosper divitiarum ventus, plenis velis, divitem in orcum impulit: iste, ait Chrysostomus, *secundo navigabat vento et ideo ad naufragium festinabat* (hom. 1 de Laz.). O felicissimam infelicitatem, quæ pauperem Lazarum ad æternam duxit felicitatem! O infelicissimam infelicitatem et prosperitatem, quæ divitem ad æternam infelicitatem traxit! Ecce quo trahi et precipitari solent qui humana prosperitate gaudent. Sicut enim sogetam nimia prosternit ubertas, ita qui prospera utuntur fortuna, prosperitate sua, nimique rerum affluentia ad peccatum et ad infernum prosternuntur et precipitantur. Ulterius, sicut saginatur et libere vagari permittitur bos, qui paratur ad victimam et qui ad macellum destinatur: saginatus autem, illico mactatur et occiditur; ita divites et quibus cuncta in præsens prospere cedunt, plerumque quasi tauri devoti victimæ, ad inferni sup-

plicia parantur: *attende illos superbos indisciplinatos; attende taurum devotum victimæ, permillum errare libere et vastare quæ potest usque ad diem occisionis* (S. Aug. in Psal. 72). Qui modo letantur et secundis rebus exultant, ad occisionem et ad inferni supplicia haud raro ducentur: hi *ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt*. En quo perducere solet humana prosperitas: ne ergo invidetis iis, quibus omnia prospera contingunt hoc vita. Si oves, quæ in monte paucis et aridis herbulis vescuntur, intellectu præditi essent, non utique inviderent iis, quæ in valibus lascivientes, uno, alterove mense saginantur ad macellum. Sic tu non invidetis iis qui ducunt in bonis dies suos et qui pingui gaudent fortuna: quia plerumque quasi impinguantur, ut ad macellum et ad infernum mactandi trahantur. Non eis invidetis; sed potius despice et time omnem mundi prosperitatem, quæ contemptibilis, transitoria et periculosa est. Ne ames periculum; in quo perires; quinimo ama cruce et tribulationes, in quibus est securitas. Memento, quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (Act. 14, 21); non per multas divitias, non per multas delicias, non per magnam prosperitatem, sed *per multas tribulationes*. Despice ergo, contemne et time mundi prosperitatem; ama vero, amplectere et hilariter porta tribulationes, quæ te ad cœlestia regna portabunt. Amen.

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

DE ORATIONE.

Petite et accipietis (Joan. 16, 24).

Cum magnates et potentes in sæculo non orare, sed imperare consueverint, orationem plerumque inspiciunt, non ut

quid magnum et ab hominibus appetendum, verum uti unicum pauperum, debiliun et miserrorum perugium. Qui autem recte et christiane de oratione sentiet, ea nihil sublimius, nihilque præclarior esse censet: etenim per eam ad Dei thronum mente ascendimus, cum illo sermocinamur, ejus mitigamus iram, illum exarmamus, eumque inclinamus ad concedenda nobis quæcumque petierimus: *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joan. 16, 23). Orationem ut quid vile et contemptibile non reputabat S. Gregorius Nyssenus: cum eam omnibus sæculi bonis antecellere prædicaret: *nihil orationi præstat*. Neque a sancti illius Patris mente alienus erat D. Augustinus, qui piun orationis exercitium nunquam satis laudare poterat, dicebatque, oratione nihil esse præclarior, nihil utilius, nihil amabilius: *quid est oratione præclarior? quid vita nostra utilius? quid animo dulcius? quid in tota nostra religione sublimius?* Hæc audire nequeo, quin ad orationis studium accendar: ad illud accendor magis, cum Christum audio promittentem, quod quæ petierimus, assequemur: *petite et accipietis*. Opto, ut eodem orationis amore ardeat cor vestrum: quod ut fiat, de oratione erit ista conço. Ave.

Summo studio conatur diabolus homines ab orationis exercitio avertere. Scit veterator satanas, quantum Deo placeat oblatum sibi ab hominibus sacrificium laudis: scit, quanta bona, quantaque emolumenta ex oratione homines percipere solent. Quapropter sicut Pharaon, ut israelitis a sacrificiis Deo offerendis impediret, eos distrahebat ad paleas conquirendas, fingendosque lateres, ita daemon, ut homines ab orationis exercitio abducatur, eos paleis bonorum temporalium conquirendis ac lateribus conficiendis occupat. Jamvero qui sapiunt, demonis astutiam facile declinant et orationis exercitio studiosè vacabunt sedulo attendentes, quod orationis exercitio 1. nihil magis necessarium; 2. nihil magis utile; 3. nihil magis amabile. Quam necessarium, quam utile et quam amabile sit orationis exercitium, en tres hujus concionis partes.

I PARS.

Quam necessarium sit homini orationis exercitium.

Deus, cujus summa sapientia et infinita misericordia, novit omnia quibus egemus, nostrisque optat occurrere necessitatibus; verum vult sepe, ut favores et gratias, quas ab aeterno nobis largiri statuit, non recipiamus, nisi prius eas humiliter et pie postulaverimus. Et ideo necessario orare debemus, non ut nostras Deo manifestemus necessitates, quas jam perfecte cognoscit; non etiam ut illum spectamus ad danda hic et nunc, quae ab aeterno nobis dare statuit; sed ut ea quae nobis ab aeterno dare decrevit, obtineamus modo, quo vult ut ea assequamur, scilicet per orationem. Et hoc modo necessaria est oratio peccatoribus, justis et omnibus: 1. *peccatoribus*, ut convertantur; 2. *justis*, ut perseverent; 3. *omnibus*, ut salventur.

1. *Conversio*, Dei simul et peccatoris est opus: *Dei*, qui conversionis gratiam peccatori infundit; et *peccatoris*, qui huic gratiae cooperatur. Unde duo ad conversionem necessario concurrunt, nempe gratia et cooperatio. *Gratia*, ex parte Dei, et *cooperatio*, ex parte peccatoris. Quomodo autem hanc peccator obtinebit gratiam, sine qua converti nequit? Ut illam impetret, orare, illamque supplex a Deo postulare debet, eo quod hanc Deus gratiam illis solummodo dare consuevit, qui illam piis et ferventibus precibus petunt, prout ait D. Augustinus, *credimus, nullum, nisi orantem, auxiliari*. Scio, Deum nonnunquam tunc peccatores ad poenitentiam vocare, eisque conversionis dare gratiam, cum nec de Deo, nec de conversione cogitant. Ino, praeter nimiam qua Deus pollet bonitate, hanc aliquando peccatoribus largitur gratiam non quando illam petunt, sed quando in peccatis voluntant, et omni penitus gratia indigni videntur. Ast haec sunt specialia et extraordinaria misericordiae divinae opera; haec sunt privilegia, quae aliquibus dumtaxat et

paucissimis conceduntur: nam secundum ordinarium providentiae divinae modum, conversionis gratia orantibus tantum et postulantibus datur: *Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se* (Luc. 11, 13). Non ait, quod detur gratia iis qui non orant neque eam petunt, imo vero quod detur *petentibus*; quia oratio est necessaria peccatoribus, ut conversionis gratiam impetrent. Licet enim orationibus suis gratiam conversionis mereri haud valeant; vult tamen Deus hanc illis gratiam dare, mediantibus eorum orationibus; nec hanc illis Deus gratiam tribueret, nisi orarent, eamque debite peterent. Est ergo oratio necessaria peccatoribus, ut convertantur; *est etiam necessaria justis, ut in statu gratiae perseverent*.

2. Cum justificentur peccatores, habituales seu sanctificantem a Deo recipiunt gratiam, quae animabus illorum inheret, et quae dicitur forma justificationis, qua iusti formaliter fiunt. Illa autem gratia, licet ex se sit permanens, non tamen inamissibilis est, nec modo inamissibili animam informat. Theaurus quidem magnus hic est; qui tamen perdi potest: imo qui facile perditur, nisi Deus justis det gratias actuales, quarum auxilio freti gratiam hanc habituales conservent et in ea perseverent. Nec ad perseverandum sufficienti gratiae actuales communes; insuper specialis et selecta requiritur gratia, quam vocamus *donum perseverantiae*, sine quo homo iustus diu in statu gratiae perseverare nequit: *Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit* (Trid. sess. 6, can. 22). Quomodo autem poterunt iusti a Deo impetrare specialia haec auxilia ad perseverandum necessaria? Oratione illa obtinebunt; nec ea dare solet Deus, nisi iis qui humiliter ea postulaverint. *Constat*, inquit Augustinus, *Deum nobis aliqua, etiam non orantibus dare, ut initium fidei: alia non nisi pro orantibus praeparasse, sicut perseverantiam in finem* (de don. persec. 16). Haec est differentia inter sanctos qui in caelo triumphant et iustos qui in hoc mundo militant, quod sancti in caelo hostes non habeant, adversus quos decertare teneantur, nullisque tentationibus et periculis sint obnoxii; et

ideo non indigent oratione, ut hostes debellare, pericula evadere, tentationibus resistere et in Dei amicitia perseverare valeant. Iusti autem in tot tantisque subiciuntur tentationibus, totque peccandi periculis hac vita obijciuntur, ut nec peccare non possint, nisi specialibus Dei auxiliis adjuventur: ne ergo peccent mortaliter, et ut in statu gratiæ perseverent, orare et frequenter orare debent, ac sepe a Deo potere gratiam, qua vincere et perseverare valeant. Est ergo oratio iustis necessaria, ut perseverent: *est etiam necessaria omnibus, ut salventur.*

3. Si oratio sit necessaria peccatoribus, ut convertantur, et iustis, ut perseverent, optime inde sequitur, omnibus esse necessariam, ut salventur; omnes enim homines sunt iusti, aut peccatores; iusti autem nequeunt salvari, nisi perseverent; nec peccatores, nisi convertantur; et ideo oratio omnibus hominibus, sive iustis, sive peccatoribus, necessaria est, ut salventur. Hæc ratio perspicua est. Cui ut aliam quasi similem addam, dico, orationem omnibus ad salutem necessario frequentandam tanquam medium ad Dei legem servandam necessariam. Equidem fateor in Decalogo nullum haberit præceptum formale et explicitum de oratione, at in eo implicite præcipitur oratio. Enimvero docent Theologi, quando aliquid expresse per aliquam legem præcipitur, eo ipso implicite præcipi ea omnia ad hanc legem servandam necessaria. Oratio autem est ad legem Dei servandam necessaria, tum quia sicut civitas sine muris custodiri non potest, ita nec Dei lex sine oratione, quæ est quasi murus ad repellendos dæmonis impetus, tum quia omnia Dei mandata servari non possunt sine gratia, nec gratia obtineri solet sine oratione. Et ideo oratione opus est ad servanda mandata, ac proinde ad obtinendam salutem; quam nemo consequitur, nisi servet mandata: *si vis ad vitam ingredi, serua mandata* (Mat. 19). Ecce quam necessaria tibi sit oratio. Si peccator es, necessaria tibi est, ut ad Deum convertaris; si justus es, necessaria tibi est, ut in Dei gratia perseveres; sive peccator, sive justus sis, necessaria tibi est ad salutem. Igitur ora, in tentationibus ora; cum est peri-

culum peccandi, ora; et quam frequentissime poteris, ora. Nec dicas: miles sum, artifex sum, mercator sum; tantisque opprimor negotiis, ut vix valeam de Deo cogitare. Verum est, quod tandem orationi vacare non debeat miles, vel artifex, quando monachus; attamen sive miles, sive alius quisque sis, ab omnibus aliis te extricare debes negotiis, ut singulis diebus aliquandiu orationi vaces. Non tanta pro certe negotiorum mole premeris, quanta David, qui rex erat, qui militiæ dux erat; et tamen vespere, mane et meridie orationi incumbat; septies in die laudem Deo dicebat; imo et media nocte ad confitendum Deo surgebat. Cur et tu qualibet die, relictis sæcularibus negotiis, aliquandiu orationis exercitio non incumbes? Cur mane non orabis, cum e lecto surrexeris? Cur non sero, antequam cubitum eas? Cur singulis diebus sanctissimo non adstabis sacrificio, ut Dei auxilium invoces? Cur in cubiculo singulis diebus non aliquandiu latebis, ut Deum in fervore cordis depreceris? Ora et frequenter ora; quia orationis exercitium est maxime necessarium. Orandum etiam, *quia orationis exercitium est maxime utile.*

II PARS.

Quam utile sit homini orationis exercitium.

Sicut de pietate dicitur, quod ad omnia utilis sit: *pietas autem ad omnia utilis est* (1 Tim. 4); ita et orationis utilitas ad omnia se extendit. Et ideo oratio modo vocatur *armatura*, cujus virtute salutis nostræ hostes debellamus; modo dicitur *clypeus*, quo dæmonis et carnis tentationes repellimus; nunc *clavis* eoslestes thesaurus aperiens, nuncupatur; nunc *thesaurus* appellatur, in quo omnes divitiæ spirituales inveniuntur. Hæc omnia hominibus utilissimum esse orationis exercitium aperte revelant; ut autem utilitates et emolumenta, quæ ex oratione elicere possumus, clarius explicem, dico orationem nobis utilissimam, quia orationibus nostris 1. Dei iram

placamus; 2. Dei justitiam exarmamus; 3. Dei bonitatem ad innumera beneficia nobis impendenda flectimus.

1. *Multum valet deprecatio justis assidua*, inquit S. Jacobus. Multum quidem valet, et ad multa utilis est oratio debite facta; potissimum utilis est ad placandam Dei iram. Est enim oratio nostra quasi musica Deo gratissima, quæ illum adversus iratum placat et lenit: *oratio Deum lenit* (Glos. in homines iratum placat et lenit: *oratio Deum lenit* (Glos. in c. 3 Job.). Tanta dexteritate lyram pulsabat Orpheus, tamque suavam ejus cithara sonum edebat, ut non solum homines, verum etiam fœos musica sua incantaret, demulceret et placaret. Ex hac fabula infert D. Hieronymus, orationes nostras esse lyram hæc fabula infert D. Hieronymus, orationes nostras esse lyram hæc fabula infert D. Hieronymus, orationes nostras esse lyram et musicam, quæ Dei amores longe melius demulcemus, ejusque iram placamus; *oratio*, inquit, *est Lyra nostra, hæc cithara nostra, in hac cantamus Domino*; imo ea excantamus Dominum; nam uli versio vulgata habet: *Psallite Deo nostro in cithara*. Septuaginta vertunt: *excantate*, quia orationes nostræ sunt musica, quæ incantatur et placatur Deus: *Oratio Deum placat*. O peccator, toties criminibus tuis Deum exacerbasti; illius iram toties adversum te accendisti; sume nunc lyram et citharam; orationis suam decanta musicam et Deum adversum te iratum placabis. O magnam orationis utilitatem! Quæ etiam utilissima est, *quia justitiam Dei exarnat*.

2. Israeliticus populus adoratione vituli Deum ad iracundiam provocaverat; accessus erat Dei furor; utque de tanta injuria vindictam sumeret, jam arma sua præ manibus tenebat; jamque ad vibrandas adversus ingratum hunc populum sagittas in promptu erat. Moyses autem Deo juste irato oratione sua restitit, ejusque justitiam exarmavit. Refert sacer Textus, quod oranti Moysi dixerit Deus: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos* (Exod. 32). Licentiam ferendi populum a Moysse petiit, qui Moysen fecit. Moysen rogat Deus, et ab eo licentiam puniendi ingratum populum efflagitat; quia Moysis oratio Deum, licet omnipotentem, ligabat, ejusque justitiam exarmabat, ne populum feriret: *Dei potentiam serci preces impediabant* (Hier. Ep.). Dicebat Deus Moysi: *dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos*. Quasi diceret: o

Moyses, intermitte preces tuas, quibus a percutiendo ingrato hoc populo impediatur; desine pro hoc populo orare, ut dire plectam illum. Moyses autem orare non destitit: *Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Egypti in fortitudine magna? Orare non cessavit Moyses, et oratione sua vicinabilem, omnipotentem ligavit, iratum Deum mitigavit, ejusque justitiam, ne puniret populum, exarmavit: nam, ut subdit sacer Textus, placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum*. O magnam orationis virtutem! O magnam orationis utilitatem! quæ tanta est, ut virtute illius Deum adversus nos armatum et ad vindictam de peccatis nostris sumendam paratum, exarmare possumus. Tanta adhuc est orationis utilitas, ut, ea mediante, innumera a Deo beneficia impetrare valeamus.

3. Pactum solemne, inquit Sanctus Augustinus, initum est inter Dei misericordiam et hominis orationem, quo se adstrinxit divina misericordia, ad nihil orationibus hominum debite factis denegandum: adeo ut quotiescumque homo debita ratione aliquid a Deo petet, securus esse debeat, se illud impetraturum: *Cum videris non a te amotam orationem, securus esto, quia a te amota non est misericordia*. Magnifica promissio, quæ se obligavit Christus ad largiendi hominibus omnia quæ orationibus suis debite petierint: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis et evenient vobis*. Magnifica quidem hæc promissio, verum explicatione indiget. Quod ut fiat, videamus quid Christus his verbis promiserit. Promisit ne Christus his verbis, se nobis daturum omnia quæ petierimus, etiam mala sint? Non; quia hæc promissio respicit petentium bonum; et ideo minime pollicitus est, se daturum eis mala et noxia, quæ aliquando petunt. Promissitne quoque Christus præfatis verbis, se daturum nobis sanitatem, rerum abundantiam, mundi dignitates et alia temporalia bona, quotiescumque ea poscemus? Non; quia si hæc nobis semper concederentur, forent nobis sepe noxia et damnationis occasio; nec ista ergo pollicitus

est, se nobis semper concessurum; solum cum ad sui gloriam, vel ad profectum nostrum spiritualem hæc nobis concedi expedit: ut enim ait Augustinus: *non semper dat Deus quod cis, sed quod dari expedit*. Et ideo hæc temporalia non absolute, verum sub conditione a nobis petenda sunt, si nimirum hæc nobis dari expediat. Quid vero de humilitate, patientia, charitate, gratia et aliis bonis spiritualibus? Hæc absolute et absque ulla conditione a nobis petenda sunt, quia hæc semper ad nostram salutem prosunt. Et hæc bona spiritualia, necnon bona temporalia ad salutem nostram necessaria infallibiliter dabit nobis Christus, si ea debite, id est pie, humiliter, cum fervore et perseverantia postulaverimus. Et sic generalis illa promissio, qua pollicetur Christus, se nobis omnia quæ petierimus daturum, intelligenda est de omnibus quæ ad salutem nostram utilia et necessaria sunt; quæ omnia infallibiliter dabit, si debite petierimus. *Dabit*, inquit Doctor Angelicus, *si pro te petas necessaria ad salutem; si pie, si perseveranter*. O quam magna hæc Christi promissio! o quam magna etiam est orationis utilitas, cujus virtute, Dei iram placare, justitiam exarmare et bonitatem ad innumera bona nobis impendenda inclinare valeamus. Cum itaque tanta sit orationis utilitas, orationis exercitio sedulo vacate? orate, ferventer orate; pie et constanter orate, ut Deum placare et exarmare valeatis, utque obtineatis quæcumque ad salutem vobis prodesse queunt. Ne imitemini multos, qui ita orant, quasi Deum irrideant, illumque ad iracundiam provocare velint; petite quæ salutis vestre sunt, ea humiliter, pie et constanter postulate; dabitque vobis Deus quicquid petieritis. Ecce quam utilis sit oratio; *videamus quam sit amabilis*.

III PARS.

Quam amabile sit orationis exercitium.

Vix capere queunt, amabile esse orationis exercitium, qui orationi vacare non solent; iniqui et tepidi nauseant super cibo illo levissimo; orationis hora est illis tædii et morosis tempus. Revera tamen orationis exercitium est summe amabile, nilque hic in terris reperitur amabilius, quam in oratione 1. de Deo cogitare; 2. cum Deo fabulari; 3. Deo frui.

1. Qui vere orat, de Deo cogitat; cum oratio sit *mentis in Deum elevatio*. Multi tamen, qui orationis exercitio certis horis incumbere profitentur, pretioso hoc orationis tempore non de Deo, sed de terrenis, de mundanis, de inutilibus et vanis cogitant; et ab his hand dubie non amatur pium, sanctum et totis affectibus amabile orationis exercitium. Qui vero in oratione de Deo, deque infinitis ejus perfectionibus cogitare solent, nil amabilius experiuntur, quam orationis exercitio incumbere. Vellem, ut quisque expertos et viros spirituales hac de re consuleret: ab illis enim omnibus audiret quisque, quod orationis *rara hora, parva mora*: quodque nil in hoc mundo amabilius, quam in oratione de Deo summe bono et infinite amabili cogitare. Quamquam vero id ab ipsis non audiretur, hoc satis ipsa ratio suadet: quid enim amabilius esse potest, quam cogitare de Deo, in quo omnia, a quo omnia et per quem omnia? Quid delectabilius, quam mente revolvere infinitam Dei maiestatem, inexhaustam ejus bonitatem, sapientiam ejus incomprehensibilem et potentiam interminatam? Quid suavius, quam fixum in oratione habere animum in objecto illi beatifico, cujus contemplatione beatificantur, extra se rapiuntur et ineffabili consolatione afficiuntur Sancti? Heu! mundani inveniuntur, quibus nil suavius, quam de creatura aliqua, quam diligunt, cogitare; numquid non dulcius homini, qui gustavit quam suavis est Dominus, quam de eo in oratione cogitare, ejusque infinitas

perfectiones mente revolvare? Si quis a patria longe exulans, disceret patrem suum esse regem potentissimum, sapientissimum, ditissimum et erga omnes beneficum, quid illi iucundissimum et amabilis esse posset, quam animo volvere honores quibus fruatur pater, delicias quibus gaudet et divitias quas possidet, quarum se hæredem futurum speraret? heu! si gauderet ille, quanto non afficitur gaudio, quanta non potitur consolatione, qui in oratione, de Patre suo qui in coelis est, serio cogitat? Quid illi amabilius quam mente versare, Patrem suum in celo, cum sanctis regnare, gloriose triumphare, ineffabilibus affluere gaudiis, immensos possidere celestium bonorum thesauros, sibi que parare regnum, cuius fines omnem terminum excedunt; in quo nullus luctus, nullus fletus, nulla tristitia, inopia nulla; in quo quisque in æternum possidebit omnia quæcumque optare poterit? Ament avari terrenas opes; illicitas appetant voluptates impudici; honores ambient aulici: nil in hoc mundo amabilius quam in oratione de Deo cogitare et in oratione cum Deo fabulari.

2. In oratione non solum de Deo cogitamus; sed incomprehensibili privilegio a Deo nobis concesso, ibi cum eo colloquimur et familiariter confabulamur: *grande miraculum, ut homo, terra et cinis, in sua purissima oratione cum Deo fabuletur* (Aug. ser. 6 in comm.). Quis non admiretur et magnam Dei in homines dignationem, et magnam hominis felicitatem? Magna Dei in homines est dignatio, quod ipse, cuius maiestas infinita ad suum colloquium homines admittere velit; maxima etiam hominis felicitas, quod ipse cum Deo familiariter in oratione conversetur: *considera, quanta tibi concessa felicitas, quanta gloria attributa orationibus, fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquium* (S. Chrys. de orando Deo). Felices se existimant, qui cum terreno rege aliquantulum versantur: nil amabilius consent illo tempore, quo ab eo audiuntur et cum illo fabulantur. Jam quanto feliciores, qui orationi vacant? Hi enim non cum terreno principe, verum cum ipso Deo loquuntur, non semel et aliquibus tantum momentis, sed quoties et quando voluerint. Ibi cum Deo

familiariter loquuntur, sicut filii cum patre, sicut amici cum amico et sicut sponsa cum sponso. Nec tædium aliquod, imo maximam felicitatem parit conversatio Dei cum hominibus: *non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed letitiam et gaudium* (Sap. 8, 76). O quam amabilis est oratio, in qua homo cum Deo loquitur! quam amabilis oratio, in qua Deus possidetur! *nec aliquid est amabilius, quam Deum in oratione possidere.*

3. Perfecto nulli dubium quod in celo tantum, non autem in terra perfecte possideatur Deus; quod in terra nunquam eo perfecte, et constanter fruamur per clarum ejus visionem et amorem beatificum; in oratione tamen sæpe Deus mentibus nostris illabitur, cordibusque nostris sese speciali modo communicat. *Ibi* hominum etiam rudiorum mentes sæpe gloria sua ita irradiat, ut divina mysteria nonnunquam perfectius agnoscant hi, quam subtiliores quique theologi. *Ibi* sancto amoris sui igne corda nostra accendit. *Ibi* celestes delicias interdum preguamus, Deumque in nobis mirabili modo effusum experimur. *Ibi* nos supra nosmetipsos erigimus, ita ut terrena cuncta sub pedibus nostris, ac quasi nihilum inspiciamus, et in cellam vinariam, seu in celum quodammodo introducamur, ut Deo frui incipiamus: *introducit me rex in cellam vinariam* (Cant. 2, 4). Hoc norunt, qui orationi studiosè incumbunt, et qui delicias non in creaturarum, at in Creatoris conversatione querunt; hoc sciunt, qui soli cum solo colloquia sacra miscere consueverunt. *Dicant* hi quot in oratione altissima divinitatis mysteria penetrare meruerint? *Dicant*, si possint, quot in oratione veritates, excellentioribus sæculi doctoribus ignotas, clarissime noverint? *Dicant*, quot sanctis et celestibus deliciis in oratione affecti et quasi inebriati fuerint? Nonne tantam in oratione suavitatem, totque delicias multi degustarunt, ut extra se rapti, visus, tactus, gustus, aliorumque sensuum usu privarentur? Nonne multorum animæ in oratione quasi a corpore solvi coperunt, ut ad Deum volarent, eoque fruerentur? Nonne sæpe in oratione aliquibus Deus tam intime illabitur, ut nil in iis terrenum remaneat, ac in Deum quodammodo transformetur, similesque Christo fiant

qui, dum oraret, totus transfiguratus est; *ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera* (Luc. 9, 28). O quam amabile orationis exercitium, in quo homo Deum contempletur, cum Deo loquitur, et Deo quodammodo fruatur! Non solum ergo necessarium et utilissimum, etiam summe amabile est orationis exercitium: itaque frequenter orate, *sine intermissione orate* (1 Thes. 5); in omni loco, omni tempore orate. Imitamini viros illos sanctissimos, de quibus ait sanctus Joannes Climacus, quod continue orarent, ita ut orare et respirare apud eos quasi unum et idem essent. *Orate semper, orate debite et perfecte, et oratio clavis erit aurea, qua vobis aperientur regna cœlorum. Amen.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

DE SCANDALO.

Hoc locutus sum vobis, ut non scandalizemini
(Joan. 16).

Christiane dixit ethnicus quidam (M. T. Cicero), primam legem inter amicos servandam hanc esse, quod nullus verbo vel facto alium ad peccandum alliciat. Hanc eandem legem non solum ab amicis, verum et ab omnibus hominibus servandam majore cum autoritate tulit legislatorum princeps Christus Dominus, qui cum in hanc mandum venisset, non ut homines perderet, sed ut omnes salvaret, nominatim prohibuit ne aliquis alium ad peccatum induceret; ac maledicto ferit homines illos scandalosos, qui legem hanc violant, et qui sive verbis indebite prolatis, sive pravis suis operibus et exemplis peccandi occasionem aliis præbent: *væ homini illi, per quem scandalum venit* (Matt. 18, 7). Nil huic legi contrarium agere poterat Christus, qui

cum impeccabilis esset, nil mali dicere, vel facere poterat, quo alii ad peccandum allicerentur; timebat tamen, ne etiam ex bonis suis actionibus apostoli occasionem peccandi arriperent, et ne de ipsa sua passione scandalizarentur: Ideo ut a cadendi periculo illos amoveret, atque impediret, ne scandalum paterentur, illos de futura sua passione et de Spiritus Sancti adventu præmonuit: *hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Heu! si Christus timeat, ne ex passione sua, qua nihil sanctius, nihil melius, nihil ad hominum salutem utilius, peccandi occasionem sumant discipuli, est sane quod timeant, et toto corde contremiscant viri illi scandalosi, qui verbis indebite prolatis, et malis suis exemplis alios scandalizant, et ad peccata pertrahunt. Ut autem majorem illis timorem ineutiannus, eosque ad respiscendum inducamus, istam de scandalo instituemus concionem. *Ave.*

Scandalum dicitur peccatum occasionatum, seu ex occasione proveniens. Tripliciter autem peccare quis potest ex occasione. *Primo*, cum quis pravis suis verbis, vel iniquis actionibus peccandi occasionem aliis præbet, et hoc est scandalum activum. *Secundo*, cum quis ex pravis aliorum verbis, vel exemplis peccandi occasionem sumit; et hoc est scandalum passivum pusillorum. *Tertio*, cum quis non ex malis, sed ex bonis aliorum verbis et actionibus occasionem capit in peccatum cadendi, et hoc est scandalum passivum Phariseorum, quorum tanta nequitia, ut ex Christi miraculis et virtutibus occasionem invadendi illi, in illum murmurandi, aliaque peccata perpetrandi arripuerint. De passivo sive pusillorum, sive Phariseorum scandalo agere modo mei non est instituti. De activo solummodo disserere statuo, et de viris illis scandalosis, qui consilio, suasionis, consensu, præcepto, vel malis suis verbis et exemplis alios ad peccandum allicient, ac qui in hoc peccant, quod aliis peccandi occasionem præbent. De hoc autem scandali peccato dicam 1. quam commune sit: 2. quam grave sit: 3. quanta poena dignum sit.

qui, dum oraret, totus transfiguratus est; *ascendit in montem ut oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera* (Luc. 9, 28). O quam amabile orationis exercitium, in quo homo Deum contempletur, cum Deo loquitur, et Deo quodammodo fruatur! Non solum ergo necessarium et utilissimum, etiam summe amabile est orationis exercitium: itaque frequenter orate, *sine intermissione orate* (1 Thes. 5); in omni loco, omni tempore orate. Imitamini viros illos sanctissimos, de quibus ait sanctus Joannes Climacus, quod continue orarent, ita ut orare et respirare apud eos quasi unum et idem essent. *Orate semper, orate debite et perfecte, et oratio clavis erit aurea, qua vobis aperientur regna cœlorum. Amen.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

DE SCANDALO.

Hoc locutus sum vobis, ut non scandalizemini
(Joan. 16).

Christiane dixit ethnicus quidam (M. T. Cicero), primam legem inter amicos servandam hanc esse, quod nullus verbo vel facto alium ad peccandum alliciat. Hanc eandem legem non solum ab amicis, verum et ab omnibus hominibus servandam majore cum autoritate tulit legislatorum princeps Christus Dominus, qui cum in hanc mandum venisset, non ut homines perderet, sed ut omnes salvaret, nominatim prohibuit ne aliquis alium ad peccatum induceret; ac maledicto ferit homines illos scandalosos, qui legem hanc violant, et qui sive verbis indebite prolatis, sive pravis suis operibus et exemplis peccandi occasionem aliis præbent: *væ homini illi, per quem scandalum venit* (Matt. 18, 7). Nil huic legi contrarium agere poterat Christus, qui

cum impeccabilis esset, nil mali dicere, vel facere poterat, quo alii ad peccandum allicerentur; timebat tamen, ne etiam ex bonis suis actionibus apostoli occasionem peccandi arriperent, et ne de ipsa sua passione scandalizarentur: Ideo ut a cadendi periculo illos amoveret, atque impediret, ne scandalum paterentur, illos de futura sua passione et de Spiritus Sancti adventu præmonuit: *hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Heu! si Christus timeat, ne ex passione sua, qua nihil sanctius, nihil melius, nihil ad hominum salutem utilius, peccandi occasionem sumant discipuli, est sane quod timeant, et toto corde contremiscant viri illi scandalosi, qui verbis indebite prolatis, et malis suis exemplis alios scandalizant, et ad peccata pertrahunt. Ut autem majorem illis timorem ineutiannus, eosque ad respiscendum inducamus, istam de scandalo instituemus concionem. *Ave.*

Scandalum dicitur peccatum occasionatum, seu ex occasione proveniens. Tripliciter autem peccare quis potest ex occasione. *Primo*, cum quis pravis suis verbis, vel iniquis actionibus peccandi occasionem aliis præbet, et hoc est scandalum activum. *Secundo*, cum quis ex pravis aliorum verbis, vel exemplis peccandi occasionem sumit; et hoc est scandalum passivum pusillorum. *Tertio*, cum quis non ex malis, sed ex bonis aliorum verbis et actionibus occasionem capit in peccatum cadendi, et hoc est scandalum passivum Phariseorum, quorum tanta nequitia, ut ex Christi miraculis et virtutibus occasionem invadendi illi, in illum murmurandi, aliaque peccata perpetrandi arripuerint. De passivo sive pusillorum, sive Phariseorum scandalo agere modo mei non est instituti. De activo solummodo disserere statuo, et de viris illis scandalosis, qui consilio, suasionis, consensu, præcepto, vel malis suis verbis et exemplis alios ad peccandum allicient, ac qui in hoc peccant, quod aliis peccandi occasionem præbent. De hoc autem scandali peccato dicam 1. quam commune sit: 2. quam grave sit: 3. quanta poena dignum sit.

I PARS.

Quam commune sit scandalum peccatum.

Sicut non per se solum, etiam per apostolos et viros apostolicos Christus hominum salutem incubuit, ita et demon non ipse solus, etiam per viros scandalosos homines ad peccandum allicit, et a via paradisi avertit. Hi quos assumpsit Christus, ut hominum salutem secum laborarent, pauci sunt: *Messias quidem multa, operarii autem pauci* (Matt. 9); viri autem scandalosi, quibus utitur demon, ut ceteros ad peccandum inducat et perdat, innumeri sunt. Ut enim ait sanctus Bernardus, *scandalosi sunt* qui alios docent turpes cantilenas ad lasciviam provocantes; ac etiam qui adolescentulas docent fucare vultum, nimis superbe vel impudice se ornare, ac similia operari: *scandalosi sunt*, qui iniquis consiliis, suasionibus perversis, saevis comminationibus, vel impiis praeceptionibus alios ad usuram, ad furtum, ad rapinam, et ad alia multa ducunt: *scandalosi sunt*, qui verbis inhonestis, gestibus illicitis, aliisque modis personas seducunt, ad libidines stimulant, et ad turpia inclinant: *scandalosi sunt*, qui diabolica doctrina docent infirmitates curare, demones invocare; incantationibus amissa recuperare, somniis et sortilegiis fidem dare: *scandalosi sunt*, qui alios a Sacramentorum receptione; a fide praedicationibus adhibenda, ab alienorum restitutione, et aliis ad salutem necessariis avertunt: *scandalosi* demum quicumque malis suis verbis et exemplis proximum quocumque modo scandalizant, et ad malum inducunt. O quot huiusmodi personae scandalosae! O quot in mundo scandala! Certe totus mundus plenus est scandalis, quia plenus personis improbis, licentioribus suis satisfaciunt, alios scandalizant et ad peccata alliciunt. Hoc scandalum peccatum ita commune est ut in omnibus locis, omnibusque statibus, quantumvis sanctis, reperitur; nam plures

ubique verbis, vel malis exemplis alios scandalizant, et ad peccatum inclinant, vel iis saltem peccandi occasionem praebent. Nonne hoc scandalum peccatum locum reperit in caelo, cum Lucifer suasionem et exemplo tertiam angelorum partem ad superbiendum, et Dei voluntati resistendum induxit? Nonne penetratum est hoc peccatum in paradiso terrestri, cum demon Evam, et Eva Adamum ad manducandum de fructu vitae sollicitavit? Nonne hoc peccatum admissum est in coetu apostolico, ubi unus ex apostolis ad principes sacerdotum se contulit, ut iis magistrum venderet, illosque ad eum morti tradendum instigare? Nonne illud peccatum in plerisque congregationibus quantumvis sanctis patrat, ubi fere semper aliquis invenitur Judas, seu aliquis scandalosus, qui pravis suis verbis, malisque exemplis dat aliis occasionem peccandi? In omnibus quidem illis locis invenitur scandalum peccatum. Heu! si hoc peccatum committitur in caelo, in terrestri paradiso, in apostolorum collegio, et in sanctioribus congregationibus, quanto magis in aulis principum, in exercitiis, in uribus, in vicis, in locis profanis, penes mercatores, penes caudicos, penes artifices, apud licentioris vitae homines, et apud omnes, qui mundi vanitatibus et voluptatibus merguntur? Certe in huiusmodi locis, et apud huiusmodi personas, imo in omnibus mundi locis nil communius scandalo; quia ubique reperitur, qui alios ad peccandum allicit. Unde dixit Christus: *ov munda a scandalis*. Non dixit solum: *vae aliquibus mundi hominibus*, sed: *vae mundo a scandalis*; quia totus mundus scandalis, et hominibus scandalum dantibus repleretur. Sanctus Antonius in extasim raptus totum mundum laqueis plenum vidit. Quid hi laquei? Crediderim, hos laqueos esse viros scandalosos, quibus quasi laqueis utuntur demones, ut homines capiant, et ad peccatum trahant. Scimus, sanctum quemdam Episcopum famosam et scandalosam mulierem vocasse *laqueum diaboli*, quia erat quasi laqueus, quo juvenes et viros etiam pios diabolum capiebat. Sic pariter vocari debet omnes personae scandalosae, quae alios ad peccandum alliciunt: scandalosi enim non modo apostoli demonis, verum et ejus laquei

dicendi eo quod ipsis utatur ad capiendas animas. Vere laqueus diaboli fuit scandalosus Arius, qui innumeros Christi et Ecclesiae filios cepit, decepit, et ad daemonis partes traxit. Laqueus diaboli fuit Vicleffus, qui totam Angliam et Bohemiam infestavit. Laquei diaboli fuere Luther et Calvinus, qui Germaniam, Galliam, Daniam et Sueviam a vera Christi fide averterunt, et ad satanae partes adduxerunt. Laquei diaboli sunt omnes haeresiarchae, qui tot espium homines, quot ad suas haereseis pertrahunt. Ad haec nonne etiam laquei diaboli sunt meretrices, ebriosi, et alii omnes, qui peccata publice perpetrant, et verbis vel pravis suis moribus aliis occasionem peccandi praebent? Hi omnes vere laquei diaboli, mundusque totus scatet his laqueis, et personis scandalosis, quae alios ad peccandum alliciunt. *Vae mundo* hujusmodi laqueis, scandalis, et scandalosis refero!

His laqueis capi timebat sanctus Bernardus, et plus scandalosos, quibus utitur diabolus ad capiendas animas, quam ipsam diabolum formidabat: *utinam, inquit, soli nos impugnent maligni spiritus cum suggestionibus suis, et nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasionibus importunis, atque aliis mille modis* (serm. 1 in Sept.). Merito sanctus Abbas scandalosos magis quam daemone[m] pertimescebat; plus etenim timendi sunt; *tum* quia daemone[m] sola cogitatione et maligna inspiratione homines ad peccata allicit, scandalosi vero alios suasionibus, minis, mercede, pravis exemplis, aliisque mille modis ad peccata pertrahunt; *tum* quia sicut cuique unicus dari solet angelus custos, ita et cuique unicus pernititur angelus tentator: at non unicus nobis in mundo occurrit vir scandalosus, qui peccandi nobis occasionem praebet: hujusmodi enim viris circumdamur, totaque habentur scandalosi, qui verbis indebitis et pravis moribus nobis peccandi occasionem praebent, ut difficile et quasi impossibile sit non esse scandala, seu homines, qui nos scandalizent, nobisque peccandi occasio fiant: *neesse est enim, ut veniant scandala*. Timete viros illos scandalosos, qui in via salutis scandala, seu offendicula vobis obiciunt, quibus impingatis; timete personas illas,

quae verbis, gestibus vel iniquis actionibus vos ad peccandum allicere conantur. Timete eas, et quamvis sanguinis et amicitiae vinculis vobis jungantur, si vos a recta via abducant atque ad peccata pertrahant, fugiendae et ab iis longe discedendum. Continget quandoque hanc et illam personam te ad peccatum allicientem, a te diligere ut pupillam oculi: esto quod hac persona non minus egeas, quam dextera tua, omnisque tua felicitas ab ea pendeat: abscondenda tamen est, relinquenda, fugienda, quia, ut ait Salvator, melius est, quod hic oculus tuus eruatur, et haec manus tua abscondatur, quam tu totus in aeternum ignem mittaris: *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te; expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, absconde eam, et projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum; quam totum corpus tuum eat in gehennam* (Matt. 5, 29). Dic, queso, si unum e duobus tibi necessario eligendum foret, aut in profundam abyssum praecipitari, aut unum ex oculis tibi erui, nonne malles tibi erui oculum, quam cum evidenti mortis periculo in altam abyssum projici? Nonne malles unum ex corporis tui membris, quam totum teipsum perire? Malles utique uno orbati oculo, quam mori. Cur ergo non idem pro anima tua salute facies? Cur hanc personam, quae oculo tuo tibi charior est, a te erui non poteris, ut animam saves? Cur non abscondi et a te separari sines hanc creaturam, quae te ad peccandum allicit, ut aeterna morte non plectaris, et ad infernum non detruaris? Absconde et projice abs te hanc et omnes personas, quae te illoquant et ad peccatum provocant. Time, et quantum fas erit, fuge scandalosos et scandala, quorum infinitus est numerus et peccatum commune; *ac etiam peccatum grave*.

II PARS.

Quam grave sit scandalum peccatum.

Scandalum activum, de quo nunc agimus, est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinae (D. Bon. in spec. anim. 1). Unde toties quis scandalum peccatum perpetrat, quoties coram aliquo, vel aliquibus aliquid mali dicit, vel agit, quod ex sua natura est aptum ad dandam spectantibus occasionem peccandi, licet adstantes non inde peccandi occasionem sumant, nec ideo in peccata ruant, ad quæ perpetranda datur illis occasio. Grave esse illud peccatum facile censebit, quicumque ejus naturam intelligit; patet enim, grave esse, quod quis occasionem ruinae præbeat animabus, pro quarum salute Christus Salvator tot labores exantlavit, ac durissimam mortem obiit. Hoc quidem grave, tunc præcipue cum scandalizans verbo vel facto minus recto alteri dat occasionem peccandi mortaliter, vel etiam cum directe, in materia gravi, proximi ruinam intendit. Hujus peccati gravitas mirum in modum describitur in sacra Scriptura, ubi qui alios scandalizant, vocantur viri pestilentes: sicut pestis est gravissimum malum, quod ab eo qui peste laborat, in alios se diffundit, et aliis communicatur, ita et scandalosi tanquam viri pestilentes, non solum sibi nocent, virus suum undique effundunt, et nonnumquam civitates integras dissipant et vastant: *homines pestilentes dissipant civitatem* (Prov. 29, 8). Unde scandalum peccatum gravius videtur hypoecrisi eo quod hypoecrita sibi soli noceat, scandalosus vero sibi primo noceat, et deinde proximo, cui peccandi sunt occasio, et hoc sæpe non uni solum homini, verum et civitatibus provinciis et regnis integris, quibus contagionem suam communicat, *homines pestilentes dissipant civitatem*. O quam grave illud scandalizantium peccatum! grave quidem et gravissimum, cum scandalosi sint peiores hypoecritis illis, quos ita exhorruit Christus, quos toties

obiurgavit, quosque maledictione sua ferit. Si credamus sancto Gregorio, pontifici maximo, gravius adhuc est scandalum peccatum, quia qui alios scandalizant, peiores sunt prædonibus, qui in domibus, in viis publicis, et in sylvis homines bonis temporalibus spoliant. Cujus rei rationem adducit dicens, quod prædones ea solummodo invadere ambiant quæ extra nos sunt, et quæ bona fortune vocamus; scandalosi vero nos prædari interius et divinæ gratiæ bona a nobis auferre satagant: *illi student rapere bona exteriora, quia placent, isti satagunt interiora bona dissipare, quia displicent* (Moral. 26, 9). Ac proinde quanto bona gratiæ sunt temporalibus meliora, tanto scandalosi, qui gratiæ bona a nobis auferunt, peiores sunt prædonibus, qui homines temporalibus solum bonis spoliant. Simili ratione probat Chrysostomus, quod licet gravissime peccent, qui Ecclesias diruant et vastant, gravius tamen peccent illi, qui alios scandalizant, et qui aliis ruinae spiritualis occasionem præbent. Templum templo comparat Chrysostomus; templum scilicet materiale templo spirituali; cum homo sit templum spirituale, gravius peccant, qui verbis et exemplis, hominibus occasionem ruinae præbent, quam qui templa materialia destruunt; *si ergo, inquit, os illud aureum, Ecclesiam destruere grave est, et sceleratum, multo magis si templo spirituali hoc fiat. Augustior enim est homo, magisque venerandus, quam Ecclesia. Non enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter ista Spiritus Sancti templa* (hom. 25 in ep. ad Rom.). Ex quibus satis constat, gravissimum esse scandalum peccatum: ut autem peccati illius gravitatem magis patefaciat S. Bernardinus Senensis, illud comparat veneno, quod hominibus bibendum traditur, et scandalosos cum iis confert, qui ad occidendos homines venenum præparant. Et recte quidem hujusmodi viris comparantur scandalosi, quia cum isti verba minus recta effundunt, vel grave aliquid peccatum coram aliis perpetrant, spectantibus quasi venena, quibus spiritualiter occidunt, præparant et tradunt. « Quis autem, inquit S. Bernardinus, ita insanus est, ut non credat, grave esse peccatum præparare venenum ad homines occidendos? Et si gravem cul-

pari existimas occidere corpora moritura, quanto gravior censere debes animas occidere, Dei imagine insignitas et perpetuo duraturas? » Cum quis hominem quemdam de medio tollit, communem illi cum ceteris animantibus vitam admittit; verum scandalosus qui alium ad scelus perpetrandum inducit, est homicida, qui illi vitam anime eripit: vitam dico spirituales, quam a gratia habet, quæ naturalis angelorum vita præstantior est. Cum homicida aliquem interimit, animam ejus a corpore avocat; qui scandalis suis alium ad graviora crimina allicit, animam ejus occidit, eamque divine gratiæ vitam privat. Et ideo gravior peccat scandalosus, qui alium ad mortaliter peccandum inique inducit, quam homicida qui aliquem quoad corpus occidit. Imo ut ait sanctus Bernardus, qui alium scandalizat, gravior peccat, graviorque Christum persequitur, quam Judæi, qui illum crucifixerunt et morti tradiderunt. *Videtur Christus ab eo gravioriorem sustinere persecutionem, qui suggestionem malignam, exemplo perniciosa, scandali occasione, advertit ab eo animas quas redemit; quam a Judæo, qui sanguinem ejus fudit. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas iniecerunt* (ser. de convers. S. Pauli). O scandilose! attende, et serio recogita, quam grave sit tuum crimen. Credis, te leviter peccare, cum juvenem prava doces, cum adolescentulam ad illicita inclinas, vel quemcumque alium verbis, aut factis ad mortaliter peccandum inducis? Scito, gravissimum esse illud scandalii peccatum, quod perpetras. *Gravissimum est* quia est veluti quædam pestis contagiosa, qua fratrem peccati contagio inficit. *Gravissimum est* quia hypocritarum, prædonum, et Ecclesiarum evertentium crimina gravitate præcellit. *Gravissimum*: quia est venenum, quod aliis bibendum administras, quia est homicidium, quo proximi animam interficis, et quia est quasi deicidium, quo dirius Christum persequeris, quam Judæi, a quibus est in crucem actus. Nam si illi eum occiderunt, tu illi eripis animas quarum causa vitam Christus libentissime profudit. O horrendum crimen! O quam maligni, qui suas hoc scelere coinquinant animas! Quam imprudentes

et stulti, qui hujusmodi scandalizantium consortio se immiscunt! *Rogo vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quas vos didicistis, faciunt; et declinate ab illis* (Rom. 16, 17). Observate, qui sint viri scandalosi, a quibus ad peccandum allici possentis: observate eos, et ab iis fugite; ac cave, ne cum illis unquam fœdas ineatis. *Cave, ne unquam cum habitatoribus terre illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam* (Exod. 34, 12). At non solum cavendum a viris scandalosis, cavendum etiam a scandalis; summaque cura quisque invigilare debet, ut neminem scandalizet: quia scandali crimen est gravissimum; ac etiam quia gravissima pena dignum.

III PARS.

Quanta pena dignum sit scandalii peccatum.

Certo constat, nullum esse peccatum, cui aliqua non debeatur pena, nullumque peccatorem, qui puniri non debeat; sic autem præcipue se res habet quoad illum, qui pravis suis verbis, vel actionibus homines scandalizavit, et ad peccandum induxit. Alii enim peccatores puniri quidem merentur, quia peccaverunt; scandalizans duplici ratione plecti debet, quia scilicet peccavit, et quia alios peccare fecit. Et ideo Jeroboam dire a Deo punitus est, non solum quia peccaverat, sed etiam quia Israëliticum populum peccare fecerat: *Qui peccavit et peccare fecit Israël* (3 Reg. 14, 17). Quanta pena digni sint, qui alios scandalizant, docet Salvator, cum ait, quod præstat mergi in mare, seu mori, et aëro quovis supplicio a vita exterminari, quam aliquem scandalizare, sique mortaliter peccandi occasionem offerre: *Ecce illi, inquit, per quem veniunt scandala. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis* (Luc. 17, 2). Vae vobis, patres iniqui, qui filios vindictam, blasphemiam, avaritiam, impietatem, libidines, aliæque plurima vitia tum verbis,

tum pravis exemplis docetis. Vae vobis, crudeles matres, vel potius nocerae, quae exitiosa et contagiosa vanitatis, invidiae, impudicitiae, irae, otiositatis, et irreligionis exempla filiabus vestris exhibetis. Vae vobis, pictores, qui ad libidinem provocantia pingitis. Vae vobis, poetae impudici, qui foeda canitis. Vae vobis, comedi et alii omnes, qui homines scandalizatis, et ad peccandum allectis; melius enim esset vobis mori, et in profundum maris demergi, quam proximum scandalizare eumque ad peccatum impellere. Mori timebat sanctus Bernardus; mori tamen maluisset, quam alicui praebere occasionem lapsus in peccatum: *mori timeo*, inquit, *quia non sum paratus. Malo tamen mori, et misericordiae Dei me committere, quam de mea conversatione alicui scandalum facere (de int. dom.)*. O patres, o matres, o superiores, o vos omnes, qui aliis in exemplum a Deo estis positi, mori praesigite, quam alicui dare occasionem ruinae. Dicat quisque vestrum: malo mori, quam filio, quam subdito, quam cuius occasionem cadendi praeberere. Hoc dicite corde et ore; hoc dicite, et hoc facite: melius enim vobis esset mori, et in mare mergi, quam aliquem scandalizare, quia poena, qua plectuntur qui alios scandalizant, est temporali morte longe gravior. Scire vultis, inquit sanctus Bernardus, cur dixerit Christus, utilis esse alicui, quod in mare projiciatur, quam quod alium scandalizat? *Hoc dixit, ut significaret, tam graviam imposterum manere tormenta, ut eis comparata mors temporalis, nec poenalis esse videatur, sed commoda (ep. 7 ad Adam.)*. Eodem fere modo respondet S. Hieronymus, dicens, sic locutum esse Christum, quia revera hoc utilis foret ei qui alium scandalizat. *Quia multo melius est pro culpa brevem recipere poenam, quam aeternis servari cruciatibus*. Ecce poenam qua plectuntur, qui alios scandalizant, dietisque suis et factis minus rectis proximum a recte tramite abducunt. Hi cruciatibus addicentur aeternis, poenasque dabunt in interitu sempiternas. *Qui seminat iniquitatem*, inquit Sapiens (Prov. 22), *metet mala*; ille autem iniquitatem seminat, qui alios scandalizat, et qui verbo aut exemplo suam iniquitatem in alios spargit; et hic metet aeterna mala, quia in sui criminis poenam aeternis sup-

pliciis adjudicabitur. Sic praefata verba explicat V. Beda, dicens: *qui verbo, aut exemplo suam iniquitatem in alios spargit, messis loco aeternam vindictam recipiet*. O quam gravis erit hae scandalizantium poena! O quam durum erit eis, ardentibus mergi ignibus, et in medio flammarum aeternum cruciari! O formidandum hujusmodi supplicium! O poenam, cujus gravitas humana omnem excedit eloquentiam! Quae tamen adhuc gravior erit propter maledicta et execrationes, quas in scandalosos evoment illi, quibus damnationis occasionem praeberunt: cum enim in mediis inferni ignibus erit qui alios scandalizavit, impropertans, execrantes, et maledicentes audiet illos, quos pravis actionibus et verbis ad peccata allexit. Quemadmodum hi qui in caelo sunt, multis afficiunt laudibus eum, quem salutis suae autorem agnoscunt, ita in inferno, qui sempiternis suppliciis addicentur, plurima maledicta evoment in eos, qui ipsis ruinae et damnationis occasio fuerunt, ac a Deo vindictam exigunt in illos, a quibus ad tam acerba supplicia adducti sunt. O quam acriter torqueris, scandalose peccator, cum in inferno aeternis ignibus cruciaberis, et cum ibi una cum eis versaberis, qui tui causa se in aeternum damnatos videbunt, et qui in te maledicta conjicere non desinent. Heu! nonne melius est proximum non scandalizare, quam in tanta supplicia incurrere? Nonne melius est nullum scandalizare, quam aeternorum ignium vinum perferre? Nonne melius est, nulli occasionem peccandi dare, quam maledicta et execrationes toto aeternitatis decursu audire? Siste ergo, peccator; ne animas criminis labe inficias; ne Christo animas pretiosas ejus sanguine emptas rapias; ne Christum pretiosissimi sanguinis sui fructu fraudes; ne te horrendis et aeternis suppliciis exponas. Timens D. Paulus, ne aliquibus esset scandalo, si coram illis carnes manducasset, dicebat: *non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem* (1. Cor. 8, 13). Dic tu similiter: haec et illa quae facere solitus sum, imposterum omittam, *ne fratrem meum scandalizem*. Ad hunc et illum locum haud amplius accedam, ubi peccandi occasionem pluries dedi; a vanis his et illis corporis abstineo ornamentis, quae

aliis fierent laqueum et ruinae causa; hæc et illa coram filiis, coram domesticis, et coram aliis non peragam, *ne fratrem meum scandalizem*. A futuris abstine scandalis; sed et de præteritis penitentiam ago; multis dele lacrymis peccata quæ perpetrasti, et ad quæ perpetranda alios induxisti; ac etiam, quantum fas erit, repara damna, quæ verbis et factis tuis proximo intulisti. Imitare Magdalenam, quæ quia oculis, capillis et unguentis pretiosis peccaverat, aliosque ad peccandum allexerat, oculis ad flendum, capillis ad Christi pedes abstergendos, unguentis ad caput ejus inungendum usa est, omniaque quæ ad peccandum illicita fuerant, in virtutum incentiva convertit. Fac tu similiter, veniam a Deo suppliciter postula ob varias scandali occasiones, quas proximo dedisti, et si alios usque ad presens tempus ad peccandum induxisti, sic in futuro tuos mores compone, sic vive, ut fias illis in virtutis exemplum. Hoc agens, scandalizantium effugies penam, atque æternam cum justis in cælo gloriam obtinebis. Amen.

EXPLICIT TOMUS QUARTUS

PARS PRIMA CONCIONUM DOMINICALIUM.

INDEX

DOMINICA PRIMA ADVENTUS — De judicio extremo	pag. 1
I PARS. — In die judicii Christus decipi non poterit	» 2
II PARS. — In die judicii Christus corrumpi non poterit	» 7
III PARS. — In die judicii Christus flecti non poterit	» 11
DOMINICA SECUNDA ADVENTUS — De adversitatibus	» 15
I PARS. — Deus percussit homines peccatores, ut eos convertat	» 16
II PARS. — Deus percussit homines justos, ut eos periciat	» 21
III PARS. — Deus percussit omnes homines, ut eos salvet	» 24
DOMINICA TERTIA ADVENTUS — De Deo	» 29
I PARS. — Deus omnia est	» 31
II PARS. — Deus omnia habet	» 35
III PARS. — Deus omnia potest	» 39
DOMINICA QUARTA ADVENTUS — De via ad cælum	» 43
I PARS. — Crux est via ad cælum	» 45
II PARS. — Mundi contemptus est via ad cælum	» 49
III PARS. — Obedientia est via ad cælum	» 53
DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI — De ob- duratione peccatoris	» 57
I PARS. — Oblationis signa	» 58
II PARS. — Oblationis cause	» 63
III PARS. — Oblationis remedia	» 67
DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM — De Christi iactura	» 71
I PARS. — Quam facile perditur Christus	» 72
II PARS. — Quam miseri sunt, qui Christum perdidierunt	» 77
III PARS. — Quid agere debeant qui Christum perdidierunt, ut illum inveniant	» 80

aliis fierent laqueum et ruinae causa; hæc et illa coram filiis, coram domesticis, et coram aliis non peragam, *ne fratrem meum scandalizem*. A futuris abstine scandalis; sed et de præteritis penitentiam ago; multis dele lacrymis peccata quæ perpetrasti, et ad quæ perpetranda alios induxisti; ac etiam, quantum fas erit, repara damna, quæ verbis et factis tuis proximo intulisti. Imitare Magdalenam, quæ quia oculis, capillis et unguentis pretiosis peccaverat, aliosque ad peccandum allexerat, oculis ad flendum, capillis ad Christi pedes abstergendos, unguentis ad caput ejus inungendum usa est, omniaque quæ ad peccandum illicita fuerant, in virtutum incentiva convertit. Fac tu similiter, veniam a Deo suppliciter postula ob varias scandali occasiones, quas proximo dedisti, et si alios usque ad presens tempus ad peccandum induxisti, sic in futuro tuos mores compone, sic vive, ut fias illis in virtutis exemplum. Hoc agens, scandalizantium effugies poenam, atque æternam cum justis in cælo gloriam obtinebis. Amen.

EXPLICIT TOMUS QUARTUS

PARS PRIMA CONCIONUM DOMINICALIUM.


INDEX

DOMINICA PRIMA ADVENTUS — De iudicio extremo	pag. 1
I PARS. — In die iudicii Christus decipi non poterit	» 2
II PARS. — In die iudicii Christus corrumpi non poterit	» 7
III PARS. — In die iudicii Christus flecti non poterit	» 11
DOMINICA SECUNDA ADVENTUS — De adversitatibus	» 15
I PARS. — Deus percussit homines peccatores, ut eos convertat	» 16
II PARS. — Deus percussit homines justos, ut eos periciat	» 21
III PARS. — Deus percussit omnes homines, ut eos salvet	» 24
DOMINICA TERTIA ADVENTUS — De Deo	» 29
I PARS. — Deus omnia est	» 31
II PARS. — Deus omnia habet	» 35
III PARS. — Deus omnia potest	» 39
DOMINICA QUARTA ADVENTUS — De via ad cælum	» 43
I PARS. — Crux est via ad cælum	» 45
II PARS. — Mundi contemptus est via ad cælum	» 49
III PARS. — Obedientia est via ad cælum	» 53
DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS CHRISTI — De ob- duratione peccatoris	» 57
I PARS. — Oblationis signa	» 58
II PARS. — Oblationis cause	» 63
III PARS. — Oblationis remedia	» 67
DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM — De Christi iactura	» 71
I PARS. — Quam facile perditur Christus	» 72
II PARS. — Quam miseri sunt, qui Christum perdidierunt	» 77
III PARS. — Quid agere debeant qui Christum perdidierunt, ut illum inveniant	» 80

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM — De sobrietate . . . pag.	84
I PARS. — Ebricitas est mater paupertatis . . .	86
II PARS. — Ebricitas est mater infirmitatum . . .	90
III PARS. — Ebricitas est mater vitiorum . . .	94
DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM — De humilitate . . .	98
I PARS. — Ut humilitatem assequaris, inspicienda sunt ejus bona et emolumenta . . .	100
II PARS. — Ut humilitatem assequaris, inspicienda sunt Christi exempla et documenta . . .	103
III PARS. — Ut humilitatem assequaris, inspicienda est tua vilitas et miseria . . .	108
DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM — De conscientia mala . . .	113
I PARS. — Conscientia mala est testis, qui peccatores accusat nunc, et actus accensit mortis tempore . . .	114
II PARS. — Conscientia mala est iudex, qui peccatores condemnat nunc, et severius condemnat in formidando iudicii die . . .	118
III PARS. — Conscientia mala est carcer crudelis, qui peccatores torquet nunc, et terribiliter torquet in inferno . . .	122
DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM — De societate malorum . . .	126
I PARS. — Cur Deus malus in hoc mundo diu vivere sinat? . . .	128
II PARS. — Cur Deus malos bonis commixtos esse velit? . . .	132
III PARS. — Quomodo se gerere debeant boni, qui inter malos mixti vivunt . . .	136
DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM — De religione catholica . . .	141
I PARS. — Quam vera sit religio catholica . . .	142
II PARS. — Quam sancta sit religio catholica . . .	147
III PARS. — Quam mirabiliter stabilita et propagata sit religio catholica . . .	151
DOMINICA SEPTAGESIMAE — De paucitate salvandorum . . .	156
I PARS. — Ex omnibus omnino hominibus pauci electi . . .	158
II PARS. — Ex omnibus Christianis pauci electi . . .	163
III PARS. — Ex omnibus catholicis adultis pauci electi . . .	167
DOMINICA SEXAGESIMAE — De verbo Dei . . .	171
I PARS. — Verbum Dei memoria retinendum . . .	173
II PARS. — Verbum Dei est corde credendum . . .	177
III PARS. — Verbo Dei est obediendum . . .	182
DOMINICA QUINGAGESIMAE — De merito Christi pro omnibus . . .	186
I PARS. — Mors Christi decreta fuit ab aeterno pro omnibus hominibus sine ulla exceptione . . .	188
II PARS. — Mors Christi oblata fuit in cruce pro omnibus hominibus sine ulla exclusione . . .	192
III PARS. — Mors Christi est utilis omnibus sine ulla limitatione . . .	195

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMAE — De obsequio soli Deo praestando . . . pag.	200
I PARS. — Demum est pauper, et Deus ditissimus . . .	201
II PARS. — Demum est debilis, et Deus potentissimus . . .	205
III PARS. — Demum est mundax et Deus fidelissimus . . .	209
DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMAE — De Christi transfiguratione . . .	213
I PARS. — Quomodo facta est Christi transfiguratio . . .	214
II PARS. — Quare facta est Christi transfiguratio . . .	218
III PARS. — Ubi facta est Christi transfiguratio . . .	222
DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMAE — De confessione sacramentali . . .	225
I PARS. — Confitendum saepe . . .	226
II PARS. — Confitendum integre . . .	230
III PARS. — Confitendum debite . . .	234
DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMAE — De divitum obligationibus . . .	237
I PARS. — Divites debent restituere creditoribus, et aliis quorum bona retinent . . .	239
II PARS. — Divites mercedem tribuere debent mercenariis . . .	243
III PARS. — Divites elemosynam pauperibus dare debent . . .	247
DOMINICA PASSIONIS — De vita innocua . . .	251
I PARS. — Tollendum est omne peccatum . . .	253
II PARS. — Tollendus est omnis affectus ad peccatum . . .	258
III PARS. — Tollenda est omnia peccati species . . .	262
DOMINICA PALMARUM — De mundi dignitatibus . . .	266
I PARS. — Mundi dignitates sunt contemnendae . . .	267
II PARS. — Mundi dignitates sunt timendae . . .	271
III PARS. — Mundi dignitates sunt fugiendae . . .	275
DOMINICA PASCHATIS — De Christi resurrectione . . .	279
I PARS. — Christi corpus est in sepulchro sine corruptione . . .	281
II PARS. — Christus egreditur de sepulchro sine auxilio extraneo . . .	284
III PARS. — Christus vivit extra sepulchrum sine lapsu . . .	288
DOMINICA IN ALBIS — De Christi vulneribus . . .	292
I PARS. — Cur Christus vulnera passus est . . .	294
II PARS. — Cur Christus vulnera sua apostolis ostendit? . . .	298
III PARS. — Cur Christus vulnera in corpore suo retinet? . . .	302
DOMINICA SECUNDA POST PASCHA — De bono pastore . . .	306
I PARS. — Pastores animarum gregem suum pascere debent verbo . . .	307
II PARS. — Pastores animarum gregem suum debent pascere exemplo . . .	312
III PARS. — Pastores animarum gregem suum debent curare subsidio . . .	316

DOMINICA TERTIA POST PASCHA — De lacrymis	pag. 329
I Pars. — Lacrymæ lavant sordes peccati	» 321
II Pars. — Lacrymæ extinguunt ignem inferni	» 326
III Pars. — Lacrymæ portant ad regnum celorum	» 330
DOMINICA QUARTA POST PASCHA — De mundi prosperitate	» 333
I Pars. — Mundi prosperitas contemptibilis est	» 335
II Pars. — Mundi prosperitas transitoria est	» 338
III Pars. — Mundi prosperitas periculosa est	» 341
DOMINICA QUINTA POST PASCHA — De oratione	» 344
I Pars. — Quam necessarium sit homini orationis exercitium	» 346
II Pars. — Quam utile sit homini orationis exercitium	» 349
III Pars. — Quam amabile sit orationis exercitium	» 353
DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS — De scandalo	» 356
I Pars. — Quam commune sit scandali peccatum	» 358
II Pars. — Quam grave sit scandali peccatum	» 362
III Pars. — Quanta pena dignum sit scandali peccatum	» 365



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



